

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`



Digitized by Google

MEMORIÆ SEMPITERNÆ

VIRI CL. MARCI PERACHON in Supremo Senatu Causidici, Qui post ejuratam sincerè hæresim in qua natus fuerat, de Religione ac Literis bene meritus dum viveret, moriens Bibliothecam Lugd. Coll. SS. Trin. Soc. JESU annuo Censu locupletavit.

Ex Censu anni 1701-2.

Digitized by Google

179-1820

Digitized by Google

Digitized by Google

424400

DE

SINENSIUM

RITIBUS POLITICIS

Coll. Lugd. Soc. Jesu. S. Trinit. An. 1702

ACTA

SEU

R. P. JACOBI LE FAVRE
Parisiensis è Societate Jesu
Missionarii Sinensis

DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA de avita Sinarum pietate præsertim erga defunctos & eximia erga Confucium magistrum suum observantia.



Lugduni & Vaneunt.

PARISIIS

Apud NICOLAUM PEPIE', viâ Jacobæâ, sub signo sancti Basilii.

M. DCC.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google



Digitized by Google

PRÆFATIO.

PATER *Jacobus le Favre Parisinus jam tum à prima pueritia tanto incensus est ardore devovendi se totum divinæ Majestatis obsequio, ut nullis se matris precibus ac blanditiis passus sit à proposito demoveri. Quare Societatem Jesu ingressus est annos natus admodùm septemdecim anno* 1630. *comitem habuit ac socium hujus instituti capessendi fratrem natu minorem, sed non pari fortitudinis Christianæ ac constantiæ laude dignum. Cum enim matrem totam accepisset, advolat illicò ad domum probationis Societatis Jesu, & maternis artibus quibuscumque utrumque deterrere aggressa, Jacobum non potuit vincere, sed ab altero illo juniore id impetravit, ut antequam vestem mutasset, ad maternam domum reverteretur. Atque illum quidem ferunt id ægrè matri concessisse, neque omisisse consilium vitæ religiosæ post parentis mortem ineundæ. Sed nimirùm superstes matri non fuit, immaturâ morte sublatus, dum militiæ daret operam.*

Pater le Favre post emensum Tyrocinii biennium ad litteras animum adjunxit non minori pietatis sinceræ famâ quàm eruditionis ac do-

Digitized by Google

ctrinæ. Itaque Rhetoricam ac Philosophiam in Academia tum Cadomensi tum Bituricensi tradere jussus, Parisios etiam deinde evocatus est, atque ibi dum Philosophicum munus obiret, celeberrimas illas theses proposuit, quas ipso arbitro ac præside adolescens nobilissimo loco natus per dies continuos duos in utramque partem summo ordinum omnium concursu ac plausu propugnavit. Posteà ad Theologicam cathedram in academiâ Bituricensi provectus, facilè est consecutus per annos sex quibus eo munere perfunctus est, ut & Theologus primi nominis haberetur, & sanctitatis famâ floreret.

Eo tempore P. Alexander de Rhodes post diligentem ac strenuam operam in re christianâ apud Tunkinenses promovendâ positam in Europam redierat eâ mente, ut à summo Pontifice Episcopos impetraret, qui messem tam uberem ac fœcundam (Christiani enim ad quadraginta millia numerabantur) excolerent atque in tanto numero deligerent aliquos qui ad sacerdotium provecti cives suos possent erudire, ac dum persecutio flagraret neque facilis esset hominibus exteris in eas regiones aditus, in fide Christiana detinere. Et quoniam P. de Rhodes commentarios secum detulerat, quibus tum ipsius itinera continebantur, tum religionis progressus apud Sinas & Tunkinenses atque illius amplificandæ facilitas ingens explicabatur, contigit ut Pater Jacobus le Favre dum ejusmodi scripta publicè recitari audiret, novo quodam animi sensu commoveretur ad hæc quæ tum legebantur verba, mirum est profectò, tot esse in Europa Sacerdotes inutiles ac vacuos, dum

Digitized by Google

apud Sinas tot animarum millia pereunt, quia deest Sacerdos qui eas erudiat.

Illicò nimirùm Deum sibi intùs loquentem audiit, seque ad eas missiones expetendas impelli sensit. Tamen ut rem tantam ad pietatis simul ac prudentiæ regulas exigeret, hanc sibi potissimùm rationem sequendam esse duxit. Scripsit ad R. P. Alexandrum de Rhodes, atque ita quâ esset ætate, quid ingenii corporisque viribus posset, quæ vel à naturâ accepisset præsidia, vel litterarum ope sibi parasset, exposuit, ut tamen nomen suum reticeret. Petebat deindè, num qui ita esset comparatus, operam aliquam non pœnitendam posset in Missione Sinicâ collocare.

Pater de Rhodes rescripsit, enim verò aptum sibi atque idoneum ad eam Missionem videri illum, de quo scriptum fuerat. Quare Pater le Favre ut jam Dei voluntatem non modò exploraret certiùs, sed etiam sequeretur, eique firmiùs adhæreret, hebdomadam eam quæ sancta dicitur, posuit in animo per S. P. N. Ignatii spiritualia exercitia repurgando ac per id tempus dici non potest quantis incensa voluntas ardoribus, quantis luminibus recreata mens fuerit. Itaque non dubitavit ampliùs quin illud sibi vitæ genus deligendum à Deo commonstraretur quod ad Apostolorum munus quam proximè accederet; octiduo inter has pias cogitationes transacto scripsit ad R.P. Generalem, petiitque ut ad missionem Sinicam destinaretur, ad quam impelli se vocante Deo comperisset: pueris interim ac rusticis prima fidei Christianæ elementa tradere instituit, atque hoc se pacto ad missionis

Digitized by Google

munia fingere. Sed quoniam ea erat de ejus doctrinâ singulari existimatio, ut facile ad summa quaque munera votis omnium atque expectatione destinaretur, R. Pater Generalis ita rescripsit ut significaret sibi non probari talem ac tantum virum eripi Provinciæ, tamque idoneum ad majorem Dei gloriam in Europâ, & multorum hominum salutem procurandam.

P. Jacobus le Favre acceptis Reverendi Patris Generalis litteris atque hujus voluntate certus ipsius Dei contineri voluntatem, acquievit scilicet, nihilque sibi moliendum amplius duxit, sed illud curandum duntaxat ut quantum posset inserviret Deo, morialesque ad illius amorem atque obsequium alliceret. Interim alteræ à Reverendo Patre Generali litteræ veniunt improvisæ, quibus significabat sæpius se de P. Jacobi le Favre consilio egisse cum Deo, ac maximè inter faciendum Sacrum ipso Pentecostes die, tumque se non dubiis divinæ voluntatis indiciis in eam mentem venisse, ut ipsi veniam daret ad Sinicam Missionem proficiscendi: iret itaque quo vocabat Deus, & sibi in obeundo verè Apostolico munere Apostolorum exempla sequendâ proponeret.

Post actas Deo præpotenti gratias Pater Jacobus le Favre nihil jam nisi de itinere cogitavit. Ferunt eum cùm è Collegio Bituricensi discederet, ad astantes socios hæc verba dixisse. Valete Patres amantissimi, fratresque, valete ad æternitatem. Quæ verba eo animi sensu atque ardore protulit, quantum ex ipso sono vocis potuit intelligi, ut astantium omnium inflammaret corda, multos etiam ad lacrymas commoveret.

Digitized by Google

Profectus ex Europâ, variisque terræ & pelagi periculis defunctus, post annos omninò tres pervenit ad Sinas anno 1656. *atque ubi satis linguam Sinicam edidicit, destinatus est à Præpositis suis ad Provinciam* Kiam-si. *Sed eò dum pergit, contigit ipsi planè quod habetur in Evangelicâ illâ parabolâ,* ut incideret in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto. *Et ille quidem acceptis tribus altis gravissimisque vulneribus volutabatur in tabo ac sanguine, sine ullâ spe recuperandæ sanitatis, nisi* Samaritani *vicem obiisset nobilis quædam matrona Christiana, candida* Hiu *nomine, de cujus virtutibus atque in rem Christianam benè meritis dixit P. Philippus Couplet è Sinâ reduxin Europam editâ ejus vitâ, quæ etiam gallicâ linguâ donata est anno* 1688. *Igitur ea postquam accepit quid Patri Jacobo le Favre contigisset, ægrum ac saucium deferri jussit in domum suam, atque omni diligentiâ curari. Et quanquam ea capiti vulnera insederant, quæ lethalia videbantur, detractis etiam ossium octo fragmentis, tamen post tres menses in curatione positos, ita sanatus est, ut in Provinciâ sibi demandatâ strenuè exercere se posset.*

Prorex erat illius regionis quidam nomine Tum *cujus gratiam ac benevolentiam ita sibi demeritus est, ut eum Christianis æquiorem redderet. Itaque dici non potest quàm multos in eâ Provinciâ ad Christianam religionem adduxerit, erectis etiam ac dicatis Deo vero ac vivo templis in urbibus* Can-cheou *&* kiengan *atque aliis pluribus locis.*

Digitized by Google

Post aliquot annos in eâ missione sudoris ac laboris plenissimâ positos, indè evocatus est ac toti vice Provinciæ Sinicæ præpositus, quod munus per annos quinque gessit difficillimis sanè temporibus. Urbem Macaensem, quâ Lusitanos Sinæ pellere meditabantur, Lusitanis servavit, quo facto non tantùm de Lusitanis, sed & de totâ re Christianâ bene meritus esse censendus est, cùm tunc temporis solus ille aditus in imperium Sinense Missionariis pateret. Jam verò leucarum plus quinque millia confeciſſe eum oportuit, dum obiret ecclesias quæ erant per omnes ferè vastissimi regni provincias latè diffusæ, dúmque innumeros Christianorum greges omni ope atque operâ tueri ac deffendere conaretur per immanem illam persecutionem, quam famosi illius yam-quam Siem *artes & calumniæ concitarant. Tum scilicet Missionarii omnes comprehensi, ducti Pekinum, & coram judicibus respondere jussi, quod Christum prædicaverint, quòd Sinas ad instituta Christiana traduxerint, quod legem novam promulgaverint. Præterea autem P. Jacobus le Favre periculoso dyssenteriæ morbo correptus, tam graviter eo conflictatus est, ut nunquam sanus fore videretur.*

In rebus tam angustis cùm vix ulla spes esset fore tandem, ut navis tot jactata tempestatibus ac procellis aliquando conquiesceret, factum est tamen, ut Missionarii illi omnes numero quatuor & viginti perducti sint incolumes in urbem Cantonienſis Provinciæ primariam quò exulare jussi fuerant. Et quoniam satis constabat, nihil ipsis præter sanctæ religionis

Digitized by Google

nomen criminis loco dari, facilè passi sunt Mandarini ut pro carcere Patrum Societatis domo concluderentur. Data etiam facultas & Missionariis inter se de quibus vellent rebus liberè colloquendi, & Neophytis accedendi ad Pastores amantissimos, à quibus & religionis Christianæ Sacramenta perciperent, & optimis vitæ sanctæ præceptis imbuerentur.

Ac de eo quidem carcere, quem verius secessum P. Jacobus le Favre interpretabatur ita planè scribebat anno 1673. 17. Augusti die ex urbe Xam-hai *quæ urbs est* Nankinensis *Provinciæ maritimæ.* " *Eo Christianæ pietatis ardore succensi erant aliqui ex iis quos erudiendos habebam, ut exilii mei quasi consortes ac participes effici voluerint, relictâque patriâ cantonum cum uxoribus ac liberis suis commigrarint per trecentarum leucarum iter, atque ibi sedem fixerint, quò faciliùs haberent, qui Sacramenta ipsis conferre posset; alii longas itidem peregrinationes eandem ob causam susciperent, atque à nobis quærere quibus artibus ac præsidiis servari deberent tot Christianorum greges olim curæ nostræ demandati. Quâ equidem re inducor ut credam, hos annos exilii sex nobis per summam clementiam Deum ac Dominum optimum indulsisse, ut simul & animos nostros colligeremus quos necesse fuit tot tamque diversis rebus agendis fuisse distractos, neque cessaremus tamen ab iis gentibus labore nostro erudiendis, ad quorum conversionem nos præpotens idem ac misericors Deus vocaverat. Jam ante annos admodùm duos stadium hoc repetii, & quanquam in per-*

Digitized by Google

„ exiguo spatio versari industria mea videtur, „ quippe cùm vix ultra 25. leucas hæc regio per- „ tineat, ingens tamen campus ille meritò dici „ potest, in quo scilicet Neophyti sunt plus quam „ quadraginta millia, Gentiles verò numerum „ omnem superant. Hæc enim Sinensis Imperii pars „ est populo frequentissima. Certè jam per annos „ hos duos quibus inter eos versor, hominum quin- „ que millia suscepto Baptismi Sacramento Chri- „ stus ad veram fidem adjunxit. „

Fuit illa scilicet illustris Ecclesia xam-hai, quam ante P. Jacobum le Favre tam feliciter administraverat P. Franciscus Brancatus; sed ille cùm jam in eo esset, ut ad eam se post sex annos exilii quasi post liminio referret, obierat in urbe Cantonienſi anno 1670. Neque verò minùs Ecclesia xam-hai à Deo Opt. Max. accepit incrementi, cùm ea P. Jacobi le Favre curâ ac laboribus irrigaretur, quàm olim eadem sub Patre Brancato floruerat. Primus enim ille Christi fidem invexit in prægrandem insulam zum mim dictam, quæ est ad orientalem plagam Sinensis Imperii posita. Ibi P. le Favre rei militaris præfecti nomine cum præsidio, templum Deo vero dicatum erexit, quod deinceps septem alia consecuta sunt. Ex quo facile est intelligere quam multos ad Christi legem adjunxerit. Denique laboribus Apostolicis, & voluntariâ corporis afflictatione confectus obiit in ipsâ urbe Xam-hai die Januarii 28. anno 1676. sepultusque est extra portam urbis australem.

Vir fuit ingenio sanè præcellenti, in rebus meditandis acutus & perspicax, Theologicæ scientiæ peritissimus; eâ verò firmitate mentis ac

Digitized by Google

constantiâ, quæ nullis humanis rationibus frangi aut debilitari posset. Jam tum cum in Galliâ versaretur, eminebat in eo tam constans disciplinæ religiosæ observatio, tam frequens rerum divinarum contemplatio, tanta cæterarum omnium despicientia, tanta mentis colligendæ atque ad Dei cogitationem erigendæ facilitas ab assuetudine atque usu profecta, ut omnibus & admirationi esset & exemplo. Ante Christum in sacrâ pixide latentem totas horas ponebat flexis genibus, ardenti vultu, toto corpore ad demissionem composito simul & ad ardorem, tantum non immobilis & similis attonito: in afflictando corpore nimium fuisse diceret, quisquis hac in parte peccari posse crederet à viro religioso, & quem instituti sui leges jubent assiduam in rebus omnibus quoad aspirante divinâ gratiâ fieri licet, mortificationem persequi. Certè Pater le Favre eo siccitatis ac maciei devenerat, ut non tam corpore integro quam pelle ac nudis ossibus cohærere videretur.

Dissertationem hanc de cultu Sinarum erga Confucium ac progenitores mortuos tum scripsit, cùm illo de quo suprà diximus Cantonienſi carcere clauderetur. Scripsit autem præpositorum suorum jussu, ut responderet ad tractatum P. Navarettæ ex Ordine sancti Dominici, qui eodem & ipse carcere cum aliis Missionariis detinebatur. Porrò Pater Antonius de Govea vice-Provinciæ Sinicæ Soc. Jesu, eo tempore præpositus P. Jacobi le Favre scriptum approbavit iis verbis quæ sequuntur.

Digitized by Google

APPROBATIO

Reverendi Patris Antonii à Govea Societatis Jesu Vice-Provincialis Provinciæ Sinensis.

P. Jacobus le Favre Societatis Jesu Theologus scripsit opusculum, cui titulus præfigitur, *dissertatio Theologico - historica de avitâ Sinarum pietate præsertim erga defunctos & eximiâ erga Confucium Magistrum suum observantiâ*: Ego verò infrà scriptus vice-Provincialis vice-Provinciæ ejusdem Societatis testor prædictum opusculum diligenter recognitum fuisse à quatuor Patribus nostræ Societatis rerum Theologicarum juxtà ac Sinicarum peritis, quibus visum est, ea omnia quæ in prædictâ lucubratione de rebus Sinicis adducuntur cum librorum Sinicorum (quorum verba fideliter referuntur) doctrina atque cum Sinarum & Societatis Missionariorum

Digitized by Google

in hoc imperio degentium praxi planè congruere. Datum Cantone anno salutis 1670. die 4. Mensis Martii.

ANTONIUS A GOVEA
vice-Provincialis.

Digitized by Google

EXTRAIT DU PRIVILEGE du Roy.

PAr grace & Privilege du Roy, donné à Versailles le 12. Avril 1700. signé NOBLET, & scellé : Il est permis à Nicolas Pepie Marchand Libraire, d'imprimer, faire imprimer, vendre & debiter un Livre intitulé, *Anciens Memoires sur les Ceremonies de la Chine*, seu de Sinensium Ritibus politicis acta, *contenant plusieurs Traitez & Pieces tant latines que françoises, dont la plûpart ont été cy-devant imprimées* : & ce pendant le temps & espace de six années consecutives. Avec défenses à tous Imprimeurs & Libraires & autres, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter ledit Livre sous quelque pretexte que ce soit, aux peines & ainsi qu'il est plus amplement porté par lesdites Lettres de Privilege.

Registré sur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, le 15. May 1700.

Signé, C. BALLARD, Syndic.

R. PATRIS

Digitized by Google

R. PATRIS JACOBI

LE FAVRE

MISSIONARII SINENSIS

E SOCIETATE JESU

COMPENDIARIA

RESPONSIO AD DUBITATIONES

A R. P. Fr. DOMINICO

NAVARETTE PROPOSITAS

SEU

BREVIS SYNOPSIS DE CULTU Sinico Confucii ac Mortuorum.

CUm ante aliquot menſes juſſu R. P. Vice-Provincialis legiſſem dubitationes à V. P. propoſitas de cultu Sinico Confucii, omniumque adeò mortuorum, ſtatim accinxi me ad opuſculum, quod quæſtioni pro meâ tenuitate ſolvendæ accommodat m judicabam. Extremam propè manum admoveram, quando me ſcrupulus aliquis angere cœpit, nè Paternitati veſtræ

VILLE DE LYON
Digitized by Google
Bibliothèque du Palais des Arts

obsequendi studio à debita Sacræ Congregationi ac Summo Pontifici veneratione recederem, si quæ Romæ, post auditas utriusque partis rationes, definita fuerant, in contentiosam controversiam iterum revocare auderem. Tunc enim verò vestræ Paternitatis prudens consilium adverti, in telis tam molli brachio contorquendis dùm dubia perstringendo potiùs interrogandoque subjicit, quàm robustioribus argumentis pugnando corroboret. Eâ re similem mihi rationem ineundam censui: insignem itaque sequor ducem & me discipulum fingo ad magistri exemplum ac nutum. Perbrevibus interrogationibus breviora responsa dabo, quæ si validiùs instando vestra Paternitas arguat, dictorum meorum rationes ac fundamenta depromam.

Interrogat vestra Paternitas quâ de causâ Patres Societatis negent Confucium ac reliquos Sinas vitâ functos pro falsis numinibus & Idolis haberi, cùm iis offerantur *sacrificia* ope *sacerdotis* cum *diacono*, ponantur *templa*, *altaria*, *simulacra*, nec non *solium* in tabella lignea adornetur, *à genuflexis* nuncupentur *vota* & *preces* fundantur. Fatebor ingenuè quæsiti novitate me primâ fronte perculsum, cùm hactenùs non audivissem homini Europæo suspectos in his partibus fuisse Sinas tam multiplicis Idololatriæ, ut omnes omninò mortuos instar Deorum colerent, quos nempe colant illis oblationibus, quæ *sacrificia*; honorificis ædibus, quæ *templa*; imaginibus, quæ *simulacra*; funebribus encomiis, quæ *preces* ac *vota*, à vestrâ Paternitate nuncupantur. Ac

Digitized by Google

nominatim plurimos vidi, qui de Confucio magnificentissimè & loquerentur & sentirent; virum seu sapientissimum seu sanctissimum *Xin gin* appellarent; qui verò referrent in Deorum numerum, & quasi unum de suis Idolis adorarent, neminem hactenùs comperi. Atque ipse impius patriæ religionis desertor *Lin*, non tam Confucio divinitatem asserere quam *fò* & *laò eiè* adimere, sicque omnem prorsùs è medio tollere videbatur, dum trium præceptorum & quasi legislatorum, non autem Deorum statuas in eodem altari collocabat; quid hâc de re totâ ex librorum præsertim *Xu Xun*, *Ly Ky*, *Su Xu Kià Ly* & consuetudine literatorum Sinicorum assequi potuerim, paucis discendi gratiâ complectar.

Quamvis Idololatria, cui *Xe Kia* & *tao Kia*, duo pestiferarum sectarum summa capita addicta sunt multas peregrinas superstitiones invexerit in iis quæ ad religionem spectant; in illis tamen quæ pii cultus sunt erga homines vitâ functos, qui ad inanem quandam *fo* & *pu sa* seu *hién xin* præstantiam evecti non finguntur, vix quidquam immutatum de institutis patriæ legis, quam vulgò literatorum *Sû Kiáo* vocant, si futilem illam papyraceam pompam & conflagrationem excipias; quare ex veteribus & recentioribus Patriæ legis placitis, non autem ex peregrinis, honorum illorum, qui defunctis exhibentur, notitia repetenda est.

Sinæ officiosissima sanè gens, ea reverentis animi externa signa tum ore tum reliquo corporis habitu edit, quæ nonnullis forsan

immodica videantur ; ne tamen verborum geſtuumque officia ducantur inania , niſi rebus ipſis comprobentur , præcipuam officiorum rationem reponunt in oblatione munerum , quæ loco affectuum , aut ipſius etiam cordis per ea oblati exhibeantur. Oblatio ejuſmodi duplicis inter ipſos generis commendatur : alia pure honorifica , quæ in illius duntaxat honorem cedat , cui res offertur : alia honorifica ſimul & commoda , ex quâ nempe is cui offertur , aliquid etiam utilitatis percipiat. Prioris generis oblatio longè nobilior & altior eſt , utpote per quam offerens ſe quaſi inutilem ei profiteatur , cui ſolius veneratiohis cauſa offert. Atque hæc eſt Τὸ *cy* Sinicum , de quo ſcribitur in *cy gney* , *eſt examinis ſummum ſeu apex* ; *homines quippe ad ſummum obſequii ubi pervenere* , *tunc honorificè offerunt* Cy. Sinæ itaque oblationem honorificam ſeu merè ad honorem alicui factam , univerſim proprio vocabulo appellant *cy* , cui voci cum nobis deſit una , quæ ex æquo & planè reſpondeat , illam mutuati ſumus quæ propius ex vi ſignificandi , non planè , ſed quadam tenùs eâdem accedere videretur , hæcque eſt *ſacrificium* non ſtrictè ſumptum pro præſtantiſſimo cultu latriæ ſoli Deo debitæ , ſed latè & analogicè acceptum pro oblatione honorificâ , quæ inſtar generis Analogi , per ordinem ad res oblatas , dividitur à Sinis in duas ſpecies , quarum prima eſt *chim cy* , quaſi primaria ac ſimpliciter dicta oblatio honorifica , in quâ primas inter oblata tenet animal integrum , quod poſt occiſionem offeratur ſolemniter ;

Digitized by Google

alterâ ſpecies eſt oblatio ſecundaria, & ſecundùm quid, *cien* in pluribus dicta, quæ animalis ejuſmodi oblationem non poſtulat, ſed per alia minoris momenti oblata perfici poteſt.

Quod ſi attendantur perſonæ quibus offertur, utraque illa oblatio honorifica dividitur in religioſam ac civilem. Religioſa eſt quæ Deo vel aliis bonis ſpiritibus fit, malignos enim veteres Sinæ non memorant, ſaltem quos colant, civilis eſt quæ hominibus ſeu vivis ſeu defunctis paſſim præſtatur. Religioſarum illarum oblationum variæ ſpecies ſuis quæque certis diſtinctæ nominibus paſſim occurrunt in *Ly Ky* atque inter iſtas *Kiao Xe Luy* ſacrificii ſtricte ſumpti non ſecùs ac *chay* holocauſti rationem eſſentiamque obtinent. Iſtæ vero non alteri quàm ſupremo Imperatori, rerum omnium principio, origini ac radici, ad debitum ipſi præcellentem cultum proteſtandum exhiberi poſſunt. Spiritibus ſiderum, tempeſtatum anni, elementorum, montium, fluminum, uno verbo diverſarum cæleſtis ac terreſtris orbis partium præſidibus, religioſus quidam debetur ac defertur honos & oblatio in ſolidam teſtificationem virtutis humanâ conditione majoris, quâ eximii ſunt illi, & de mortalibus optimè poſt Deum meriti, utpote quorum conſervationi ac gubernationi invigilent. Atque cùm hæc univerſa ex Sinarum mente obtineant ac peragant velut ſupremi Imperatoris adminiſtri, quibus vitæ neciſque dominium non conceſſit; idcircò nefas eſt ipſos proſequi ſummo illo cultu ſtricti ſacrificii,

Digitized by Google

ſeu oblationis ſoli primo principio vitæ ac necis Domino reſervatæ, quâ certè longè inferiores ſunt *yn-vam*, ac ſimiles ſpirituum propriæ oblationes.

Jam verò cum Sinæ ſuum erga benè de ſe meritos ac præcipuè progenitores amorem ac reverentiam caducæ hujus vitæ terminis concludi & ſimul cum benefactoris vitâ illius quoque memoriam in ſuperſtitum animis extingui nolint; hinc celebre ſemper fuit inter ipſos hoc velut effatum *ſu ſic tu ſu ſem ſu vam ju ſu cun*, ſerviendum mortuis perinde ac vivis, ſerviendum iis qui exceſſerunt è vita, quaſi ſuperſtites etiam eſſent, quâ de causâ utroſque venerantur, erectis ſtatuis, propriâ æde ad id deſtinatâ, cremandis ſuffitibus, accenſis cereis, & totius corporis proſtratione ad terram uſque, quam capite feriant. Verùm obſervantiæ ac pietatis officia cùm alia ſint ad commodum, alia ad honorem, prioribus Sinæ irrito conatu defungi niterentur erga mortuos, quos nempe aliquid ſubſidii à vivis percipere poſſe ignorant. Idcirco ad honorifica officia, eaque per oblationes ſolidiora futura animum adjiciunt, ac nihil erga defunctos omittunt, de honorificis illis oblationibus, quas illuſtriori cuique viventi ad majorem venerationem exhibere ſolent.

Nulla honorandi viri uſitatior nobiliorque inter Sinas ratio, quàm ſi convivio illum excipiant, non ad ventrem cibo ac potu, ſed ad hoſpitem honore complendum, & fusè explicatur in *Ly Ky* lib. 16. & quotidianâ etiam-

Digitized by Google

num conſtat experientiâ eorum, qui magnificentiſſimis epulis opipare excepti domum poſt multas horas vacui ad famem explendam redeunt; inde effectum eſt ut à priſcis temporibus ad hodiernum uſque diem, iiſdem honoribus mortuos in aulâ majorum proſequantur, quibus illuſtriores hoſpites inter convivium afficiunt ex quo mihi penitùs exploratum, nihil ad religionem attinere oblationes iſtas tanta cum reverentia peractas, ſed eas eſſe meri honoris politici cujuſmodi à Sinis in convivio hoſpitibus exhibetur. Quod ſanè his expreſſis verbis *Ly Ky* lib. 7. fol. 29. conſtat *in funebrium oblationum uſu idem eſt atque in honeſtioribus hoſpitibus excipiendis ritus ac ratio.* Conferantur ea quæ ſcribuntur in *Ly Ky* lib. præſertim 16. & *Kià Ly* lib. 8. de conviviorum honorificis oblationibus, cum iis quæ referuntur, in *Ly Ky* paſſim & in *Kià Ly* libris 1. 2. 7. & 8. de piis mortuorum oblationibus, vix ullum profectò diſcrimen apparebit.

Utrobique eſt *chù gin* & *chù fù* præfecti honorificarum oblationum vir ac fœmina, adjutor *che ſeì*. (An placet in conviviis quoque *ſacerdotem* ac *diaconum* vocitare?) non deſideratur præco ſeu encomiaſtes ac cæremoniarum magiſter *chán chè*, & quoniam in more eſt apud Sinas, ut honoratiori cuidam viro dum parantur epulæ, alium quoque invitent qui comitetur, *Poy Ke*, invitatur pariter in oblationibus mortuorum *piu* hoſpes, qui & *ye xe* vocatur, quaſi ſimul epulaturus; unde ſub diſceſſum ei aliquid offertur de illo precioſo vino *Ly* mortuis oblato honoris cauſâ, quan-

Digitized by Google

quam illud ſorbere non audet præ modeſtiâ, contentus aliquâ parte carnium oblatarum & vini ordinarii reſidui, quæ inter aſtantes velut convivas diſtribuuntur, & quoniam in epulis Sinicis vinum potiſſimum ducitur ex *Ly Ky* lib. 8 fol. 2. utrobique eodem modo iiſdemque verbis vinum infunditur poculo *cho chin cieu*, inſtillatur aliquantulum guttatim diſco crateribus ſuppoſito & deponitur in ſtoreâ vel mensâ crater *tien cieu*, atque quod caput eſt honorificè offertur *cy cien*, ſub initium admovetur ori, *cy* & quaſi maſticando delibatur *cuy* ex *Ly Ky* lib. 12. fol. 29. ſub finem perbibitur ad honorem *yn cieu*, quod ultimum neſcio quo fundamento veſtra Paternitas *conſummationem ſacrificii* nuncupet, cùm in *Ly Ky* velut Sinicorum conviviorum urbanitas afferatur. Neque deeſt *cha* à fœmina in oblationibus mortuorum offerendum, uti vinum à viro, cibi à fœminis, pridie ſub veſperam ac tota nocte præparantur & excoquuntur; ſunt autem diverſi generis altilium & quadripedum carnes, piſces, fructus, olera, pultes ex tritico & oriza, de quâ coctâ ab eo qui mortuis offert aliquid etiam prælibatur ad honorem. Ferculorum ita determinatus eſt numerus ut egentiores aliquid de eo diminuere queant: hæc *à genuflexis* ſubminiſtrantur ac deponuntur vel in ſolo ſtoreæ conſtrato juxta morem antiquum, vel in menſa, non ſimul omnia, ſed interpolatis vicibus inferuntur. Oblationis tum piæ tum convivalis præſes ipſemet acceptum de manu adjutoris aliquid cibi ac potus reponit in mensâ coram vivo hoſpite & coram

tabella

Digitized by Google

tabellâ mortui tandem concludit *ven cum* aliquos ex illis piarum oblationum ritibus sublatos ac sublinde mutatos fuisse juxta mutationem inter convivia factam, *ut intelligatur*, inquit, *omnes etiam plebeios ejusmodi obsequiis colere mortuos uti venerabantur vivos.*

Duplex tamen discrimen intercedit, primum quidem quod in oblationibus conviviorum officia ipsa oblationum, cùm sint urbanitatis, debent esse reciproca; at cùm eadem sint pietatis erga defunctos, ab istis mutua non sperantur. Alterum verò quod oblationes honorificæ conviviorum sunt partim præviæ vel insertæ comestioni & compotationi, quæ fiunt ad commodum, partim hac absolutâ perficiuntur, cùm oblationes mortuis aliæ non fiant quàm quæ ad honorem pertinent.

Verùm oblationes ejusmodi, ut ita dicam, convivales, priscis temporibus fiebant tam vivis quàm mortuis, de ipso genere primariarum *chim cy*, multis autem ab hinc sæculis hæ erga utrosque sublatæ sunt, toto cultu ad secundarias oblationes *cien* redacto, si tamen exceperis solemnes oblationes quæ defunctis Principibus in aulâ majorum exhibentur; cùm enim cæteris mortuis loco carnis victimæ *tu* appellatæ, ordinaria edulia communi nomine *chuen* vel *cuon* dicta offerantur, priscus ritus ex quo offerebatur cætui cruda, erga defunctos Imperatores hodieque observatur.

Atque hæc est prisco ritu peracta convivalis erga mortuos oblatio, nunc Imperatoribus

Digitized by Google

aut certè Principibus viris addicta, quæ Confucio bis quotannis ex mandato regio persolvitur, quamque vestra Paternitas tam eleganter & accuratè descripsit, ne omissâ quidem oblatione pilorum & sanguinis, quamvis hæc edicto regio minimè sancita fuerit, sed quam vestra Paternitas docere nos voluit prisco ritu in primariis oblationibus usitatam fuisse; nam propinatio vini felicitatis *fo cieu* in nullâ privatorum etiam mortuorum solemni oblatione unquam omissa est, littera quippe *fo* absolutionem operis designat. Illud pariter pretiosum seu dulce vinum *Ly* cùm olim in solemnibus omnibus oblationibus exigeretur, postea indultum est, ut cum vino ordinario commutari posset; extra imperatorias tamen oblationes inter quas Confuciana censetur. Etenim, ut de vetustis ac posteà obsoletis Confucii titulis nihil dicam, Tamingæ familiæ Imperatores Confucio regios honores indixerunt, ne dempto quidem usu tabulæ eburneæ *hò* coram solo Imperatore à præfectis gestari solitæ, quasi augustæ majestatis radios irretortâ acie & non conniventibus palpebris sine interpositâ tabellâ sustinere non valerent.

Tametsi enim Confucius vivens regis appellationem sibi oblatam respuisset, illamque ei post obitum tribuendam non esse, re aliquoties in deliberationem vocatâ, constitutum tandem fuisset, attamen placuit *hum vù*, anno Imperii septimo nomen Imperatoris ac Regis Confucio deferre *Ky vam*, unde *Kia cim* Imperii anno nono ex foribus aulæ in qua Confucius colebatur expunxit antiquum titu-

Digitized by Google

lum *ven hoa tien, floreſcentis doctrinæ palatium*, & ſubſtituit *ſien ſu miao*, *defuncti magiſtri aula*, vel *ven miao*, *eruditionis maxima aula*, nempe defunctorum Imperatorum aulæ proprium nunc temporis nomen ad Confucianam extendit, nam *miao* propriè loquendo eſt maxima aula ſeu ædes cum collateralibus ædiculis ad ortum & occaſum diſpoſitis. Hæc nunc tribuitur ſupremo imperatori ſive Deo, ſpiritui cujuslibet urbis tutelari, modernis ſpiritibus, ſeu fictitiis numinibus, necnon Sinarum Imperatori ad cultum prædeceſſorum imperatorum quorum privilegiis Confucius trecentis circiter ab hinc annis gaudet, cùm olim *miao*, tum Imperatori viventi ad habitationem, tum illuſtrioribus quibuſque viris defunctis ad honores permitteretur, ut ſupremum Imperatorem non commemorem. Cujuſmodi verò ſit illa Confucii Imperatoria majeſtas appoſitæ prædictæ voces *ven eruditionis*, vel *ſien ſu*, *defuncti magiſtri* abundè declarant, cùm neque religionis objectum ſonent, neque honores divini ob ejuſmodi eruditionis ac magiſterii virtutem delati ſint, neque ſacræ ædes propterea extructæ, neque ad religioſum cultum deſtinatæ dici poſſint, quâcumque demum latinâ voce efferantur.

Pater Martinus Martinii totum ædificium, cujus pars duntaxat eſt prædicta aula attendit, ac nomen *hio ly* ſeu *ſü hio* quo paſſim eſt notum, ut rectè Confucii gymnaſium appellaret ædes illas, inquibus præcipua aula intra quam Confucio uti præceptori honores deferuntur, eſt *ven miao* eruditionis aula, & aliæ

multæ aulæ ac cubicula non desunt, partim ad commodam præfecti litteratorum habitationem, partim ad excipiendos litteratos, sive ad gradum promovendi, sive de scholæ negotiis deliberaturi eò conveniant, quæ omnia spectant ad rem litterariam in illo gymnasio optimè procurandam.

Neque ullam mihi religionis speciem exhibet titulus *xim* aut *chy xim* sive sapientem ac sapientissimum sive sanctum ac sanctissimum latinè reddas, cùm manifestum sit Sinas intet perfectam illam ac supernaturalem, quam in beatis suspicimus, sanctitatem non exprimere, cui nimirum ipsis incognitæ nullum nomen indidere, sed suo illo *xim* potissimùm exhibent eximiam quandam virtutem intellectus partim congenitam, partim acquisitam quam vocabularia explicant *tum ye*, *virtus rerum penetrativa*, *juy ye*, *ingenii acumen* ac similes dotes, quas in suo magistro præstantissimas Sinæ deprædicant; hæc nimirum intelligendi vis, non autem virtutum moralium, nedum supernaturalium ornamenta imperatores ipsi in solemnibus Confucii oblationibus sub finem celebrant; iis defuncti magistri panegyribus quas *cho veu* dictas funebris encomii quotannis repetendi recitet *can che* seu *ly sem*, utraque enim vox in funebribus officiis sine discrimine adhibetur, quæque ejusmodi sunt ut in nullius honoratioris viri funebribus in aulâ majorum & solemnibus, etiam absque animalis mactatione, obsequiis omittantur non video ego quid in honore nostratibus ipsis non incognito vel ne-

Digitized by Google

glecto ſuperſtitionis reformidemus.

Novi equidem oblationes tanto apparatu, nec ſine delecti animalis jugulatione præſtitas ad venerationem, ea ferè omnia externa complecti, quæ ad ſacrificii ſtrictè ſumpti eſſentiam inter nos requiruntur, at neque ignoro hanc communem ſacrificii rationem & vim proteſtandæ ſubjectionis debitæ primo principio Domino vitæ ac necis actionibus illis & oblationibus externis ſecundum ſe ſumptis adventitiam eſſe, ac provenire ab inſtitutione hominum, quæ cum in variis partibus varia pro cujuſque gentis arbitrio eſſe poſſit, nihil vetat quominùs eaſdem externas actiones oblationeſque quibus ſacrificii ſtrictè ſumpti ſignificationem multi populi impoſuerunt, Sinæ noſtri à reliquo orbe disjunctiſſimi ad aliam laxiorem ſignificationem aſſumpſerint immutatis præſertim aliquatenus loci temporis-ve circumſtantiis. Quocirca penetranda priùs eſt Sinica in actionibus externis ad cultum adhibendis inſtitutio, quam de illarum actionum intrinſecâ ſignificandi vi pronuncietur, uti manifeſtum faxit vel ipſa quotidiana pilei geſtatio quæ oppoſitorum inter nos atque ipſos ſignificandorum poteſtatem ſibi vindicavit. Sui ſunt cuilibet genti mores, & rerum æſtimandarum facultas, nec charitas, nec prudentia ſinit aliena ex propriis ſic metiri, ut innocentem pro reo causâ nondum benè cognitâ condemnemus.

Id nobis cum Sinis commune eſt, ut beneficiorum generationis ac educationis à parentibus acceptorum, perpetuam ſervare memo-

Digitized by Google

riam optemus : istud perpetuæ gratitudinis monimentum ac subsidium Sinæ reponunt in tabellâ ligneâ cartæ cujusdam dimensionis ac figuræ penè apud omnes ejusdem, ad uniformitatem quam adamant. In ejusmodi tabella progenitorum nomina ac tituli inscripti asservantur, cum singularis pietatis ac reverentiæ affectu, quem accensis cereis & combustis odoribus contestantur, *nos talem consuetudinem non habemus.* Quoniam autem externam illam cultus rationem ad religiosa duntaxat obsequia usurpamus, idcircò in Sinis quoque velut religiosam erga quoscunque mortuos, quos pro diis aut saltem pro sanctis habeant exhorremus.

In recens adventante ex Europa ferri utcumque id potest, non autem in veterano & Sinicorum institutorum perito, cui constat hæc esse filialis pietatis argumenta, non falsè cujusdam religionis aut erroris in fide indicia, inscriptæ feretro ac tabellæ cernuntur litteræ *Xin co*, vel *Xim quey* spiritus sedes, vel *Xin* spiritus, vel *mo chù* ligneus Dominus; legunturque ac continuò efferveſcit zelus exteri hominis, qui vocibus, uti primâ fronte sonant, intentus & in litterali obviaque significatione defixus, ac mysteriorum Sinicorum ignarus stupidum gentis errorem detestatur, quasi reverâ commodam præsenti animæ sedem in tabellâ & sarcophago Sinæ fingerent, ast ubi libros evolvit, & doctorum sermonibus aures commodavit, tum de præfervido zelo non nihil remittit, ac sedato animo agnoscit, hæc omnia figurativè scripta repræsentativè signifi-

Digitized by Google

care & prototypi ac rei figuratæ nomina ipsi imagini ac figuræ attribui, modo non prorsus inter nos inusitato, dum Dei vel sancti imaginem ac ipsiusmet Dei vel sancti nomine ac veneratione cohonestamus. Quoties Christum nos aut virginem in templo colere affirmamus; & si illorum dumtaxat imagines inibi ad venerationem prostent.

Inchoatam in tabella paulo post domi collocanda litteram *chu* post absolutas exequias absolvi videmus, adjecto puncto quod unicum deerat, eoque rubri coloris ad decus quod in ejusmodi colore inter scribendas litteras Sinæ reponunt, res nobis nova, non diffiteor, sed cujusnam superstitionis illa notetur, cùm vestra Paternitas docuerit, huic quantùm ab ea distet, non obscurè, ut opinor, aperiam.

Nolim ego inficias ire non nullos numerari de plebe ac mulierum turbâ, qui ineptis quibusdam opinationibus stolidisque superstitionibus implicari se patiantur; ex quibus ea externa opera edant quæ prudenter quondam instituta, nunc eadem sanâ mente à sapientioribus peragantur, at idem fermè in augustissimis Ecclesiæ cærimoniis inter nos accidit ut de civilibus probatissimis fileam, neque tamen popularis aliquorum error rectam externi operis executionem inficit, cui honestam naturam primæva institutio contulit & sapientiorum constantia illam sustentat dum vulgari aberrationi adversatur. Quare si qui de Sinarum vulgo animam defuncti insidere tabellæ tanquam solio stolidè credant, secum ipsi stul-

Digitized by Google

tè pugnantes, dum illius ipsius quam profitentur seu litteratorum seu idololatrarum sectæ dogmata deserunt, ipsi sibi imputent, neque enim pravæ suæ intentionis malitiam in aliorum, saltem ex virtuali non malâ intentione operantium actiones transfundere valent in quos Imperium non exercent, operi quippe externo intrinseca seperstitio non adhæresçit nova, nisi ab iis affigatur qui idoneâ sint autoritate præditi ad veteres institutiones non malas abolendas ac novas inducendas malas in ipsarum locum.

Non absimilis est eorum conditio, qui factas progenitoribus oblationes ad quidpiam ab iis impetrandum sordidè juxtà ac credulè dirigant. Istud sane paucorum fuerit, cum athei qui bene multi sunt, defunctorum animas unà cum corpore interire sibi persuadeant, idololatræ verò in iis ut plurimùm occupentur operibus quibus opitulentur ipsi mortuis, quasi illos suâ ope egere putent, nedum ab iis sperent ac poscant quotquot demum illi sint prævalere nequeunt legitimæ ac præpristorum institutioni, cui melior certè nisi etiam longè major pars nunc quoque suffragatur & à quâ oblationes hujusmodi honorificæ, velut egregium atque identidem revocandum filialis reverentiæ & gratitudinis monimentum usurpantur.

Non ausim ego parem eorum sortem affirmare qui convivia mortuis ad famem ac sitim animarum levandam parare se negantur, nam cùm multi peregrini errores Sinas pervaserint, putidum tamen istud convivantium animarum

Digitized by Google

rum delirium vix ullius, in quem quiſquam noſtrum hactenus inciderit, animo inſedit. Quo fit ut appoſitionem cibi ac potûs coram mortuis ad honorem prohibere non magis neceſſarium hìc quàm in Hiſpania videatur, cùm neutrobique gens ſuſpecta ſit prædictæ ſuperſtitionis quæ neutrobique viget, ac cujus ob virus in Italiæ Africæque partibus aliquot ſparſum olim, ab Ambroſio & Auguſtino vetabatur.

Societatis ſiquidem Patres in Sinis excolendis occupati hanc ſibi legem ſtatim ab initio dixerunt, ut non modò ſuperſtitioſa ſuis Neophytis ſeverè interdicerent, ſed ne illa quidem ipſis permitterent, quæ ſuperſtitionem in hocce Imperio redolent ac ſapiunt. Eâ de causâ nunquam litteratis licentiam dedere, ut ſolemni Confucii oblationi à veſtra Paternitate deſcriptæ miniſtrarent vel etiam intereſſent, quoniam ſic iſtud omni ſuperſtitione vacat, ut aliquam apud vulgus redolere poſſit, ob externam quamdam ſimilitudinem imperfectam, quam cum impiis idololatrarum ſacrificiis præfert, quamvis multiplici cum diſcrimine; ſed ejuſmodi ut ad illud vix advertat plebejus homo, qui forte in gymnaſium ſeſe inſinuat, dum ritus iſti celebrantur, ſicque ſcandali aliquid patiatur à Neophyto, quem exiſtimet cooperari puris illis quidem & vetuſtis ſinceræ ac priſcæ pietatis officiis, ſed quæ idololatra à ſuis profanis ſacris vix diſcernit; ſin autem graviſſima quandoque cauſa ſe offerat quæ paſſivo illi dubioque puſillorum ſcandalo præponderare

Digitized by Google

videatur, quid expensis omnibus circumstantiis suadendum, jubendum vel tolerandum prudentia doceat, novit Paternitas vestra, neque quemquam, ut spero, doctissimorum ac sapientissimorum sanctæ legis præconum latebit.

Quod si quid hactenus attuli quod ab Angelici Doctoris aut Sinicorum sapientium placitis abhorrere vel abludere vestræ Paternitati videatur, pergratum mihi fecerit si ab erranti devia, indicet, atque ad rectum tramitem permonstrando reducat, librorum capita & folia vestræ Paternitati perspectissimos eruditionis fontes non inserui, ne legenti molestiam ac fastidium in tanta brevitate crearem.

Cæterum ne fidem utcumque fallere videar, nisi præcipuis vestræ Paternitatis interrogatis clara ac præcisa responsa subjiciam.

Respondeo primò nos negare Confucium in Sinis pro numine haberi, tum quod nullum Sinam ità loquentem audiverimus, tum quod nullus cultus à Sinis Confucio exhibitus sit Religiosus, nedum latriæ.

Respondeo 2°. Solemnes ipsos Confucii ritus à vestra Paternitate descriptos non esse *sacrificia* strictè sumpta, qualia soli Deo vel vero vel ficto vel putato ex communi gentium consensu & Augustini offeruntur: quoniam licet intercedat mactatio animalis cum oblatione illius honorifica, ac similia quæ in nostris partibus stricti sacrificii essentiam obtinent, istius modi tamen essentiâ destituti sunt inter Sinas eò quod ejusmodi oblationes ex-

Digitized by Google

ternæ ex Sinica inſtitutione careant formâ morali ſacrificii, quæ ſita eſt in vi proteſtativâ ſubjectionis debitæ ei cui offertur, velut inſtructo aliquâ divinâ perfectione, hanc autem perfectionem Sinæ in Confucio nullam agnoſcunt, uti neque in progenitoribus, quos omnes in aliquo civili gradu collocatos, iis olim colebant ritibus qui priſci moris ſunt,& cæteris ita nunc denegantur, ut Confucio non ſecus ac regibus etiamnum concedantur.

Reſpondeo 3°. Oblationem ciborum paſſim mortuis factam in ſignum obſervantiæ multò minùs eſſe ſtrictum ſacrificium, ſed eſſe meram honorificam oblationem per modum ordinarii convivii.

Reſpondeo 4°. honorificam oblationem in modum convivii factam inter Sinas nihil illius ſuperſtitionis redolere, ob quam in aliquibus quondam partibus prohibita fuit, quaſi epulaturis mortuis convivium in eâ pararetur, nam ejuſmodi deliramento faſcinatum Sinam vix de millibus unum reperias.

Reſpondeo 5°. Tabellas Confucii ac reliquorum mortuorum non aſſervari cum inſcriptis litteris *Xin co* vel *Xin quey* & ſimilibus ex ulla ſuperſtione, ſed ad gratam memoriam ac venerationem merè politicam defunctorum parentum, aut magiſtrorum, quorum tabella eſt fixa repræſentatio quoad animam potiſſimum quæ *Xin* dicta, ſola ſuperſtes eſt, atque hæc firmitas per vocem *co & quey, ſedes animæ* deſignatur, unde quamdiu defuncti imago picta in privatis ædibus poſt obitum extat, iſtius modi tabella vel inſcriptio non apponitur.

Digitized by Google

Reſpondeo 6°. cum oblationes defunctis exhibitæ ſint honores merè politici, non ſacri, conſtare quod nec illarum adminiſtri, *Sacerdoies* ac *Diaconi*, nec menſa in quibus oblata vel tabella reponuntur, *altaria* nec ædes in quibus fiunt, *templa* propriè dici queant, hæc quippe nomina ſtrictæ ac propriè loquendo religioſum aliquem denotant finem, ad quem tendant: atqui nullus ex inſtitutione Sinicâ hic adeſt.

Reſpondeo 7°. vocem *miao* Confucii aulæ attributam propriè reddi non poſſe per vocem latinam, *templum*, quoniam ex Sinicâ tum primævâ tum præſenti inſtitutione vox *miao* vi ſuæ ſignificationis abſtrahit ab ædificio ſacro & profano, ſeu civili veluti genus à ſpeciebus quæ per adjunctam aliquam particulam & alteram vocem quaſi differentiam, determinatur ad factum vel civile, cui vox ſiſtiuſmodi addicta ſit. Sic *fo miao* cultum religioſum *fo* idoli; *cum miao* cultum civilem avorum declarat.

Reſpondeo 8°. vocem *Xim* intellectivam ſapientiæ virtutem per ſe primò ſignificare, præſertim in illo ſolemni cultu Confucii regiâ autoritate atque inſtar regii conſtituto: & quamvis aliquando virtutis moralis ab exquiſitâ ſapientia ut plurimum profluentis conſecutionem indicet, nuſquam tamen ſtrictam ſanctitatem ſignificavit inter Sinas, quibus ignota erat; & quam nihilominus Sacra Congregatio jam ab anno 1645. ſignificari exigit, uti Confucio titulus *Xim* prorsùs adimeretur.

Reſpondeo ultimo, quod tametſi rudiores ali-

Digitized by Google

qui à ſuis majoribus, & nonnulli, ſi ita lubet, à Confucio petant inter ipſas oblationes faciendas, is tamen error ac vitium operantis eſt quod P. Martinius non curavit, ſed intuitus finem operis ortum ex prima inſtitutione & melioris partis uſu confirmatum, rectè aſſeruit non deferri oblationes alioſque honores mortuis, ſpe alicujus novi beneficii ab illis poſcendo obtinendi, ſed gratitudinis ergo ad priſtina generationis, educationis aut inſtitutionis promerita memori ac reverenti animo aliquatenùs compenſanda.

Quòd ad ea, pectat quæ inter Europæos divinæ legis præcones tranſacta ſunt, fuſiorem diſcuſſionem utique non defuturam poſtulant: Ego hìc quæſtionem juris non facti in me ſuſcepi.

Digitized by Google

R. PATRIS JACOBI

LE FAVRE

E SOCIETATE JESU

MISSIONARII SINENSIS

DISSERTATIO THEOLOGICO-historica de avita Sinarum pietate præsertim erga defunctos, & eximia erga Confucium magistrum suum observantiâ, scripta anno 1668.

PROLEGOMENA AD R. Patrem Fratrem Dominicum de Navarette.

QUod de Confucii cultu scripsit opusculum Paternitas vestra, ego discendi cupidus attentè legi, eoque majori cum veneratione, quod sacri Ordinis dubitationes (uti vocavit eas aliquando Paternitas vestra) iterùm propositas contineret. Perlegi alia quinque opuscula quæ in unum codicem compegit ardentiore quodam zelo succensus abreptusque vir cæteroqui religiosissimus, quem non hic necesse est nominare:

Digitized by Google

[a] nihil autem non movet ipſe : nihil non molitur ; Sinarum pileum , abſtinentiam , pietatem ergà mortuos , ergà magiſtrum obſervantiam , religionem denique priſcorum gentis ſapientum vehementer inſectatur. Quin etiam ſocio amantiſſimos quietâ in Domino morte jam pridem perfunctos excitat è tumulo , ut eos nobiſcum & inter ſe committat.

In primis Patrem Martinum Martinez acerrimè impetit callido quidem conſilio : nimirum ut fluctus ii quos ſenſerat in pectore ſuo fuiſſe concitatos , propter reſponſa ſacræ Congregationis, eaque Pontificis Alexandri autoritate roborata , cùm non deſinerent agitari aſſiduè & æſtuare , tandem frangerent utrinque impetum ſuum in capite vulgaris ac privati hominis , adeóque ſine metu & periculo offenſæ gravioris : ſi tamen vulgaris ac privatus haberi poteſt vir ille qui de Miſſione ac gente Sinica tam præclarè eſt meritus tum laboribus pro ea , ex impoſito ſibi munere fortiter ac promptè ſuſceptis & exantlatis gloriosè in ipſa Chinâ , Europa , & interjecto inter utramque Oceano tum etiam libris in utroque orbe laudatiſſimis.

Reſpondeo ad egregiam veſtræ Paternitatis lucubrationem , in qua cum mihi multa notatu digniſſima occurrerint , tum iſtud potiſſimum ſuſpexi (ut ab ipſa ejus peroratione exordium ego mutuer) quod *nos omnes ac ſingulos* aſſerat *majorem Dei gloriam , fidei propaga-*

[a] *R. Pater Frater Antonius de Sanctâ Maria Franciſcanus de quo pluribus agit P. Sarpetrus Dominicanus Epiſtolâ ad Sacr. Congreg.*

Digitized by Google

tionem, animarum salutem præ oculis habere velut unicum nobis propositum scopum, in quem universa studia, labores, industriaque colliment Quod verò mox subdit *quamvis media admodùm diversa & pugnantibus quodammodo inter se sententiis, longissime ab invicem discrepantia ad optatissimum illum finem assequendum à nobis adhibeantur, nihil officere charitati*, vix adduci possum ut assentiar.

Præclarè vestra Paternitas ex philosopho assumit, quod intellectus voluntatem præcedat, sed præit ille, hæc non rarò sequitur præeuntem, quippe à natura constitutum sibi viæ ducem antegreditur, sed ardentis instar, tædæ, quæ cæcam potentiam regendo nonnunquam incendit, quandiu in merâ speculatione hæret, benignè ac tranquillè splendens illuminat ad nitorem, & vix ullum affectus motum ciet aut æstum, vix in alterutram partem inclinat; ubi autem in praxim incumbit, tum scintillat, ardet, vibrat, incendit, & quò ipse vergit, eò & voluntatem blandè allectam potenter impellit, dum ad electionem deducat. At quæ per adversantia sibi mutuò electionum usuumque activorum studia finem eumdem consectantur voluntates, vix ac ne vix quidem in amicos amplexus ruent, nedum in perfectam unitatem ex charitatis voto coalescent.

Quibus palatium seu aulas Confucii ac majorum clausas observari jubetis, nos reseratas pandi sinimus, bono utique utrinque animo sed minimè concordibus judiciis, imperiis ac voluntatibus. Proclive autem est ob naturæ

præsertim

Digitized by Google

præsertim corruptelam, ut permissæ rei aversatio ac horror in ipsum permittentem redundet sicque opinionum dissidia in opinantium divortia & sectiones paulatim degenerent.

Cui malo licet in magistris occurrere forsan valeret robusta veteranorum charitas, verendum nihilominus, ut tenerior illa & necdum sat robusta in discipulis ac tyronibus præstare id ipsum queat; quin imò vehementer nec vanè timendum, ne ex illis multi justitiæ zelo abrepti *obsequium se præstare Deo* existiment si eos fugiant, & aversentur, quorum superstitiones execrantur. Neque enim levis quædam ac de re parvi momenti disceptatio intercedit. Agitur de summa rei, de primi utriusque tabulæ mandamenti observatione, de fidei integritate; de divini cultus substantia litigatur, pugnatur pro aris & focis, pro pietate erga parentes vitâ functos quæ tanquam virtutis moralis apex majori apud Sinas in pretio est, quàm apud alias ullas gentes ipsis hactenus Europæis visa fuit.

Quo tandem pacto fiat, ut duplici pernicioso schismate distracta divulsaque Sinicæ Ecclesiæ membra necdum vegetiora miserandum in modum non dilacerentur ac discerpantur, dum isti in illos tanquam idololatras, illi in istos velut impios insurgent, quam quæso medicinam cruentis adeo vulneribus vestræ Paternitates parant? Quâ arte infligenda avertunt, vel inflicta sanant?

Si eam, in quâ versantur opinionem ita suis inculcent, ut contrariæ quam nos sequimur

Digitized by Google

probabilitatem non ſileant, minus opinor ad ſuum inſtitutum appoſitè ac parum omninò, ſi tamen aliquid proficient. Quis enim patrios mores, quos à puero cum lacte hauſtos ſemper optimos duxit, relinquere? Quis in odium & contemptum contribulium incurrere? Quis impii ac barbari invidiam apud populares ſuos paſſim ſibi conflare, quis gradus ac dignitatis quam præ cæteris omnibus ambit, vel amittendæ, vel non aſſequendæ periculum adire velit, ut ab iis officiis ac honoribus ſibi temperet quibus tutâ conſcientiâ & ſalvo ſimul honore fungi poteſt, quippe juxta probabilem ſententiam doctorum virorum cui conformare licitè ſe poſſe intelligit.

Quod ſi verò opinionem ſuam pro certâ veſtræ Paternitates tradant (quod equidem de viris doctis ac religioſis ſuſpicari non auſim) tum certè conſequens neceſſariò futurum eſt, ut noſtri à veſtris inter idololatras reponantur, noſque ipſi tam deteſtabilium errorum magiſtri vel turpiter ignari, vel vaferrimè maligni ſeductores audiamus apud eos, quorum linguis ac convitiis eo paſſim nomine vapulemus.

Aliunde enutritis & in noſtra militia exercitatiſſimis tot tantiſque pugilibus non deerit animus & arma ad quæ laceſſiti convolent, ut vim vi repellant, noſtrum ſuumque nomen à calumniis vindicent majorum, propinquorum, totiuſque nobiliſſimæ gentis honorem tueantur, ſapientiſſimi præceptoris ſui obſervantiam conſervent & divinæ legis apud ſuos exiſtimationi conſulant; Deus bone!

Digitized by Google

quot hinc exoriendæ contentiones, quæ rixæ, quæ jurgia, quæ dicteria! atque utinam ad inteſtina tandem etiam bella, funeſtaque prælia, ſummo cum adoleſcentis Eccleſiæ diſcrimine, imò certâ in tam luctuoſo ſcandalo ruinâ non deveniatur? *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala; verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Neque enim (ne inſalutatos ſanctiſſimos illos viros præteream quos tanquam innocentis inter nos diſſidii ſuo exemplo fautores & anteſignanos veſtra Paternitas appellat) neque inquam dirimenda nobis lis eſt, aut certamen ineundum intra privatos parietes; non imbellis calami aut penicilli præſidio agenda res: ut olim DD. Hieronymum inter & Auguſtinum, nec in umbratili ſcholæ paleſtra velitandum uti DD. Thomæ ac Bonaventuræ palam pro roſtris in apertâ luce & frequenti litteratorum Sinarum coronâ perorandum; in vaſtiſſimum Sinici Imperii campum educenda eſt Chriſtianorum juxta & Ethnicorum acies; acerrimo nobis gladio cæſim punctimque dimicandum.

An ita Hieronymus & Auguſtinus in Paleſtina vel Africa; in Galliis Thomas ac Bonaventura? abſit ut hoc de ſanctiſſimis atque arctiſſimo charitatis vinculo inter ſe colligatis viris exiſtimemus. Noverant enim ipſi ſtatim à naſcentis Eccleſiæ incunabulis Apoſtolicâ authoritate & exemplo ſapienter conſtituturum, ut ſicubi iſtius modi diſcordiarum periculoſa ſemina inter S. Evangelii præcones, ac fidei columnas pullularent, præſcinderentur illicò, ac radicitùs revellerentur, coacto ſci-

Digitized by Google

licet illorum cœtu, ad quos rei decernendæ, unitatisque ſtabiliendæ poteſtas à Chriſto prolluxiſſet; niſi forte privati doctores prius inter ſe cauſam amicè compoſuiſſent ac de promulganda veritate conveniſſent.

Eâ de cauſa Principes Apoſtolorum Petrus & Paulus aliique deinde non pauci Eccleſiarum Antiſtites anno poſt Chriſtum natum primo ſupra quinquageſimum Hyeroſolimis concilium indixerunt ac celebrarunt, in quo de ſolvendis à jugo circumciſionis Gentilibus ad fidem converſis adverſus Cerinthum, ideoque ut nonnullis placet, de ſanguine & ſuffocatis prohibendis ſtatutum fuit, ne diſſenſionis virus præceptorum vel ſaltem diſcipulorum animos afflans, in re multo minoris, quàm hæc noſtra ſit, ponderis unitatem fidelium vel tantillum labefactaret.

Quâ eâdem de causâ Apoſtolicus iterum cœtus anno 58. habitus, in quo de licito judæis legalium uſu ſancitum fuit, aut certè legalium utendorum licentia conceſſa eſt. Sacris adeo illuſtribuſque veſtigiis inſtitêre, deinde tot tantorum Conciliorum Patres. Atque inter cætera Gangrenſis in 6. Synodo gener. Conſtantin. in Trullo approbati, ubi ad res adeò minutas deſcenditur ut exortas diſſenſiones interminatione vel inflictione 20. anathematum ſubitò compeſcat. Non minus ſegniter de causâ lapſorum componendâ actum in Antiochenâ Synodo teſte Dionyſio Alexandrino, in Carthaginenſibus plurimis, in ipſa Romana maxima (ut vocat Euſebius) ac multis poſt annis iterum in Eliberitana,

Digitized by Google

controverſiam de rebaptiſandis hæreticis multa Africæ Concilia celerrimè dirimere ſtuduerunt, libellaticorum res pari diligentiâ iidem ſanctiſſimi cætus diſcuſſerunt ac definierunt.

Sed quid opus eſt ex vetuſtis remotiorum temporum monumentis accerſere, quod nobis in promptu ſuppeditat R. P. Franciſcus Joannes Baptiſta Moralez in reſcripto quod ad ipſius poſtulata dedit S. Congregatio ſuſpensâ manu ac mente; & ad tempus, quippe inaudita parte, uti ipſemet Pontifex declarat, & feſtinati mandati rationem reddit his verbis, " ſanctiſſimus Dominus noſter ad conſervandam uniformitatem in prædicatione " ejuſque praxi, omnibus & ſingulis Miſſionariis, cujuſcunque Ordinis, religionis & " inſtituti, etiam Societatis Jesu in regnis " Sinarum aut Chinæ, pro tempore exiſtentibus vel extituris ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sanctitati ſuæ, & ſanctæ " ſedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata, diſtincte præcipiendo mandavit, quatenus præfata reſponſa & reſolutiones diligenter obſervent, illiſque in praxi utantur; ac ab aliis " ad quos pertinebit obſervari & practicari faciant, *donec Sanctitas ſua vel ſedes apoſtolica aliud ordinaverit.* "

Certè quidem Paulus & Barnabas cum in eo diſſiderent quod ad fidei propagationem nullius prope momenti videbatur, tamen ibidem conſiſtere; atque eoſdem populos docere non ſunt auſi; qui idem in re leviſſimâ ad praxim ſpectante non ſentirent, divino nimi-

Digitized by Google

rum consilio & spiritus S. afflatu hæc excitata est dissensionis scintilla teste Chrysostomo homil. 16. in acta, *ut sacer qui ingemino Apostolorum pectore ardebat charitatis ignis distracta in varias regiones corpora ad cœlestia plurium populorum incendium proferret.* Usque adeò divinæ legis in eodem regno præcones idem velle, sapere, ac præstare debent.

Quocirca ne à vestræ Paternitatis sensu in hoc ipso exordio discedam, illis verbis stare malim, quibus suam ferè disputationem absolvit, dum testatur *hac eo animo se scribere, ut strenuè ventilata veritas purior eluceseat & in omnium ac singulorum animis altiores radices agat, ampliores que ac latiores per vastissimum Imperium diffundat ramos, sub quorum umbra jam prope maturi decerpantur fructus, & alba ad messem segetes copiosimè tolligantur.*

Missionarios itaque omnes unâ eâdemque veritatis armaturâ instructos, conjunctis animis viribusque, progredi & in omnibus convenire vestra Paternitas optat. Præclarè omninò, & planè ad votum meum, nisi statim videretur animos despondere diffidens scilicet fore, ut voti compotes fiamus omnes, dum adeò oppositas utriusque partis vias commemorat.

Sacri inquit, Ordinis Patres tutiorem arctioremque viam adamant: Societatis Patribus periculosior nempe & laxior arridet. Irane verò? macte animis Reverende Pater, potietur optatis vestra Paternitas, nullo negotio conveniemus; tutiorē arctamque illam & rectissimam, quam Christus præmonstravit doctrinæ viam vestra Paternitas expetit. Hac ipsâ jam pridem

Digitized by Google

initâ Patres Societatis constanter incedunt unà amicè pergamus, ac tutiorem illam viam prius indagemus.

Illud utique tutius est, quod minoribus paucioribusque periculis obnoxium est : ut ergo statuamus quænam è duabus viis tutior, investigandum est quibus utraque periculis sit obnoxia. Et quidem quòd ad rem nostram præsentem spectat, periculum hìc duplex sub esse potest : alterum errandi in magistro, alterum ab eodem errore peccandi in discipulis. Porrò illi ab errandi periculo longiùs absunt, qui certiorem sequuntur viæ ducem quam qui minùs certum sequantur : itaque vestræ Paternitates ducem habent suam profundiorem rerum Theologicarum scientiam, rerum item Sinicarum quam multorum annorum usus jam corroboravit. Et vero de Theologicâ eruditione ipsius ultrò vel unius antiquitatis nomine concedimus, sed neque hìc velim octoginta annorum & ampliùs experientiam in nostris, & celebratam apud Sinas ipsos, ducentisque & ampliùs voluminibus contestatam nostrorum peritiam in Sinicis allegare, ne aliqua in parte anteponere nos vestris Paternitatibus velle videamur, leviora hæc ducimus minusque firma præsidia : certioribus indubitatisque ducibus procedere placet, procul ab omni lapsûs formidine.

Ii sunt purpurati Patres, atque ipse Eminentissimorum Patrum supremus ac sanctissimus Pater, quorum vestigiis Apostolico rescripto impressis nos securi insistimus. Et quis lynceis ducibus oculatiorem se aut solidissimâ

Digitized by Google

veritatis petrâ firmiorem venditare se ausit ?

At enim, dicet vestra Paternitas per ignotos Romæ calles à Patre Martino Martinio aberrante circumducti, (pergat porrò, & quod sentit ingenuè promat, dicatque si fas sit) aberrarunt; sentiant, loquantur vestræ Paternitates uti libuerit. Nos sacrosancta interim vestigia veneiabundi deosculabimur & intrepidè consectabimur.

Cæterùm quàm sincera ac fide digna fuerit P. Martini Martinii relatio ex iis quæ postmodum adducenda sunt constare potest, clariùs verò vestræ Paternitati liquebit ex accurata rei discussione [a] ex ipsis authenticis facta & comprobata : quàm non temerè aut inconsideratè audito P. Martino Martinio sententiam tulerit sacra Congregatio pudet effari; res ipsa perse se loquitur apud eos qui integerrimos judices & arbitros, atque prudentissimam ipsorum in controversiis dirimendis methodum legemque norunt; maximè cum agitur de revocandâ, quam olim ad tempus dederant sententiâ, vel potiùs de absolvendo quod olim inchoarant opere. In illorum oculis qui pro rei decisione solliciti per suos instabant; poscebatur rei gravissimæ definitio, ad remotissimas perferenda regiones in quibus nisi post multorum annorum decursum, variaque sæpè naufragiorum discrimina ac vicissitudines, errata, si quæ irrepserint, emendari non valeant cujus quæso prudentiæ foret, tumultuariè necdum omnibus ritè perpensis decernere ?

a *Vide opusculum P. Joannis Dominici Gabiani S. I. &c.*

Neque

Digitized by Google

Neque verò effugium relictum est in iis decreti (anni 1656) verbis *ex diversitate facti* quasi non statueretur quid absolutè permitti, sed quid ex hypothesi diversitatis facti permitti possit. Mittamus ambages juxta vestræ Paternitatis expositionem, hoc erit oraculum è Petri Cathedra, post multas Eminentissimorum habitas, inquirendæ veritatis causâ, Congregationes, post illustrissimi ac Reverendissimi Magistri Sacri Palatii diligentem perveſtigationem: *Si ita res habet apud Sinas uti R. P. Fr. Joannes Baptista de Morales nobis olim proposuit, non est Neophytis permittendus Confucii ac mortuorum Patrius cultus: permitti autem potest, si ita res se habet, uti Pater Martinus Martinius exposuit.* Hic scilicet est tot mensium partus, tot vigiliarum fructus: hoc Purpurati Senatûs decretum, post tandiu libratas utrinque rationes, tandem aliquando prodit nusquam refigendum. Itane vero gravissimas dubitationes Apostolica Sedes solvere solet? Ita suorum periculosa dissidia componere, & scandalorum occasionem amputare? Siccine Ecclesiæ Sinicæ tranquillitati, & necessariæ prorsus Evangelicorum præconum unioni prospicere?

Sic optimus sanctissimusque Pater dilectorum filiorum paci & incolumitati consuleret? Annon porriguntur vexilla, gladii, faces, armaque nova quibus pars utraque militem denuò instruat, atrociusque dimicet? & id quidem ex condicto, ac mente supremi Imperatoris, qui bellum quod componere nolit, prosequendum censere, aut saltem permittere videatur. A sacra Congregatione suppliciter

Digitized by Google

postulat P. Martinus Martinius ut omnes sibi scrupulorum aculeos revellat; secundùm vestram Paternitatem acriores illa suo responso infigit.

O igitur frustra insumptos tot annos, factas tantas impensas, susceptos per tanta terræ marisque discrimina tot labores? Siquidem nihil aliud ex iis, præter novam funesti belli materiam reportandum erat? O infelices Societatis Missionarios & alumnos, quibus ne per ipsum quidem amantissimum pacis principem, ac parentem in remotissimis terris tandem liceat esse quietis. Sed licet enim verò, neque subtiliori ejusmodi ac violentâ interpretatione nostram interturbari quietem patiemur.

Non est quod nodum in scirpo quæramus, planissimus est prædictorum verborum sensus: ea consummatæ sapientiæ viri, sapientissimè inseruere; ut aliquatenus diversæ à pristina sententiæ nunc à se proferendæ rationem rederent *ex diversitate facti* non de qua dubii hærerent (temeritate namque non caret de re etiamnum dubiâ absolutè pronuntiare) sed quam deprehenderint ex accurata inspectione & examine duplicis codicis à Patre Martinio de more oblati; alterius quidem prolixioris, ex quo ad plenam rei notitiam pervenerant; alterius verò compendiarii, quem suæ sacræ definitioni præfixum, satis superque à calumnia vindicarunt.....

Annuentibus itaque, ut spero, vestris Paternitatibus concesso nobis per Pontificiam æquitatem & Paternam providentiam pacis

Digitized by Google

munere perfruemur; & veſtræ Paternitates hic juſtam evitandi ſcandali ſuperius commemorati, & debitæ ſimul erga ſanctam ſedem venerationis exibendæ voluntatem declarabunt in re verbiſque, leviſſimè dicam, non obſcuris, quæque, niſi aliam Pontificis mentem veſtris Paternitatibus apertiſſimè exhibeant quandiu ſaltem clarior illa & expreſſior ad quam anhelant, non affulgebit, abundè utique ad conſcientiæ ſecuritatem, quam mediocris etiam probabilitatis lumen conferre valet.

Quoniam autem de majori ſecuritate, diſputatur longè tutior fuerit illa cæci obſequii via quæ minoribus paucioribuſque periculis obnoxia eſt, quæ fuit ſecunda primæ dubitationis pars ſub initium propoſita, cui ut penitus ſatisfiat, pro certo ſumo, nullum nobis Europæis impendere ab utravis ſententiâ peccandi periculum, cùm utrique optima mente; & idoneis ad tutam conſcientiam fundamentis, quippe ſaltem probabilibus, procedant: quo fit ut Neophytis ipſis periculum non immineat, niſi forte materialis cujuſdam ſuperſtitionis? ſiquidem formalis & peccaminoſa ſuperſtitio ab eo non admittitur, qui operatur ex tuta conſcientia, quæ deeſſe non poteſt diſcipulo ſe conformanti cum doctrina magiſtrorum ac paſtorum ſuorum; ac licet ibi hallucinarentur, tantæ ſunt apud Neophytos autoritatis, ut in extremo hoc orbe nemo nunc adſit qui eos erroris ſuſpectos apud diſcipulos facere poſſit; imò nec qui id poſt Alexandri VII. diploma tentare ſine teme-

Digitized by Google

ritate auſit. Ad ſummum igitur ne in materiale duntaxat peccatum ſibi ignotum incidant, metuit veſtra Paternitas; at iſtud qualecunque ſit tandem, verum an fictum periculum, cum inſtantibus ex oppoſita ſententia periculis componamus.

Immenſum pelagus ingredimur: ſed compendio uſus, pauca de multis perſtringam ad recordationem: ne tædio ſim perſpicaciſſimo lectori, uno oculorum conjectu plurima per videnti: initium ducatur à Neophytis, quibus veſtra Paternitas perſuaſerit; ut ab avito Confucii ac majorum cultu velut illicito abſtineant.

Sincerè cum obſequentiſſimo ſervo & amico loquatur. An ſpondere pro illis omnibus velit, futurum ut nullis propinquorum invitationibus, precibus, minis & convitiis nunquam cedant? quando ſingulis ferè diebus horum turba apud illos importuna inſtabit, ne ſe communi ludibrio, invidiæ ac odio, cum inurbanitatis & impietatis turpiſſima labe exponant: ne familiam litterariis ſpolians honoribus à quibus omnis magiſtratuum opumque conſecutio, omne demum rei domeſticæ decus pendet & incolumitas: nec rixas inter domeſticos aſſiduas tam alta pace perfruentes ſuſcitent, ne rem ipſam Chriſtianam in dedecoris ac perturbationis diſcrimen adducant, ob res adeo uſitatas ac tritas, quid ſi addant, & quas tam multi Chriſtianæ legis cultores eximii, in aula ac præcipuis regni partibus in oculis ſuorum tanti nominis doctorum peragunt, quid agant Tyrones? tam va-

Digitized by Google

lidis machinis quaſſata eorum pectora an nunquam frangentur ? Admodum dubito. At veſtrarum Paternitatum dicta comminationeſque recurrent. Parentum, uxorum, liberorum, honoris commodorum amor hinc trahit; inde divinæ legis debita obſervantia & æternarum pœnarum horror revocat, aliorum doctorum indulgentia, & abſentium fratrum exemplum, hinc ſtimulos addit, at inde potentiſſimum frænum injicit præſentis paſtoris ac proprii auſteritas ac rigor. Tam diſtracti hinc inde, ac prope dilaniati animi ſanè me miſeret, eoque magis quod verear, ne ſcrupulo nec dum plane depoſito ei adhæreſcat, quod magis lubet, tametſi etiamnum anxio nondum liceat; atque ita in formalia prolabatur peccata quæ Deum graviter lædunt & animos fœdè coinquinant. Et demus futura horum non multa. At certè horum unum mille aliis illis duntaxat materialibus longè eſt deterius.

An, quæſo, à peccatis liberum veſtra Paternitas putet illum litteratorum præfectum de quo narrat, quod in oppido *fo nin cheu* per multos annos ad ſacram abſolutionem ſynaximque percipiendam adduci non potuerit, quibus nempe indignus judicabatur ob geſtum officium, ex quo conſuetos Confucio honores præſtare tenebatur. Audio veſtram Paternitatem inſuſurrantem, ſibi ipſi imputet ille ſuæque conſcientiæ, quæ noſtram ei doctrinam timorata ſuggerebat. Sed enim quis non miretur eum, qui per tot annos in gremio Patrum Societatis probi Chriſtiani, ſimul ac

Digitized by Google

litterati partes quietus expleſſet ſtatim atque veſtrarum Paternitatum contubernium eſt ſortitus, vehementibus adeò pernicioſiſque ſtimulis exagitari cœpiſſe: non ipſi profecto congeniti erant aut domo allati, ſed extrinſecus ac violenter infixi. Lugendum ſanè, quod ad ipſius ruinam, non utilitatem inhæſerint, & perfectioris valetudinis, atque ut putabatur curationis intempeſtivo ſtudio lethale vulnus integræ aliàs ſanitatis viro inflictum ſit.

Duos ego præfectos Chriſtianos familiares habui, in Provincia *Kiamſi*, quorum alter rei litterariæ, alter oppido moderabatur, adeò delicatæ conſcientiæ viros, ut abdicandi muneris conſilia mecum agitarent, unus quidem ob crebriora vanaque litteratorum ultrò citroque commeantium colloquia, quæ ſolitum piis operibus vacandi tempus ipſi adimerent: alter verò quod negotia illa publica, quibus obruebatur inter orandum crebrò menti recurrerent, eumque à priſtina ſuaviſſimaque cum Deo conſuetudine aliò avocarent: iſtud in primis utrumque angebat, quod jugum cæteris adeò expetitum excutere per imperatorem ægrè liceret; eas proponebant innocentis animi dubitationes, quæ me officii mei admonerent ac pudore nonnunquam ſuffunderent. Neque tamen uſquam mentionem fecere Confuciani illius cultûs, in quo deferendo primas vel ſecundas tenere ipſa eos præfectura adigebat, quid ſi pacatos commmoviſſem? quid ſi ulcus aperuiſſem inſanabile? quippe cui ſaniei materiam regia manus ſubtrahere forſan vellet, cùm una id valeret, quodque nec lavando

Digitized by Google

ægrotus, nec extergendo medicus lenire, nedum curare posset.

Unum superest extremum salutis animæ remedium, si scilicet in arenam Neophyti descenderent cum litteratorum turmis pro Regiorum in gratiam Confucii edictorum observatione pugnantibus. Quo in certamine pro religionis, ut existimarent, integritate suscepto occumbentes, nobilis martyrii palmam se reportaturos sperarent; si tamen id ei sperare fas sit, qui pro illius doctrinæ propugnatione oppetat, quæ infinitorum scelerum occasionem, tametsi præter votum, præbet. Quis enim neget infinita ab iis committenda, qui infidelitatem cum criminibus illi adjunctis deseruissent, nisi severior illa doctrina tot humanis incommodis referta ipsorum animos nondum divinæ lucis gratiæque robore communitos perculisset.

Testem appello ipsammet vestram Paternitatem in *Kin hea fu* quam unicam urbem sacer ordo in Sinis cùm incolat, hanc vestræ Paternitatis tantis sudoribus, vigiliis, industriæ, excolendam commisit. Quod ibi litteratis Ethnicis, vel potius cui illorum persuasit, ut abjecto penitùs Confucii cultu, ad sacra Christi castra transiret? quam multos ex honoratioribus, vel etiam plebeiis ad Christi gregem cum defunctorum parentum neglectu pertraxit? at quàm multi econtra vel sola doctrinæ ut illi vocitant, barbaræ & impiæ famâ à salutaribus monitis suscipiendis atque adeò audiendis absterriti sunt, qui ad ea ultrò convolassent, ac se finxissent, si spes patriæ

Digitized by Google

pietatis erga parentes & obſervantiæ erga magiſtrum cum divinis legibus conciliandæ ipſis affulſiſſet?

Quid ſi (quod Deus omen avertat) ad alias innumeras civitates & oppida, eadem de ſanctiſſima lege opinio dimanaſſet vel fama ſaltem percrebuiſſet, quaſi patrio ac piiſſimo parentum magiſtrorumve defunctorum cultu Chriſtiana religio ſuis omnibus interdictum velit, quotus quiſque eſt qui ſponte ad eamdem accedere cogitaret? quis econtra invitatus non reſpueret? inductus non reſiliret? ſubſiderent omnes ac volutarentur in ſuæ infidelitatis cæno, tot tamque nefandorum criminum perenni fonte; ex quo infinita ſingulis pene momentis flagitia ſcaturiunt.

Quæ deflens ac non parum ſtomachatus is, ad quem velut ſuæ illius auſterioris diſciplinæ amantiſſimum veſtra Paternitas provocat Sinus ſcilicet, litteris in ſacra *Lanki* æde ad Patrem Franciſcum Brancabi datis, apertè teſtatus eſt ſe extremo judicii die teſtem adverſus veſtras Paternitates inſurrecturum, quod nimia auſteritate innumeris Sinis aditum Cœli miſerandum in modum præcluderent. Parcas præfervido optimi alumni zelo, quem tamen non admodum ſtupebit, quiſquis ingenium gentis moreſque probè noverit.

Ita enim à natuta comparati affectique ſunt Sinæ, ut ſepoſito cœleſtis animarum procreatoris obſequio, nihil obſervantiæ erga corporis ſui progenitores, & animi cultores magiſtros, adeoque magiſtrorum magiſtrum Confucium antiquius habeant, cætera ſibi auferri utcumque

Digitized by Google

utcumque ferent, hanc autem inviolatam illibatamque etiam sanguinis sui effusione tuebuntur. Etenim si cœlum ac cœli filium hoc est Deum ac regem colas, *chum chin*, fidus es Dei, Imperatorisque subditus, si parentes ac magistros debito cultu venereris, *hiao çu*, obedientis filii laudem mereris & *Kiun çu*, vir probus haberis: si in iis pernoscendis exercendisque officiis excellas, in *Xin gin*, eximiæ sapientiæ virtutisque virum evades: si numeros omnes geminæ illius observantiæ constanter impleveris ad *chim*, perfecti viri culmen pertinges. Horum priori si desis, humanitatem exuisse videberis, in brutorum ordinem redactus: posterioris officia si negligas, aut etiam spernas, ad barbarorum sylvas ac speluncas ablegandum, sed egregiè priùs castigatum exclamabunt. Qui adversantia his institutis dogmata spargat, non eum quasi cordatum virum legisque præconem, sed velut vecordem & exlegem, è suis continuò finibus eliminabunt, nisi etiam graves ab eo temeritatis impietatisque pœnas antea exigant.

Testor ego non vestram Paternitatem unam sed & alios illos religiosos viros, qui quondam in hoc regnum ad *fokienſem* oram penetrarunt, & ardentiori zelo abrepti per metropolitanæ civitatis *focheu* compita crucifixi imaginem manu gestantes in Confucii ac mortuorum cultum Sinicum invehebantur, quam multos oro hac sanctâ insaniâ in Christi ovile intrare compulerunt? quem laborum fructum reportarunt. Non dubito quin maximum coram Deo in cujus conspectu pretiosiſſi-

Digitized by Google

ma ſunt vincula, carceres, deriſiones, ludibria, exilium, aliaque probroſiſſima ac duriſſima pro Chriſto tolerata verùm coronas noſtras alieno diſpendio coemptas nolimus; animarum lucra ſectamur, non jacturam; peccatorum prohibendorum viam quærimus, committendorum occaſiones fugimus, ut tutiori viâ, minoribus nempe peccandi periculis obnoxiâ incedamus.

Neque verò hoc peccandi periculum intra unius maritimæ Provinciæ, licet juſto regno per ſe æquiparandæ, fines ſe continuit, ad ipſam aulam illicò pervaſit: ex qua in univerſum regnum diffundetur. Magiſtri & avorum honoris tutandi ulciſcendique avidus nefarius quidam litteratus, conjuratione cum aliis ad ſumptus neceſſaria ſuppeditantibus inita *Pekinum* feſtinans contendit; appellit; ſupplicem Regi libellum porrigit adverſus ſanctam legem, quam velut pietati avitæ ac litteris infenſam infeſtamque cum ſuis præconibus perduellionis inſimulat. Et verò actum erat de rebus noſtris, niſi regis, cujus cor in manu Dei eſt, animum incredibili benignitate idem Dominus Sic inflexiſſet, ut libelli ſupplicis falſitate ex eo quo conſcriptus fuerat furore deprehenſâ, illum ipſum Patri Joanni Adamo tradidiſſet, monuiſſetque ut cautiùs deinceps procederemus, neque popularium præſertim litteratorum, quorum tanta in regno vis, potentia, & autoritas eſſet, animos exacerbaremus. P. Adamus univerſorum nomine gratias Clementiſſimo Deo atque Imperatori quam potuit ampliſſimas egit. Nos autem

Digitized by Google

magis magisque perspectum habuimus, quod jam pridem senseramus, quanti scilicet interfit ad salutem animarum in hoc regno procurandam, ad promovendam infidelium conversionem, & fidelium quietem stabiliendam, innumeraque atrocissima flagitia avertenda, Sinis in Confucii ac mortuorum cultu ea permittere, aut certè non omninò, palamque improbare & interdicere, quæ cum Dei & sanctæ Matris Ecclesiæ præceptis concordare possint.

Cæterùm tam vehemens fuit ea occasione in *fokiensi* Provincia concitatus in sanctam legem turbo, eaque sævitia exteris provinciis vastitatem tam late per litteratorum frendentium ora diffusus intentabat, ut insigni Christiano Doctori *yvam tim Kium*, necesse fuerit concionem Apologeticam edere, quâ divinam legem ab impietatis calumnia sic vindicaret, ut à superstitionibus pariter quæ ascititiæ sunt & non gentis propriæ illam alienissimam esse demonstraret.

Præterito igitur, quod evasimus, edocti periculo, ne nos novis iisque fortè gravioribus denuò objiciamus cum tot tantisque discriminibus infinitorum criminum ab aliquibus forsan Neophytis, & à plurimis proculdubio Ethnicis patrandorum, ut à levissimo aliquot forte materialium peccatorum (tutâ siquidem conscientiâ committendorum) periculo vel potiùs metu liberemus. Hæc nempe tutior via est, quam prudentia indicat, charitas suadet, animarum ac divini honoris zelus præcipit, sanctissimus denique ac securissimus & omni

nò ſequendus autor præmonſtrat.

Fatetur ipſamet Paternitas veſtra, cùm in uno aut altero *fokienſi* oppido, litteratos aliquot laureâ inſigniendos à conſueto Confucii cultu arcere voluiſſet; Ethnicorum alios grunniendo, alios diſſimulando rem ægrè tuliſſe, omnes certè non ſine indignatione, quæ conceptum ignem retinere diù nequit. Quod ſi pluribus eadem vis fieret; ſi toto Imperio cultus ille inhiberetur; tum profectò non grunnirent, ſed rugirent; non diſſimulando, ſed palam vociferando ac petulanter etiam irruendo & omnia ſuſque deque vertendo, ſexcentis denique divinam legem, & Chriſtianos opprobriis inſectando. *

Proh! quàm atrocibus innumeriſque flagitiis divinam bonitatem violarent proculcarentque! quare iterum iterumque veſtram Paternitatem per Chriſti viſcera obteſtor, ut illius ſanctiſſimum honorem animaſque ipſi dilectiſſimas in tam deflenda pericula ne conjiciamus.

Video id veſtra Paternitas peroptaret, id unum in via illa tutiori deſideraret, ut nimirum eſſet arctior: nihil repugno; arctiſſimam

* Eo pertinet quod habet Reverendiſſimus à Leoniſſa in reſponſionibus ad quæſita ſacræ Congregationis ſub finem.

La memoria, veneratione e culto di Chineſi verſo i loro Progenitori e Maeſtri defonti e coſi ſtabilita per leggi dell' imperio, che il contrario non si paſſa ſenza graviſſimo caſtigo, onde dice la legge *Mie chu chan*, cioè ſia decapitato chi diſtrugge i Progenitori defonti e cio s'intendio per chi apertamente voleſſe rimover, o toglier via totalmente tal memoria o culto.

Digitized by Google

omninò ſibi viam deligat teneatque veſtra Paternitas nemo nobiliſſimum majoris perfectionis ſtudium ſummis laudibus non extollet.

Verumtamen ſi Neophytos omnes in eaſdem viæ anguſtias compellere & compingere velit, vereor ſanè ut tam multos anguſtiſſimi limites capiant, & imbecilliores vires tam arduum iter ſuſtineant, atque giganteo paſſu procedentem parvuli ac nani aſſequantur. Ad altiora ſi vocentur culmina; aut non ſequentur timidi, aut infirmiores non pervenient. Per anguſtam ingredi portam difficile Chriſtus ipſe judicat. Quid de anguſtiore exiſtimemus? niſi planè impoſſibile futurum. Quas Chriſtus ſtatuit cœli viæ portæque anguſtias, nos ſeu obſequentiſſimi ſervi ac miniſtri metimur, veneramur, cæteriſque illius nomine & quo ipſe aperuit, modo indigitamus, non auſi vel nimiâ indulgentiâ laxare vel periculosâ aſperitate coarctare.

Arctiorem ubi ritè probata panditur, viam pro locorum, temporum, ac perſonarum opportunitate conſulendo commendamus, invitando, non terrendo: majoris perfectionis deſideria immittimus, incendimus, fovemus: at ſine importunis ſcrupulis, qui ſæpé infirmiores, quos pungunt enecant: nec rarò contingit ut qui præſtantioris vitæ ſpiritalis partum immaturè urget, ipſam communis lucis uſuram fœtui eripiat. Sublimioris quidem perfectionis ſtudio flagrat Paternitas veſtra, laudamus: & nos eòdem quoque rapit vitæ religioſæ profeſſio: via per quam citato curſu properabimus, quò aſperior erit arctiorque,

eò melior erit, & ad inſtitutum noſtrum magis accommodata: verumtamen ſi Neophytos quoque per eadem viarum aſpera arduaque pari celeritate raptare ſine delectu & cautelâ nitamur, vereor ne complures in viâ deficiant.

Apoſtolos utique perpaucos in jugo montis, at turbam maximè numeroſam in plano & campeſtri loco Chriſtus inſtituebat. Uni ſelectiſſimo adoleſcenti dictum fuit, *ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Similiter illa S. Hieronymi ſententia, per incredibilem ardorem animi, quo ipſemet æſtuabat, prolata, *per calcatum perge patrem* ad paucos eoſque invitatos pertinet: *honora patrem & matrem*, ad omnes ſpectat qui mandatis obtemperare debent.

Verbo dicam conſilia ſunt à præceptis diſtinguenda, ne devolvamur in præcipitia Novatiani & hoc magiſtro ſuo deterioris diſcipuli: paulatim prodigunt qui inflammantur pernicioſo quodam ſtudio alios ad arctiorem viam adigendi.

Multò minùs ferendum videtur ad ſuſcipiendum vitæ lavacrum à Sinis exigi illa, quorum ab iis extorquendorum vix ulla nobis ſpes relicta ſit, quæque minimè neceſſaria eſſe & ratio & autoritas perſuadeat: cùm Apoſtoli in primo concilio congregati diſertè ſcripſerint ad Neophytos: *Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria.*

Quod ut clarius evadat, & planè tandem conſtet de arctâ illâ viâ quam Chriſtus præmonſtravit, quamque illam ipſam eſſe contendo,

Digitized by Google

per quam Societatis Missionarii commissas sibi oves tutissimè deducunt ; fundamenta quædam Theologica præmittenda sunt , de quorum firmitate eò faciliùs mihi cum vestrâ Paternitate conveniet , quò studiosius majori cum fide petiturus ea sum ab Angelico Doctore. Neque enim in verba magistri jurare recusabo , ut arbitro tam venerando feliciùs & amiciùs controversia nostra dirimatur aut potius componatur. Verbo lapsus sum qui controversiæ nomine sum usus post Apostolicæ sedis definitionem , cujus non tam patrocinium quo non eget ipsa , quàm perbrevem expositionem in me suscipio , quatenus aliquid conabor in lucem educere de pontificiis opibus , quæ cum jamdudum in Apostolico ærario reconditæ laterent , nuper etiam nobis munificentissimè sunt referatæ ac depromptæ : neque tamen involabo in ditissimam possessionem R. P. Jacobi de Morales Rectoris collegii Manilani è Societate nostra.

Aureum illud opus intelligo in quo (adnitente Reverendo Patre Antonio Rubino Provinciæ Japonicæ & V. Provinciæ Sinicæ visitatore) quasi nobilissimus mercator Evangelicus pretiosissimas quasque merces ad Sinicarum animarum lucra sapienter congessit ex iis selectiores quosdam fasces Romam detulit Pater Martinus Martinez , obtulitque sacræ Congregationi : admisit illa , diligenter inspexit , atque editis deinde consentaneis illi doctrinæ sanctionibus , approbasse videtur : ego res aliquantò magis hìc evolvam , tum ut Paternitati vestræ morem geram , tum

Digitized by Google

etiam ut quadam tenus satisfiat illis qui tantum momenti constituunt in quibusdam revera minutiis, ad quas nemo queat descendere, qui ab hac China toto sit orbe dijunctus; nec eas contueri tametsi lynceis oculis sit præditus, nisi propior nobis fiat, & Sinicis caracteribus velut idoneis quibusdam perspiciliis eadem contempletur & ipsis quodammodo manibus pertractet.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Prænotata Quædam Theologica.

NOta 1°. Sacram Congregationem universalis Inquisitionis bis interrogatam de Sinicis ritibus ad religionem spectantibus, bis tulisse sententiam à summo Pontifice approbatam : verum cùm responsa quæsitis accommodata plurima fuerint, ea tantum hic oculis subjicienda selegi, quæ ad mortuorum, & præcipuè ad celeberrimi inter Sinas Philosophi Confucii cultum attinent; eo quod de cæteris olim controversis, nunc universi nullo negotio conveniant.

Advertendum vero, quod in decursû dissertationis clariùs patebit, diversorum annorum responsa nullatenùs inter se pugnare, quandoquidem anno 1645. data illicitum pronunciant eum Confucii ac mortuorum cultum, qui expositus fuerat in quæsitis illius anni & forte à nonnullis profugis ad Philippinas insulas Sinis Sinarumve nepotibus, ibidem procreatis usurparetur; quæ verò responsa anno 1656. prodierunt, eum Confucii ac mortuorum cultum licitum esse affirmant, qui à Sinis hoc regnum incolentibus & paternas leges observantibus exhibetur.

Eâ re Innocentius X. sapienter indicavit se non Sinas omnes superstitionis notare, sed eos duntaxat quorum crassissimi errores tam

Digitized by Google

perſpicaci gente indigni referebantur ; dum ſuo decreto has voces ſuperiùs deſcriptas intexuit, *donec ſanctitas ſua vel ſedes apoſtolica aliud ordinaverit.* : quibus certè inſinuat aliud ſe habere in animo quod de rebus Sinicis exquirat, ac tandem decernat.

Iſtud feliciter præſtitit Alexander VII. dum ſacræ Congregationis reſolutiones in Sinici cultus favorem allatas abſolutè ac ſine ullâ indagatoriâ clauſulâ approbavit : quæ porrò ſuperſtitioſa in cultum Confucii aut mortuorum ſic irrepſere, ut nulli planè toletanda viſa ſint, de iis quaſi dubiis Romæ quæſtionem movere ſupervacaneum Patri Martinio viſum eſt.

Nota 2°. Diſſertationem hanc eò potiſſimum ſpectare ut expendatur *an cultus Sinicus erga, Confucium ac mortuos ſit ſuperſtitioſus necne?* Atque cùm ſuperſtitio ſit falſa religio, religio autem ſit cultus Deo debitus ; ſicque latiùs pateat cultus quàm ſuperſtitio, ac religio : quippe non modo religioſi, ſed & politici quidam cultus ſunt, omnes ſub cultu velut ſpecies ſub genere contenti, ipſique tam veræ quam falſæ religionis cultus non unius omnes ſunt naturæ ; idcircò operæ pretium eſt aliquam iſtorum cultuum inter ſe diſcernendorum certam regulam conſtituere. Neque hæc aptiùs aliunde peti poteſt, quam ex eo capite ex quo actiones reliquæ humanæ ac morales dignoſcuntur, per quod idem in eſſentia ſua conſtituuntur, per quod ab omni alio diſtinguuntur ; iſtud nimirum obtinent in ordine ad objectum formale, ad quod

Digitized by Google

velut finem intrinſecum ex natura ſua tendunt 1. 2. q. 7. art. 4. Cultus itaque ſeu veneratio vel honor (hæc enim promiſcuè ex vulgari loquendi modo uſurpare deinceps liceat) cultus inquam, ſeu honor eſt actio humana perſonæ honorantis aliquod aliud à ſe; illud autem aliud eſt res cui honor defertur, & quæ locum obtinet objecti materialis, termini ac finis cui; ratio verò formalis ob quam illud honoratur, eſt ratio conſtitutiva objecti formalis; atque ex his duobus velut ex materiâ de ſe indifferenti, & ex formâ determinante exurgit id quod objectum formale cultus appellatur.

Atque cum hæc ratio formalis ſit id quod per ſe primò ſpectatur in cultu, uti & in omni alia actione humana, hinc Philoſophi & Theologi in ordine ad ipſam definierunt cultum eſſe teſtimonium virtutis, (ob quam nempe virtutem exhibetur honos qui & præmium virtutis à Philoſopho paſſim dicitur in moralibus eo quod ſit debitus, ob virtutem tamquam meritum) rei cui honor exhibetur. Hæc porrò res per ſe primò eſt ſuppoſitum naturæ intelligentis, quod ſolum per ſe & propter ſe eſt dignus terminus honoris, cætera verò propter illud & ob peculiarem ad ipſum relationem: ſic honor exhibetur ſtatuæ propter perſonam quam repræſentat, & in quâ velut proprio termino honor ſiſtit, quamobrem in cultu quolibet diligentiùs eſt attendenda ratio ſeu virtus propter quod defertur, & ad quam dirigitur cultus, ſive ex intentione ipſius deferentis, ſive ex intentione eorum qui

Digitized by Google

cultum ejusmodi instituerunt; ut statuatur quisnam essentialiter ille sit secundum differentias suas genericas ac specificas, vel politici a religioso vel religiosorum inter se.

Nota 3. Religionem (quæ 2. 2. q. 81. est pars potestativæ justitiæ unius è quatuor virtutibus Cardinalibus) esse virtutem quâ redditur cultus Deo debitus, quatenus & quâ ratione debitus est; atque cùm homo ex animâ & corpore constans à Deo conditus sit, cultus quem is Deo debet partim internus est, situs in actibus intellectus & voluntatis, quibus de Deo rectè & ut par est sentiat, eique bene velit; partim exterior est qui consistit in actionibus externis idoneis ad Deum pro dignitate & ut æquum est coram hominibus honorandum, debitâ scilicet atque accommodata protestatione interni cultus qui in animo resideat, juxta illud Chrisostomi homilia 25. in Matthæum *omnia membra animæ & corporis non solum tibi ad usum Deus creavit, sed sibi ad gloriam.*

Cui concinit D. Th. 2. 2. q. 81. art. 7. *non modò interioribus actibus ipsa religionis virtus perficitur sed exterioribus; non quidem principaliter, sed quasi secundariò & ut ad interiores ordinatis* & q. 84. art. 2. *quia ex duplici naturâ compositi sumus, intellectuali scilicet ac sensibili duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem quæ consistit in interiori mentis devotione, & corporalem quæ consistit in exteriori corporis humiliatione.*

At isti omnes actus ex q. 81. art. 3. *tendunt in Deum tanquam principium gubernationis & creationis*, quippe divinas inter perfe-

Digitized by Google

ctiones hæc ratio principii, gubernationis & creationis videtur esse radix earum, quæ ordinem ad nos habent, adeoque ob quas peculiariter cultus Deo gubernatori, conservatori, & conditori a nobis debetur, quamvis universim & absolutè loquendo nulla divina perfectio sit ob quam Deus non sit cultu ac reverentiâ dignus: quocircà objectum formale adæquatum religionis ac cultus religiosi, est Deus quatenus perfectione ac virtute divinâ instructus est; tametsi inter divinas illas perfectiones quatenùs ipsis debetur cultus à nobis peculiariter prima, & quasi objectum formale attributionis sit principium gubernationis & creationis: neque sine causa gubernationem creationi appellando præmisit, quoniam gubernatio primas tenet juxta nostram naturalem notitiam, secundum quam faciliùs & à pluribus principium gubernationis quàm principium creationis ex effectibus deprehenditur, & effectus gubernationis in plurium attributorum divinorum cognitionem per sese nos deducunt putà, sapientiæ, justitiæ, bonitatis.

At objectum secundarium religionis sunt creaturæ, quatenùs aliquid divinæ perfectionis participant, sive intrinsecè per unionem realem cum Deo, uti natura Christi humana hypostaticè unita verbo sive, per aliquam peculiarem habitudinem ad perfectiones divinas, eam nempe quæ naturalem ipsarum exigentiam superet, uti sacerdos vi suæ consecrationis, aut sanctus vi status glorioſi, quem in cœlis obtinet.

Digitized by Google

Colliges ex his quid religioſus cultus à politico differat : religioſus enim eſt is , qui exhibetur alicui ut debitus ipſi , propter virtutem aliquatenùs divinam ſeu Dei propriam , & creaturâ naturali ſuperiorem : Politicus eſt qui exhibetur propter virtutem aliquam , ſeu perfectionem , quæ nihil divini habeat , atque creatæ naturæ exigentiam non ſuperet. Ita qui D. Ludovicum v. g. ob regiæ dignitatis excellentiam colit , eum cultu merè politico proſequitur : qui eum colit ob gloriam quâ in cœlo potitur , cultu religioſo veneratur , non tamen cultu latriæ ſed duliæ , quoniam ſanctitas ob quam illum colit , velut perſonam de ſe dignam cultu, qui immediatè in ipſa ſiſtit , non eſt perfectio divina intrinſecè illum afficiens , ne per unionem phyſicam quidem , ſed eſt virtus creata ſuperioris ordinis quam ſit illa natura condita , adeoque in divino ordine aliquatenùs conſtituta , cum dependentiâ tamen a Deo quaſi merè famuli à Domino , verum hanc meri famulatûs rationem cum B. virgo Deipara matris dignitate ſic vincat , ut ad intrinſecam , ſimpliciter cum Deo unionem non perveniat , proprio honoratur hyperduliæ cultu medio inter latriam & duliam.

Itaque cultus politicus uti & politica gubernatio ipſique præſtitutus finis , intra naturalis virtutis ac perfectionis terminos concluditur ; cùm extra illos vagetur & ad ſuperiora aſſurgat cultus religioſus aliquatenùs divinus , ſive illius objectum primarium ſpectes, quod eſt divina perfectio intrinſeca , ſive

Digitized by Google

ſecundarium, quod eſt divina externa gubernatio & creatio & ea quæ peculiariter cum iſtis connexa ſunt, uti Angeli, Sancti, nec non homines, aut aliæ res divino cultui dicatæ, velut ipſius Dei miniſtri aut inſtrumenta ad divinam gubernationem aut creationem, ad cujus altiſſimos fines humana certe natura aliqua conditione ſuperiores ordinatæ evehuntur, ſicque in ſuperiori & aliquatenùs divino ordine collocantur: quippe Deus corporalia omnia, propter hominem, hominem autem propter ſuam gloriam ſupernaturali fruitione ab eo obtinendam condidit ab initio, & novisſubinde productionibus tum per ſe, tum per alios deputatos miniſtros conſervat ac gubernat.

Unde ſymmachus in Apolog. adverſus Anaſtaſium Imperatorem, hoc affert politicæ gubernationis ab Eccleſiaſticâ ſeu religioſâ diſcrimen, *conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum diſtat, quantum ille humanarum rerum curam gerit, iſte divinarum.* Res nimirum humanæ ſunt quæ naturalis humanæ conditionis finem non excedunt, divinæ vero, quæ ad ſuperiorem aſſurgunt. hæc ipſa eſt doctrina Suaris de defenſione fidei lib. 2. c. 4. n. 5. ex ratione honorandi reliquias, quæ major eſt omni humanâ juſtitiâ, vel dignitate politicâ, rectè colligimus honorem etiam eſſe altiorem atque ita ſacrum eſſe.

At dum cap. 10. n. 5. ſcribit ex doctrinâ Divi Thomæ q. 84. *mens & affectio eſt quæ qualitatem cultus conſtituit*, intelligendus eſt de men-

Digitized by Google

te actuali illius, qui cultum exercet, vel certè de mente illorum, qui cultum instituerunt; quæ mens si ad divinam virtutem tendit, ad quam cultus dirigatur religiosa est, si naturalem duntaxat virtutem spectat, intra fines politici hæret. Hæc porrò omnia ad propositam quæstionem quantopere necessaria sint, postmodum patebit, uti & quâ de causâ pietatis vocem in fronte dissertationis posuerim. Interim.

Nota 4. ex divo Thoma 2. 2. q. 101. art. 3. quod *pietas specialis virtus est, quâ quis officium & cultum exhibet parentibus, patriæ & consanguineis.* Atqui parentes inter illos, quos pietas spectat primus est Deus, si quidem ex art. 1. *pietas non modo in Deum sed parentes, patriam & consanguineos extenditur, quamquam in Deum principaliter, secundariò ad alios extendatur.* Officia quædam ad commodum, putà sustentationem erga parentes, imperat pietas ex art. 2. erga cælites verò ac defunctos alia officia quæ cultus non imperat iis quos fides nihil docuit de purgatorio, in quo detentis animabus possint vivi suis bonis operibus prodesse.

Pietas itaque latiùs patet quam religio, cùm præter superos & aliquid divini habentes mortales, quos ista veneratur, illa præterea quoscunque homines seu vivos seu vitâ functos aliquo necessitatis vinculo colligatos justis officiis prosequatur.

Nota 5°. Inter actus religionis præstantissimum esse sacrificium, de quo cum gravissima postmodùm disputatio futura sit, ideò præmitto ex divo Th. 2. 2. q. 86. art. 1. *ex naturali*

Digitized by Google

tali lumine procedit quod homo quibuſdam ſenſibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in ſignum debitæ ſubjectionis & honoris ſecundùm ſimilitudinem eorum, qui dominis ſuis aliqua offerunt in recognitionem Dominii; hoc autem pertinet ad jus naturale. & art. 2. *cum Deus ſit animarum noſtrarum creator & beatificator, ei ſoli ſacrificiorum honos exhibendus eſt.* Ex quibus efficiunt Theologi ſacrificium ex eſſentia ſua eſſe oblationem factam Deo ad ipſum venerandum ac recognoſcendum (ut Suari quidem placet) tanquam primum principium & ultimum finem, ac Dominum univerſorum (uti vero exiſtimat Vaſquez cui ſe adjungit Delugo) tanquam Dominum vitæ ac necis. Utraque ſententia, & uterque articulus divi Thomæ non incommodè conciliari poteſt, ſi rationes primi principii, & ultimi finis ſeu creatoris ac beatificatoris animæ, atque ratio Domini vitæ ac necis ſumantur ſaltem disjunctivè non autem neceſſariò conjunctivè, quaſi diceres, ſacrificium eſſe oblationem proteſtativam reverentiæ ac ſubjectionis debitæ Deo, velut primo principio ac conſequenter ultimo fini, velut Domino vitæ & necis, velut primo principio ſimul ac Domino, adeout oblatio quæ eſt actio proteſtativa reverentiæ ac ſubjectionis, ſit quaſi materia; vis autem proteſtativa reverentiæ ac ſubjectionis propter excellentiam primi principii, vel ſaltem Domini vitæ ac necis, quæ in Deo recognoſcitur, ſit inſtar formæ conſtitutivæ ſacrificii.

Sic intelligitur quo pacto gentilica ſacrificia rationem ſacrificii obtinuerunt,

Digitized by Google

eò quod essent oblationes factæ ei quem putabant aut fingebant primum principium in aliquo saltem genere, putà Minervam primum principium sapientiæ; Martem victoriæ, & similium, vel certè Dominum vitæ ac necis utpote quem venerabantur ac rogabant velut eum qui sine cujusquam injuria potest ipsis vitam adimere vel conservare; atque aliquo modo independenter ab alio; cum ita ipsius opem implorarent, ut non existimarent alterius superioris auxilio, vel jussu aut permissione opus esse, ad id quod poscebant, consequendum.

Quanquam ex divo Thoma art. 2. jam citato *in oblatione sacrificii non pensatur pretium occisi pecoris, sed significatio quod hoc fit in honorem summi rectoris totius universi* ex quo deduci videtur virtutem illam supremi rectoris totius universi, esse efficientem terminum particularem sacrificii seu oblationis sacrificativæ, quæ fiat alicui ut summo rectori totius universi, & si non attendatur in ipso ratio primi principii, productionis, vel Domini vitæ ac necis, sicque sufficere videtur ad rationem genericam sacrificii qnod fiat oblatio in protestationem reverentiæ ac subjectionis erga eum, in quo virtus aliqua seu attributum numinis proprium agnoscitur.

Quare sacrificium generatim & essentialiter erit oblatio ex instituto protestativa subjectionis debitæ alicui propter divinam perfectionem sibi intrinsecam. Quæ definitio ipsis impiis idololatrarum sacrificiis competit, cum illi oblationes ei faciant, in quo aliquod sal-

Digitized by Google

tem attributum divinum fingunt, quod ex divinâ quam in eo comminiſcuntur naturâ fluat, atque iſtud ſignificat Aug. lib. 1. de civit. cap. 19. dum docet dæmones invitare homines ut ipſis ſacrificent, *non cadaverinis nidoribus, ſed divinis honoribus.* Divini enim honores ſunt hoc ipſo quod in cultum alicujus divinæ perfectionis exhibentur.

Nota 6°. Religionis virtuti (quæ ex lib. 2. & lib. 5. Eth. reliquarum Cardinalium inſtar in medio conſiſtit) per defectum opponi irreligionem, cujus præcipua ſpecies eſt Atheiſmus; per exceſſum verò (ait div. Th. q. 2. 2. art. 1.) religioni opponitur ſuperſtitio, quæ breviter à Leſſio & aliis deſcribitur falſa religio, ſeu falſus Dei cultus. Eſt autem falſus ac deformis objecto, in quantum extendit ſe extra limites objecti ſui, dum cultum Deo debitum, tribuit ei cui non debetur, & quâ ratione ſeu proportione non debetur, ut qui creaturam pro Deo aut dæmonem pro ſancto veneratur, vel in quantum prætergreditur limites modi in cultu religioſo convenientis & idonei, uti ſi quis Deum per abolita mactationis animalium ſacrificia nunc colere, aut ſanctos ineptis ad ſacrum cultum cærimoniis venerari niteretur.

Hæc divus Thomas art. 1. citat. paucis tradit de ſuperſtitione quæ *exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* At ſuperſtitio alia eſt interna ſita in voluntate tribuendi ſacri cultus, ſive exterioris ſive interioris, ei cui non eſt debitus, quaſi ei debitus eſſet; iſte autem voluntatis actus, alium

Digitized by Google

ſupponit actum intellectus voluntatem dirigentis, qui quidem in fide aliquatenùs erroneus eſt (ſaltem ut plurimum) cùm per ipſum ſaltem practicè judicetur, rem eſſe ſacro dignam cultu, quo revera minimè digna eſt, vel actionem aliquam eſſe ad ſacrum cultum aptam, ad quem ex fidei principiis minimè apta eſt: ſicque ſuperſtitio propriè & ſtrictè loquendo per ſe 1°. ac proximè cum religione, remotiùs verò & quaſi per ſe ſecundò cum fide pugnat.

Dixi, *ſuperſtitio propriè ac ſtrictè*; nam ſi quis ad cultum ſacrum aliquid adhiberet de cujus ineptitudine ad talem cultum, fide conſtare non poſſet ex revelatis, ſed tantum ex prudenti hominum lumine naturali utentium ac præſertim in religioſa authoritate conſtitutorum judicio, hic cultus minus ſtrictè eſt ſuperſtitio, & vulgò vana, frivola, inanis ſuperſtitio vocatur: quæ lumini potiùs naturali, quam fidei adverſatur.

Vanam ſuperſtitionem ex genere ſuo venialem duntaxat eſſe Cajet. & Leſſius ſentiunt. De quâ divus Th. q. 93. art. 2. *ſi autem aliquid ſit, quod quantum eſt de ſe non pertinet ad Dei gloriam neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum aut quod carnis concupiſcentia moderatè refrenetur, aut etiam ſi ſit præter Dei & Eccleſiæ inſtitutionem vel contra conſuetudinem communem, totum hoc reputandum eſt ſuperfluum & ſuperſtitioſum, quia in exterioribus ſolum conſiſtens ad interiorem Dei cultum non pertinet.* Hactenùs divus Thomas.

At Layman lib. 4. tractatu 10. cultus ſuper-

Digitized by Google

fluus est vel quia ex se ipso inanis & ad excitandum spiritum inutilis est, vel quia ab Ecclesiæ statuto & consuetudine abhorret, universim autem ad dignoscendam quamlibet superstitionem, inspiciendus est intellectûs error, à quo illa procedit, & pro gravitate materiæ in quâ versatur, pro longiori aberratione à vero cui opponitur, ac demum pro tenacioni adhæsione intellectûs ad errorem internæ superstitionis crescit.

Alia superstitio est externa: quæ cum eatenùs mala sit, quatenùs interioris superstitionis est protestativa, si in animo externam operationem exercentis versetur quoque interna superstitio, cujus illa protestativa est, tunc erit interna simul & externa superstitio, de cujus malitiâ nemo dubitat, ob formalem illius oppositionem cum fide ac religione; sin autem actio externa protestativa sit interioris superstitionis, quæ ab animo operantis absit, est ficta quodammodo & externa duntaxat superstitio intrinsecè ac per se loquendo; si tamen fieret ex animo absentis internæ superstitionis coram astantibus simulandæ, quasi hæc adesset, ut si quis Catholicus coram Calvinistis averteret vultum à cruce, uti videretur idem cum ipsis de cruce sentire, cùm tamen contra sentiat, tunc quoque certum est quod prædicta actio externa foret mala, saltem extrinsecè ob malam rei impiæ fingendæ intentionem, à qua ejusmodi actio externa imperatur, & per quam dirigitur in pravum finem superstitionis internæ manifestandæ, licet falsò & fictitiè.

Digitized by Google

Atque hoc ſuperſtitionis externæ genus aſſerit D. Th. 2. 2. q. 94. art. 2. & 3. adverſari fidei ac religioni, cùm externum honorem uni Deo debitum tribuat creaturæ, ſicque judicet honorem illum externum qui uni Deo debetur, poſſe creaturæ communicari contra quam fides doceat, quod ſi deſit ejuſmodi prava intentio & ſuperſtitio merè externa exerceatur ob finem de ſe bonum, aut certè non malum v. g. liberandi ſe ab extremo vitæ diſcrimine, tunc quæri ſolet utrum intrinſecè mala ſit ejuſmodi actio externa ſuperſtitioſa, adeò ut in nullo caſu licita eſſe poſſit, negare videntur Lorca, Cajetan, Medina, Abulens; poſt Adnax. in 4. tract. de Bapt. dum actionem ejuſmodi in aliquo caſu licitam eſſe cenſent.

Econtrà Vaſquez 1. 2. diſp. 182. c. 8. Suar. de fide diſp. 4. lib. 9. de leg. & alibi, item Valentia, Sanch. Fonſeca & alii de Societate paſſim affirmant, actiones illas intrinſecè & ex naturâ ſuâ ſic malas eſſe, ut in nullo prorſus caſu ſint licitæ, eò quod prohibeantur præcepto divino negativo, quod ſemper & pro ſemper obligat, eſtque latum à Chriſto Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & eum ego coram Patre meo qui in cœlis eſt*; ſequitur verò ex alio præcepto poſitivo fidei exteriùs profitendæ, quod refert divus Paulus Roman. 10. *corde creditur ad juſtitium, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Atqui hoc præceptum poſitivum, etſi obliget ſemper, ſed non pro ſemper ad confeſſionem fidei faciendam; tamen nunquam deſinit obligare, ne quid-

Digitized by Google

quàm ponatur fidei professioni contrarium; ponitur autem per professionem externam falsam fidei sive operibus sive verbis factam, cum utraque sit os cordis, seu reserativa arcanorum cordis.

Ex quo etiam inferunt externam illam protestationem ex natura seu essentia morali connaturali hominibus posito statu fidei, esse malam quippe injuriosam religioni dum coram hominibus denegat Deo honorem debitum, aut eum transfert in alienum, sine Dei veri Domini licentiâ. Injuriosa pariter est fidei cui falsitatem coram hominibus imputat iis operibus, aut verbis, quæ significent aliquem errorem fidei contrarium: unde fit ampliùs ut sit mendacium in re gravi & pernicioſum alteri, nempe Deo ipsiusque fidei ac religioni, quod de se malum est. Huic postremæ sententiæ ita libens subscribo, ut priorem ab ipsa magis in modo loquendi, quam in re discrepare putem. Etenim vel agitur de superstitione illâ externâ, materialiter ut dicam sumptâ, pro actione externâ in omnibus suis circumstantiis etiam ad ipsius moralitatem spectantibus, sed seorsim ac divisim à virtute protestandi superstitionem internam, quæ virtutem habet dependenter ab institutione hominum, vel agitur de superstitione externâ formaliter sumptâ & in sensu composito illius virtutis protestandi superstitionem internam: si priori modo, constat inter omnes quod intrinsecè & ex naturâ suâ non sit mala, patetque in mactatione victimæ coram idolo factâ, quæ quidem ex naturâ suâ etiam morali mala non est, si se-

Digitized by Google

cludatur vis proteſtandæ voluntatis colendi Idoli pro Deo, quam vim obtinet dependenter ab inſtitutione hominum & ſi independenter ab intentione mactandis illam victimam juxta definitionem Divi Auguſtini, *ſuperſtitioſum eſt quod ab hominibus inſtitutum eſt.*

Si poſteriori modo res accipiatur & in ſenſu compoſito prædictæ vis proteſtativæ, clarum videtur, quod ſuperſtitio illa externa ſit intrinſecè mala etenim eatenùs mala eſt, quatenùs eſt proteſtativa ſuperſtitionis internæ, ſicque oppoſita religioni ac fidei; atqui hanc vim proteſtandi includit velut formam proteſtativam ipſius, in ratione ſigni ſeu actionis proteſtativæ, quemadmodum licet paries albus ſpecificativè, ut aiunt ſumptus, pro ſubſtantia parietis ſeorſim ab albedine, non ſit ex naturâ ſuâ diſgregativus viſus, tamen idem paries albus reduplicativè ſumptus & conjunctim cum albedine, eſt ex naturâ diſgregativus viſus, eſt enim totum quoddam confectum ex ſubſtantiâ parietis velut materiâ, & albedine velut formâ primo conſtitutivâ illius in ratione talis totius; atqui ita res ſe habet in omnibus artificialibus, ad quorum naturam & eſſentiam ut arte facta ſunt, pertinet figura.

Certè non memini me legere quod prædictorum auctorum ullus affirmet licere ſuperſtitiones illas externas omnes exercere, quando ſunt proteſtativæ ſuperſtitionis internæ, putà ſacrificandi; imò Cajetanus in 3. p. q. 77. art. 1. diſertè negat in exemplis quæ adducit actiones eſſe poſitis omnibus circumſtantiis ſignificativas internæ ſuperſtitionis atque ut iſtud

Digitized by Google

istud planius fiat, in quo totius difficultatis cardo vertitur.

Nota 7. vim illam protestandæ superstitionis internæ esse formam constitutivam signi, & vim significandi non quomodocunque, putà per modum apprehensionis, sed potius per modum judicii, adeò ut apta sit ad deducendos circumstantes in cognitionem, quâ judicent illam superstitionem externam per externum opus repræsentatam existere in illius animo, qui opus externum edit, atquì hanc signi rationem explicamus per voces, *vis protestativæ*; quo fit ut actio externa in quibusdam circumstantiis possit esse significativa superstitionis internæ per modum apprehensionis, nondum tamen protestativa, quia non est apta, quæ circumstantes inducat ad judicandum quod qui edit operationem externam, reverà habeat internam superstitionem, quæ exhibetur ut possibilis, non autem ut reverà existens atque manifestum istud est in vocibus apprehensionis compositæ & propositioni respondentibus *Petrus currens*, est aiunt oratio quæ vera judicatur ab audiente tametsi petrus non actu currat, *sed petrus currit*, est oratio ingenerans audientis animo judicium quod cursus actu Petro inexistat.

Quemadmodum igitur oratio illa, apprehensionis compositæ voces sunt materia proxima, propositionis per copulam velut formam ultimò & necessariò constituendæ, sic actiones externæ superstitiosæ, de se sunt instar materiæ proximæ determinandæ per vim illam protestativam, veluti formam ip-

Digitized by Google

ſarum conſtitutivam in ratione talis ſigni, ſcilicet proteſtativi internæ ſuperſtitionis, quæ operantis animo inſideat, quidquid ſit de vi ſignificativâ per modum apprehenſionis, quam forſan nonnullæ imperfectam habeant & inchoatum ob ſuam naturam phyſicam, vel ob aliqualem ſimilitudinem cum aliis actionibus ibidem ſuperſtitionis proteſtativis. Verum cùm hæc ſignificandi ſeu proteſtandi vis ab inſtitutione hominum pendeat, velut à cauſa efficiente libere operante, duo in ejuſmodi ſignis diligenter conſideranda ſunt.

Primum quidem materia quam vis ſignificandi veluti formam afficit: ea vero materia ſunt actiones externæ humanæ non abſtractè ſed in certis ac determinatis ab inſtituente circunſtantiis; ſic mactatio pecudis non eſt affecta vi proteſtandi cultus interni latriæ per modum ſacrificii, niſi in certis circumſtantiis, putà in iis in quibus intelligitur iſte cultus alicui ut Deo exhibitus; deinde attendenda eſt inſtituentis poteſtas, tanquam virtus effectrix & inductiva talis formæ moralis ſeu vis proteſtativæ. Nam uti non quælibet cauſa phiſica poteſt inducere formam phyſicam in quamlibet materiam, ſed juxta debitam proportionem virtutis in efficiente, & aptitudinis in ſubjecto; ita neque poteſt moralis illa forma vis proteſtativæ induci, niſi in actionem moralem aptam ut ipſam recipiat ab inſtituente velut agente inſtructo virtute inductiva iſtius modi formæ moralis. Hæc autem virtus conſiſtit in poteſtate quâdam morali inſtituendi talis ſigni. Sic Sinæ poſſunt quidem indere

Digitized by Google

virtutem protestativam actionibus hominum suæ aliquatenus ditionis, non autem actionibus Europæorum in occidenti plagâ positorum. Demum cùm hæc causa institutionis effectrix, liberè operando instituat, ipsius quoque voluntas spectanda est, quippe a quâ pendet ut quam valet aliquibus actionibus vim protestativam conferre, reipsâ conferat, atque his potius actionibus quam illis, & in quibusdam circumstantiis non in aliis, pro rationabili arbitrio.

Nota 8. Actiones externas inter alias esse signa communia omnibus gentibus, & quasi primariæ institutionis; alias esse signa quasi secundariæ institutionis, quæ nempe ex particulari unius gentis vel communitatis institutione sunt determinata ad quidpiam significandum: priora nullibi possunt non habere vim illam significandi, cùm ipsam vel à naturâ suâ, & quasi institutione auctoris naturæ antecedenter ad hominum institutionem obtineant, vel certè à communi conspiratione gentium diversarum, quarum potestas ad totam naturam humanam & illius actiones ubivis locorum pertinet, ita elargitio eleemosinæ pauperi facta semper & ubique est protestativa affectûs misericordiæ in elargiente, quamvis forsan affectus ille actu desit, quia ex naturâ suâ physico-morali omnibus passim lumine naturæ notâ, est objectum proprium misericordiæ independenter à peculiari hominum institutione. Prostratio verò corporis coram aliquo videtur esse protestatio quædam reverentiæ erga ipsum ex communi consensu

Digitized by Google

gentium cum aliquo fundamento ex parte ipsius actionis externæ, velut aptæ materiæ ad hanc protestandi vim susciendam.

Atque cum jus gentium sit fundatum in lumine naturæ, lumen autem naturæ in multis quidem particularibus quasi extinctum obrui possit, vel certè despectum jacere possit, non tamen in omnibus omninò individuis, aut in omnibus etiam totius naturæ communitatibus ex 1. 2. q. 94. art. 6. hinc fit, ut quamvis forte possit aliqua gens vel communitas significandi vim aliquibus actionibus imponere, contrariam ei quam natura constituit, non tamen id posse videtur consensus omnium gentium sic erogatio stipis pauperi poterit assumi ab aliquâ communitate, non autem ab omnibus gentibus ad protestationem alicujus actus interni mali; neque actio externa per se mala, putà homicidium injustum, poterit assumi ab omnibus gentibus ad protestationem actus interni boni, cùm protestationes ejusmodi communes sint oppositæ significationi, quam natura ipsa ejusmodi actionibus aliquatenùs imposuit: quas verò actiones externas velut indifferentes ad bonum & malum natura reliquit, poterit forte absolutè loquendo consensus gentium ob naturæ corruptelam in protestationem actus interni mali perperam assumere. Posterioris generis signa cum à potestate & voluntate instituentis limitata prodierint, diligentiùs indagandum est quousque pertineat illa potestas & in quod actionum externarum subjectum, illam exercuerit instituens sua libera voluntate.

Digitized by Google

Significatio rebus imponitur humanâ institutione, ex condicto inter multos, qui conveniant inter se ac statuant rem aliquam fore deinceps repræsentativam alterius, prout ipsimet determinant, v. g. latini convenerunt, quod vox *homo* & Sinæ quod vox *gin* esset repræsentativa illius substantiæ, quæ ex corpore & anima intelligente constat: verùm cum in qualibet communitate politicâ voluntates particularium, velut membrorum in voluntate moderatoris tanquam capitis moraliter contineantur, inde fit, ut quæ signa rector communitatis constituit, habeantur pro constitutis ab idoneâ potestate & voluntate, ac perseverent, ubi suam illam intentionem ut par est manifestavit subjectis sibi membris, quæ saltem non reclamarint, juxta ea quæ fusius explicantur 1. 2. q. 90. art. 1. de legibus ex quibus item intelligi potest quisnam sit membrum communitatis ratione nativitatis, loci, habitationis, voluntariæ subjectionis & aliorum. Hic tantum adverte potestatem particularis communitatis adversus potestatem communem non posse sic prævalescere ut quis teneatur illius quasi legibus adversus istius leges, nisi forte iis se sponte subjiciat, & juri suo communi ac naturali aliquatenus renuntiet. Sed hæc renuntiatio contra jus commune non est omninò irrevocabilis, cum jus commune sit fundatum in naturâ hominum, quam exuere non potest, & a quâ habet, ut sit membrum humanæ Societatis; ex quibus perappositè ad rem nostram.

Colliges 1°. Quod si quæ actio instituta esset

in aliquâ communitate ad superstitionem significandam, contra primariam significationem bonam quasi naturalem, quam obtinet ex jure naturæ aut gentium, hæc institutio afficeret tantummodo actiones eorum qui renuntiassent juri illius significationis naturalis & quandiu non retractassent ejusmodi renuntiationem quam revocabunt, statim atque palam denunciarint se deinceps in edendis iis actionibus conformare se cum instituto naturæ & significatione communi. Atque hac peractâ protestatione nemo ex ejusmodi ipsorum actionibus externis prudenter judicabit, quod superstitioso animo illas exerceant, ad quas recte exercendas lumen naturale impellit, istud enim ita obscurum esse nequit, ut apparere facilè non possit ac debeat iis quibus declaratur.

Colliges 2°. Eas actiones externas quæ ad protestandam superstitionem internam in aliquâ communitate institutæ sunt, in iis tantum circumstantiis esse superstitionis protestativas, ac malas per se loquendo, in quibus ad hanc protestationem præstandam determinatæ sunt ab eo, qui pro suâ legitimâ potestate illas instituit; cùm actiones protestandi vim non obtineant nisi juxta voluntatem instituentis, qui vim illam pro arbitrio tribuit.

Colliges 3°. Actiones illas quæ in aliquâ regione unius superstitionis protestativæ sunt, posse esse in aliâ regione protestativas alterius superstitionis, aut etiam veræ religionis, pro diversâ nempe voluntate in diversis regnis

inſtituentium cum legitimâ autoritate intra fines ſuæ ditionis, uti & contingit in vocibus, quæ in variis quandoque regnis ac linguis varia oppoſitave ſignificant.

Colliges 4°. Poſſe in eodem regno aliquas actiones eſſe proteſtativas ſuperſtitionis ſi edantur ab unius ſectæ hominibus ſic tamen ut illæ ipſæ ab aliis ejuſdem regni hominibus editæ non ſint ejuſmodi ſuperſtitionis proteſtativæ. Nam communitas ſectariorum quæ vim proteſtandi actionibus illis impoſuit, non pollet virtute iſtius indendæ niſi actionibus hominum illius communitatis, non autem aliorum quorum actiones intra ſphæram ipſius activitatis moralis non ſunt poſitæ ad ſuſcipiendam neceſſariò hanc vis proteſtativæ formam, cum ſuis ipſimet actionibus aliam diverſam aut etiam oppoſitam pro ſuâ liberâ voluntate tribuere valeant. Ex quo ulterius.

Colliges 5. Poſſe actionem unius ejuſdemque hominis quæ antèa ſuperſtitionis alicujus proteſtativa erat, deſinere poſtmodùm eſſe proteſtativam ſi nempe is homo per avulſionem moralem a corpore, ceſſet eſſe membrum illius communitatis; actiones ab ipſo poſteà profectæ non erunt de eâdem numero ac ſpecie morali, quibus ejuſmodi proteſtativa virtus indita fuit. Sic qui palam dictis & factis nuntium remittit ejuſmodi ſectæ per ſectæ oppoſitæ profeſſionem, ſe ab illo corpore morali ſeparaſſe cenſetur.

Dixi *dictis & factis*. Etenim ſi quis ore profiteretur ſe renuntiare alicui ſectæ, & tame

Digitized by Google

operibus illis vacaret quæ a ſolis illius ſectæ hominibus exerceri ſolent, is cenſendus eſſet fictè, & ore tenus renuntiare : nam licet verba ſint ſigna magis expreſſa & ordinaria quam opera, quæ alios uſus habere ſolent, præter ſignificationem interiorum actuum operantis ; tamen cùm facilius ſit loqui quam agere, & mendacia ſint adeò frequentia, idcircò actuoſioris ſunt ſignificationis opera quam verba, atque illis potiùs quam iſtis fides eſt adhibenda à prudentibus, quando utraque inter ſe pugnant, præſertim cum ut plurimùm ſint inſtitutæ actiones, ut ſigna diſtincta & independentia à vocibus, quo fit ut iſtarum actionum ſignificatio ſit attendenda per ſe & independenter a vocibus, niſi forte dubium occurrat ; ad quod tollendum voces neceſſariæ & aptiſſimæ fuerint, tum enim quam in partem claræ voces incumbent, dubiam cæteroquin actionum ſignificationem apud prudentes determinabunt, atque in ejuſmodi dubiis per fidei proteſtationem ſublatâ dubitatione ſcandalo occurritur.

Colliges 6°. Actiones ex primævâ inſtitutione in aliquo regno proteſtativas unius cultus interioris, poſſe progreſſu temporis fieri proteſtativas alterius diverſi, aut etiam oppoſiti cultus, uti patet in feſto candelarum olim Romæ ſuperſtitioſo, & poſtea veræ religionis proteſtativo. Ratio ex eo clara petitur quòd poteſtas communitatis non minor eſt ad ſignificationem priſtinam adimendam, & aliam ſuſtituendam in ipſius locum, quam fuerit ad primævam ſub initium inducendam, cum ſignorum

Digitized by Google

ſignorum ex inſtituto vis ſignificativa non modò quoad ſui productionem, ſed etiam quoad ſui conſervationem pendeat à communitatis liberâ voluntate ſaltem habituali non retractatâ, ut par eſt. Quid autem requiratur ad hanc mutationem introducendam fuſiùs aperitur a Theologis ad q. 93. 1. 2.

Verùm plurimi intereſt primævam illam inſtitutionem perſpectam habere. Imprimis in dubio, an primæva inſtitutio etiamnunc valeat, necne, rem in favorem primæ inſtitutionis interpretari licet, cum pro eâ ſtet poſſeſſio, melior autem ſit conditio poſſidentis, tum quod prima inſtitutio autoritate publicâ, & maturâ cum deliberatione inducta prævalere debet iis quæ per conſuetudinem ac ſæpiùs per errorem, & quaſi initio a caſu ducto erupere uti inſinuat D. Th. 1. 2. q. 97. art. 1. *Cum aliquid multoties fit, videtur* (duntaxat) *ex deliberata rationis judicio provenire & ſecundum hoc conſuetudo habet vim legis, & legem abolet, & eſt legum interpretatrix* : tum quod conſtat de validitate primæ inſtitutionis ortæ ex conſenſu explicito omnium vel certè implicitò, contento ſcilicet in voluntate ſuperioris inſtituentis : at quæ inſtitutio nova ſuccedit, initium a quibuſdam privatis capere ſolet, a quibus ad alios paulatim ſerpit cum ſolo tacito conſenſu ſuperioris diſſimulantis potius quàm approbantis, ac ſæpe ignorantis : neque deſunt permulti qui nunquam conſenſerint, ſive per voluntatem ſuperioris quando hæc poſitiva & juridicè declarata non intervenit, ſive per proteſtationem, quod nullum con-

Digitized by Google

ſenſum præſtiterint : imò non pauci prudentiores interùs ſaltem repugnabant , tametſi metu multitudinis ſuam mentem in publico coetu aperire non auderent.

Ego ſanè vix crediderim novas illas inſtitutiones ſine manifeſto Superioris conſenſu poſſe primariam ſic abrogare , ut non liceat ſtare pro iſtâ , dummodò operans ex primariâ inſtitutione ſuam mentem nudè aperiat , præſertim ſi quoſdam adjunctos hac in mente ſocios habeat, neque nova ejuſmodi & quaſi dubia in ratione communis inſtitutionis , actiones conſtituet malas per ſe independenter ab intentione operantis , niſi forte illas quæ ab iis procedant qui novæ huic inſtitutioni conſenſerint ; quoniam actiones illæ ab aliis profectæ non ſubſunt poteſtati inſtitutivæ eorum , qui novam illam inſtitutionem v. g. ſuperſtitioſam invexerunt.

Præterea perſæpè dubium occurit de conſilio ac fine , quo fiunt actiones : nec non obſcuræ ſunt voces ſeu ſcriptæ , ſeu prolatæ , quibus ille finis declaratur , tunc profectò commodior interpres adhiberi non poteſt , quam prima inſtitutio cui ſe accommodare quiſque velle præſumitur , niſi oppoſitum declaret atque iſtud potiſſimum locum habet inter Sinas , qui antiquitatem ſe venerari ac ſequi præſe ferunt interrogati quamobrem aliquid præſtent , trito hoc utuntur reſponſo *quey kiù* quaſi dicerent , iſta eſt agendi regula jam pridem conſtituta. Ergo finis per uſum præſtitutus actionibus externis cenſendus eſt is , qui conſtitutus fuit a principio , non

Digitized by Google

alius novus niſi de iſto conſtet.

Demum ex illa veneratione quâ ſolent homines & præ cæteris Sinæ res a majoribus inſtitutas amplecti, fit ut ſi quando per abuſum deflexerint a recto primæ inſtitutionis fine, non difficulter ad eum revocari poſſint. Atque adeò hac ſpe poſſit facilè ad aliquod tempus tolerari uſus actionum externarum per pravam plebis intentionem in pleriſque vitiatorum, ſi ab iis exerceantur qui pravâ illa intentione abjectâ ad primam honeſtam ſe referant, cujus iterum deferendæ vix ullum periculum imminere videtur iis, qui denuò illi ſe fini aptant, ad quem velut nativâ quâdam patriâ, & è cælo infusâ antiquitatis veneratione propendent, uti ſcribitur in *Li-Ki* libro 7. p. 42.

Nota 9. quod quando actiones aliquæ de ſe bonæ ſunt objectivè, uti opera externa miſericordiæ, vel ſaltem indifferentes ad bonum & malum finem, quo fiant ex communi uſu pro intentione operantis, tunc actiones ejuſmodi tandiu ſuam illam bonitatem vel indifferentiam objectivam retinere cenſendæ ſunt, quamdiu certis moraliter argumentis non conſtat, quod malitiam aliquam moralem acceperint per ordinationem quaſi intrinſecam ad malum finem ex inſtitutione legitimæ poteſtatis. Nam cum actiones illæ ex naturâ ſuâ bonitatem vel indifferentiam moralem obtineant, tandiu hæc illis ineſſe cenſenda eſt, quandiu ab ipſâ deturbatæ non fuerint, idonea ad id poteſtate, quæ ſanè nulla eſt in actionem ejuſmodi, quoniam eſt communis

Digitized by Google

multis, nisi ipsa quoque potestas communis sit, quæ omnibus ac singulis operantibus insideat, vel certè in legitimo reperiatur superiore; in quo subditorum membrorum voluntates contineantur.

Neque verò sufficit ad hanc malitiam directionis in pravum finem actioni externæ quasi permanenter & intrinsecè affigendam, quod omnes passim dirigant actionem ejusmodi in pravum finem; nam ex hac actuali vel virtuali directione etiam ab omnibus passim adhibitâ tantum fit, ut actio exercita extrinsecam ab illâ directione malitiam habeat, non autem sufficit ut intrinsecam & permanentem ex institutione malitiam consequatur; quasi deinceps instructa esset, ut protestativa illius perversæ intentionis, ex qua exercetur. Etenim vis protestandæ intentionis internæ per actionem externam, non resultat præcisè ex illâ intentione internâ influente in ipsam actionem externam, sed requirit prætereà hominum alicujus communitatis conspirationem, ex quâ determinent actionem illam protestativam deinceps futuram talis intentionis; atque hæc conspiratio est ipsa institutio, vim protestativam actioni externæ ad ipsam recipiendam aptæ imprimens, ubi sufficiens declaratio & quasi promulgatio interceſſit, juxta doctrinam Suaris 7. de legibus & Molinæ de justit. & jure; ex quâ consuetudo vim legis obligantis non habet nisi inducta sit per frequentationem actuum ex animo introducendæ obligationis. Etenim quæ actiones externæ per se saltem, ex communi gentis usu

Digitized by Google

ad aliquem finem tendunt, intrinſecam ordinationem ad alium finem ſibi quaſi adventitium putà religionis, ſeu vim internæ religionis proteſtandæ obtinere nequeunt; niſi ejuſmodi intrinſeca permanenſque ordinatio eas afficiat impreſſa per legitimam inſtitutionem; ſine quâ non ſunt aptæ ut circumſtantes deducant in notitiam illius adventitii quaſi intenti ab operante, cum finem alium ſibi proprium exterioremque ac paſſim quoque intentum habeant, ex quo ſolo eas fieri prudenter judicari ſupponique poteſt.

Et vero ſi hoc ipſo quod in aliquâ regione paſſim actio quædam fit propter finem malum & falſæ religionis, ſtatim eſſet intrinſecè ſuperſtitioſa; pari jure quæ actio in aliquâ regione paſſim dirigitur in finem veræ religionis, in honorem nempe veri Numinis, hæc quoque eſſet intrinſecè bona bonitate religionis propriâ; (niſi forte quid aliunde obſtaret) ſicque omnia virtutum moralium opera externa à Chriſtianis elicita, ſine ullâ aliâ actuali aut virtuali intentione ad religionem ſpectante eſſent opera religionis, & vice verſâ omnia opera virtutis moralis infidelium idololatrarum eſſent de ſe idololatrica, quod nemo dixerit; ne omnium virtutum ac vitiorum fines intrinſeci cum extrinſecis confundantur & in deteriorem incurratur errorem, quam is fuerit qui damnatus eſt in Baio, *idololatrarum opera omnia mala* quidem, ſed non continuò idololatrica aſſerente.

Addo amplius quòd quamvis unius ſectæ homines certas actiones exerceant ex pecu-

Digitized by Google

liari ſectæ præcepto ob ſuum quemdam errorem, non continuò actiones illæ ſunt erroris ejuſmodi proteſtativæ, fieri enim poteſt, ut actiones hæ ſint materia apta præcepti, non tamen proteſtationis ſectæ vel erroris, ſi nempe exerceantur in aliquo regno, in quo plerique ipſas edunt, qui nec illius ſectæ homines ſint, nec tali errore imbuti; ut enim actio ſit apta ad alicujus ſectæ vel erroris proteſtationem, debet eſſe ea ex cujus conſpectu deveniri poſſit in notitiam quod operans ſit illi errori addictus: at ex intuitu actionis, quam permulti ab iſtiuſmodi ſectâ & errore ſoluti in eâdem regione exercent, non devenitur in notitiam quod operans ſit potius eâ ſectâ vel errore implicitus quam ab iis liber, ergo ſectæ vel erroris proteſtativa non eſt. Poterit tamen eſſe materia præcepti ex errore, intra ejuſmodi ſectam impoſiti; ad iſtud namque ſufficit ut autoritate publicâ præditus in eâ ſectâ, omnibus ſibi ſubditis imperet executionem ejuſmodi actionis propter errorem, ex quo tum ipſe, tum ſubditi, exiſtiment expedire, ut obligatio inducatur illius operandi, quod ipſum cæteri ſine obligatione & aliis de cauſis præſtant. Sic inter Sinas Bonzii aliique nonnulli animalia non mactant ex uno ſuæ peculiaris ſectæ præcepto *vû xâ sēm*, & ob errorem de tranſmigratione animarum, a quo errore ipſaque Bonziorum ſecta, alieni nonnulli ultrò a mactatione animalium aliis de cauſis, putà ex affectu manſuetudinis erga quælibet animalia ſibi temperant.

Digitized by Google

Certè eorum Bonziorum aliud præceptum eſt de abſtinentia a fornicatione ; iſtam verò abſtinentiam nemo dixerit eſſe ſuperſtitioſæ ſectæ proteſtativam, adeoque per ſe malam. Ali s nemini eam obſervare liceret, adeoque cm o in Sinis fornicari tenerentur ; quo quid al ſurd s ac deteſtabilius fingi poteſt ? nihilom nus.

Nota 10. Actiones ex communi conſenſu determinatas ad cultum extrinſecum etiam indifferentem, ad politicum & civilem, vel quæ de ſe abſtrahunt ab utroque ; ſi in iis circumſtantiis fiant ex quibus determinentur ad cultum aliquem illius qui pro falſo numine habetur, hoc ipſo cenſeri ex communi gentis inſtitutione determinatas ad cultum idololatricum, atque adeò idololatricas & plane illicitas etenim illa actio per ſe idololatricus cultus eſt quæ ex communi hominum inſtitutione eſt proteſtativa cultus erga quempiam, ut divinâ ſeu propriâ numinis virtute præditum. Atqui prædicta actio putà genuflexio coram eo, vel ſtatuâ ejus qui habetur pro Deo, eſt ejuſmodi ; tametſi enim is qui colitur ut numen, ſupponatur inſtructus olim fuiſſe aliâ virtute non divina, ob quam honore quondam dignus etat v. g. ob regiam dignitatem, quo vivus pollebat is, quem poſt mortem in Deorum numerum retulerunt, tamen virtus divina etiam illa fictitiè attributa tam multis & quodammodo infinitis partibus præſtat antecedereque cenſetur quamlibet mortalem dignitatem, ut nemo prudens exiſtimet ſe eum honorare ac magnificare quem propter mor-

Digitized by Google

talem illam dignitatem colat, dimissis etiam ad tempus illis divinitatis prærogativis, ob quas celsiori quâdam perpetuò dignus veneratione judicatur ab eo, qui præstantiora hæc in ipso attributa animo suo informat.

Confirmatur, quoniam alia cuivis liceret in privatis ædibus servare ad venerationem aliquam idola Martis aut Jovis v. g. quasi quæ sint simulacra illorum qui olim dum vivebant regiâ dignitate instructi fuisse feruntur, ob quam quis se eos privatim colere posse dicat, non autem ob divinas dotes, & excellentiam, ad quam posteà evecti fuisse jactantur.

Verumtamen allata ratio non militat pro quolibet externo cultu iis exhibito qui pro sanctis habeantur. Quamvis enim sanctitas illa superioris ordinis sit, quam quælibet naturalis humanæ conditionis virtus politici cultus objectum; tamen non tanta est & tantopere elata supra quamcunque humanam dignitatem excellentiâ ut non possent homines in hac vita degentes quandoque ad tempus etiam prudenter totâ cogitatione & intentione defixi videri in illâ pristinâ dignitate humanâ, quæ ipsorum oculos etiamnum relictâ sui repræsentatione ferit, & ad gratam honorificamque sui recordationem invitat, ut dum alicujus Regis sancti imago cum aliorum regum imaginibus in eodem palatio sub ordine posita politicè ob communem illis omnibus regibus majestatem honoratur.

Nota 11. In solemni sive religioso, sive pio duntaxat cultu cùm multæ actiones interveniant

Digitized by Google

veniant, ad illius vel substantiam vel circumstantias, vel ornatum ac solemnitatem cultus pertinentes; nonnunquam alias insuper reperiri merè accidentarias, eas nempe quibus sublatis totus solemnis cultus ex præstituto ritu quoad ipsam solemnitatem constet, & quæ de se ex ipso etiam instituto non ordinentur ad ejusmodi cultum, cum quo per accidens cunjunctæ sint; uti si quis dum solemnis missa cantatur, foris in atrio turpes aliquas aut gentilicas choreas duceret, tunc choreæ istæ merè accidentariæ sunt solemni missæ sacrificio ab Ecclesiæ instituto, & per accidens cum illo ita conjunguntur, ut neque ipsum inficiant, neque eidem simul & choreis aliquomodo adstantes commaculent, nisi qui forte ad choreas illas aliunde vitiosè concurrerint. Hæc quippe est *mera assistentia* quam Sacra Congregatio permittit, ita nimirum assistendo ut non concurratur juxta illud Tertul. lib. de idol. cap. 16. *licebit adesse quibusdam quæ nos homini, non idolo, officiosos habent si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps idololatriæ; si me alia causa conjungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii.*

Nota 12. Præter actiones superstitiosas, esse alias istis affines, quæ vulgò dicuntur superstitionem sapere, ac redolere. Eæ sunt quæ cum neque superstitionem intrinsecam habeant ex vi quæ ipsis insit protestativæ alicujus internæ superstitionis, neque extrinsecam à pravâ & superstitiosâ illa operantis intentione, maximam tamen habent in externâ specie similitudinem cum aliis actionibus ex-

Digitized by Google

ternis superstitiosis, a quibus vix discerni possunt. Actiones ejusmodi, tametsi superstitionis etiam externæ formâ, adeoque & malitiâ careant, tùm intrinsecâ, quæ petitur a prædictâ vi protestandi, tùm extrinsecâ quâ a superstitiosâ operantis intentione desumitur: nihilominus prohibitæ meritò censentur ratione scandali quod generare possunt in eorum animis qui illas geri non imprudenter putent pro superstitiosis; cum quibus maximâ & omnibus notâ similitudine affectæ sunt, cum discrimen a superstitiosis sit paucioribus perspectum: accedit quod proclivis est lapsus ab istis actionibus non malis ad alias superstitiosas, quibus finitimæ sunt, & quæ vulgò exercentur. Verum patet istud sive gignendi scandali sive in superstitionem incidendi periculum non urgere, nisi actiones ejusmodi superstitionem verè redoleant, iis nempe similes quæ superstitiosæ sint in illâ ipsâ regione, in quâ utræque exercentur. Si enim similitudinem habeant cum iis actionibus quæ in aliâ duntaxat regione longè terris ac moribus dissitâ superstitiosæ sint, in eâ quidem longinquâ, non autem in hac præsenti regione degentibus videri poterunt superstitiosæ, & censeri propinquæ & finitimæ superstitioni, ad quam pravo superstitiosorum suis ibi superstitionibus vacantium exemplo facilè perducantur; quippe de eo qui ibi versatur ubi aliqua superstitio non viget immeritò suspicarentur ac temerè, quod superstitiosè operetur, quamvis istic ea peragat, quæ alibi superstitiosa cùm sint, istic tamen illorum

Digitized by Google

superstitio neque nota, neque usitata est.

Quocircà exteri homines cum ad aliquod regnum appellunt sibi ignotum, & à suo ut plurimum, eò magis consuetudinibus discrepans, quò locorum intervallis remotius; si quæ viderint quæ in ipsorum patriâ vel planè superstitiosa sunt vel sanè videntur, nullum inde præjudicium aut validum argumentum ducere licet, quod ita in illo novo regno habeat, uti in proprio; sed examinare par est an externæ illæ actiones significandi vim utrobique obtineant eamdem an diversam, utrùm errores superstitiosi, quorum in aliis terris significativæ sunt, in istâ quoque invaluerint; an non potiùs oppositi sint religiosis opinionibus, quæ in istâ obtinuerint; quod si ita se habeat non modò superstitione sed etiam superstitionis specie istìc carere censendæ sunt, atque ab indigenis saltem intrepidè exerceri poterunt, nisi aliunde prohibitæ fuerint.

Hæc si defuerit observatio, inter prædicandum infidelibus Evangelium, multa perturbatio vix evitabitur; dum errores è diversis regnis longinquis, in quibus fortè nunc pullulent, deportatos, & ex multarum præteritarum ætatum quarum consuetudines jam exolevere, monumentis erutos, tanquam in unum quodlibet regnum fœdè coacervatos exhorrescemus, atque magno cum nostro labore inutiliter, & cum indigenarum excandescentium damno pernicioſe insectabimur; quamobrem Augustini, Lactantii, Boetii, Divi Thomæ ac cæterorum subtiles validasque

Digitized by Google

sui ac præteriti temporis errorum ipsis non ignotorum expositiones, Origenis indagationes, confutationes, sic ego suspicio, ut ad nostros Sinas non pertinere intelligam ex mente sapientissimorum doctorum, qui de incognita sibi gente infamandâ, lacessendâ, vel damnandâ nusquam cogitarunt.

Præclarè itaque scriptum lib. 1. de officiis Sinicis, *officiorum ratio se conformat cum eo quod expedit si se conformet cum consuetudinibus.*

Commentator subdit *qui quatuor mundi plagas, & in earum meditullio situm deliciarum hortum incolunt, omnes quidem unam naturam obtinent, sed per centum leucarum spatium idem mos non viget: quocirca dum Regnum aliquod ingrederis, omninò de consuetudinibus illius scisciture.*

Digitized by Google

CAPUT II.

DE OBJECTO MATERIALI Pietatis Sinicæ.

DE Sinarum religione ac pietate cùm fusius scripserint Pater Nicolaus Trigautius ex mente & codicibus Patris Matthæi Riccij, P. Alvarus Semedo, & P. Didacus Pantoja, virtute ac doctrinâ insignes viri, quorum opera manibus Europæorum passim teruntur, supervacaneum videretur, nunc eamdem iterùm incudem tundere, nisi eò me adigeret captatum ab aliquot ex adversariis effugium, quò debitam testibus omni exceptione majoribus fidem infirmare nituntur, quasi præstantissimi viri illa protulissent de Sinis, quæ inter ipsos Sinas communiter circumferuntur, eâ duntaxat adhibitâ diligentiâ, quam tempus ferebat, & ratio instituti poscebat ab historicis, qui curiosorum animos oculosque pascere vel oblectare student, non autem principia subjiciunt doctoribus ad eliciendas conclusiones regendis Neophytis necessarias tam imbelle telum retusum infringere ac velut fugientem hostem insectari facile foret. Sed quoniam devios calles non amo, & prolixiores altercationes, odi, quæ rem omninò efficere nequeant, malim ego majoris firmitatis & compendii ergo præcipua quædam Sinicæ reli-

Digitized by Google

gionis ac pietatis capita in personis ; circa quas tanquam objectum materiale versatur, ita perstringere, ut nihil afferam, nisi vel probatum omnibus vel validioribus argumentis comprobatum.

NUMERUS I.

Quæ quotuplex, & quando idololatria sit in Sinas invecta.

PRæsentis ævi ac multorum retrò sæculorum Sinas maximam partem idololatris accensendos esse constans hactenus fuit Patrum omnium assertio : nam anno Christi sexagesimo quinto Bonziorum secta *foekiao* vel *foekia* & *xekia* dicta Sinas penetravit, deceptione magis quam aceitu Imperatoris *mim ty*; cui loco veritatis, quam ardenter expetebat, & sedulò conquirebat, fœdissimus error a missis in occidentales partes legatis ex India obtrusus est ; quem ipse rex admisit, atque ex eo tempore pestifera lues paulatim serpens iis est grassata progressibus, ut penè omnium, præsertim de plebe, ac militiâ animos invaserit. Quamvis enim anteà quidpiam idololatriæ inchoatum esset a discipulis *lao kium*, dæmones neglecto supremo Imperatore seu Deo, colentibus in statuis ex quibus responsa dabant, vel potiùs dare videbantur quo præsertim tempore, in litteratos persecutio desæviit nihilominus *negat celebris autor, lino ullum fuisse religiosum statuarum*

Digitized by Google

cultum ante inductam in Sinas doctrinam foe.

Idololatricarum certè sectarum princeps habetur, illa quæ portentum hominis *foe* nuncupatum cum primis colit, è regiâ scilicet stirpe natum in India anno ante Christum 1052. de quo mira fabulantur, & illam execrandam blasphemiam circumferunt, *duntaxat ego in cælo ac terra eximius & præ cunctis venerandus.* Alios tamen multos ipsi adjunxere celeberrimos olim viros, atque etiam fœminas; sed quosdam ejusdem cum ipso *foe*, nominis & quasi Imperii collegas, cæteros autem inferioris aliquando notæ, quos *pû sa* vocitant.

Istorum omnium sculptas ut plurimùm imagines in fanis, nec non in privatis ædibus collocant ad venerationem, non quasi divinæ quidpiam virtutis ineſſe simulachris illis vulgò arbitrentur, sed quod eos repræsentent viros, quorum inter divos jam relatorum opem supplicationibus ac multiplici cultu implorant, quamquam interrogati a me sæpiùs ipsi archibonzii, ubinam fui illi dii versarentur, suspensi mutique hærebant; audaciores tamen ac perspicaciores nonnulli appellabant cæleſtem quamdam, aut sanè terrestrem, sed minus exploratam mortalibus plagam, in quâ resiederent, sin minùs regnarent, indeque valerent hominibus in corpore degentibus auxiliari vel nocere, a corpore verò solutis, tàm supplicia suis desertoribus in cutere quàm præmiâ retribuere cultoribus; dummodò Bonzii apponantur velut inter nuncii, quorum deprecationibus, & ipsorum ex

Digitized by Google

nutu editis bonis, præcipuè jejuniorum & elemosynarum operibus dii commoveantur. Itaque numina, spiritus, animarum immortalitatem, alterius vitæ felicitatem seu paradisum, & cruciatus seu inferos se nosse jactant, sic tamen ut post obitum plurimas animarum ab uno corpore in aliud, sive hominis, sive bruti transmigrare Pythagoræorum in morem censeant.

Isti sectæ *foe* finitima est aut etiam pejor altera *Tao Kia* dicta, cujus sacrificuli *Tao su* vocati peritiores Bonziis haberi volunt, nec pauciores de plebe Bonziorum erroribus affixâ suis laqueis implicat, ac licet veste, fanis, & propriis institutis distinguantur utriusque sectæ sacrificuli, tamen eosdem passim sectatores & clientes mirâ cultus superstitiosi confusione ac perturbatione nanciscuntur. Verùm hi gloriantur auctore antiquissimo Sinarum philosopho, qui Confucio coætaneus, imò ut nonnullis placet ipsius magister *Ly kao kium* appellatus sexcentis circiter annis ante Christum natum, editus est in lucem ex sinistro, uti comminiscuntur, matris latere, quæ ipsum octoginta annis utero gestarat: non pauca scripsit de virtutibus, rerum humanarum contemptu, ac beatâ quâdam solitudine, quâ rebus caducis superior animus perfruatur; neque quidquam de eo perhibetur à viro probo alienum nisi quod artis non modò chymicæ, sed etiam magicæ inventor à nonnullis asseritur.

Certè illius discipuli quorum instituta nunc vigent se magiæ scientissimos jactitant. Illorum caput

Digitized by Google

caput ac veluti summus Antistes magno apud ipsum Imperatorem in honore *zien su* nuncupatur : consortium cum dæmonibus profiteri non erubescunt ; vitæ diuturnitatem pollicentur ; non amplius ausi agere de perpetuitate ; cujus futili spe tam multos olim principes ad insanissima perpetranda adduxerunt. At præter illum suum antesignanum, & proprium ac primarium sectæ idolum, quod *chum y* vulgò *yo hoam*, quasi pretiosum Imperatorem nominant, multos quoque colunt aut se colere fingunt Dæmones, è statuis responsa quasi oracula dantes dum à sacrificulis interrogantur.

Dixi, *vel fingunt*, nam utriusque sectæ doctrina duplex commemoratur ; alia exterior hactenus proposita, alia interior quæ est merus atheismus, ex quo existimant totum religionis apparatum, instructum esse ad facilius regendos populos, dum aliquot existere spiritus ac numina, atque animabus præmia aut supplicia post mortem reservari sibi persuadent, cùm reverâ nihil extet præter hæc aspectabilia, animusque unà cum corpore intereat ; exterior illa doctrina spargitur in vulgus interioris toxicum paucioribus robustioris ingenii vel potiùs malitiæ hominibus propinatur quisquis autem venenum illud mente admittit, hic interioris atheismi & externæ idololatriæ lue afficitur.

Utrum porrò *Tao Kia* à majorum lege degenerans in hunc atheismum uti & in externam Idololatriam per se inciderit, an verò utrumque à *Xe Kia* indicâ secta desumpserit

Digitized by Google

ægre constare potest; sed ad rem nostram nihil admodùm refert. Ex hac geminâ vitiatâ & sibi mutuò infestâ radice, alii atque pestiferi rami cum magna Imperii in eos miserè discepti pernicie deinde pullularunt.

NUMERUS II.

Xe & tuo Kia, *secta sunt idololatricæ in Sinis.*

COeterùm sectis illis omnibus adscriptos, idololatriæ saltem externæ reos esse pro certo habeo; quamvis enim Deum supremum cœli ac terræ moderatorem apertè ac difertè non negent atque nomina illa *foe* & *pû sa*, quibus utuntur clarè divinitatem aut divinum aliquod attributum non sonent, cùm tamen supremi numinis mentionem nusquam faciant, at suos illos spiritus ita colant illorumque opem sic implorent, quasi nullus ipsis superior extet, apud quem intercedant & à quo juvandorum hominum virtutem acceperint, hinc colligi non abs re videtur, quod aliquam in suis illis spiritibus independentiam tum quoad naturam, tum quoad operationem implicitè saltem agnoscant.

Atque ejusmodi independentia sufficit ad conceptum falsi numinis, quale apud alias idololatrarum gentes reputatur ac colitur, exhibita quippe istius modi veneratio spiritibus ad Deum revocatur, cùm sit quâlibet duliâ major, nam duliæ cultus ei deferatur universim,

Digitized by Google

in quo potestas ac dignitas aliquomodo ab altero dependens agnoscitur: ita sanctos omnes veneramur: ergo qui aliquem sine eâ dependentiâ colit, non illum cultu duliæ, quasi famulum & alieni quodammodo juris, sed velut sui juris ac dominum reveretur. Certe prædicta idola de futuris ita interrogant; ut hæc ab ipsis independenter à quocumque alio ediscere velint ac sperent, ergo propriam futurorum cognitionem quæ divinitatis attributum est, ipsis imputant, sicque pro numinibus saltem imperfectis habent.

NUMERUS III.

Descrimen inter Foe *&* Pu sa

ISTud vero differre videntur *foe* à *pu sa*, quòd *foe* plenitudo quædam cujuslibet potestatis ac virtutis tribuatur, cujus velut particulæ ad unam duntaxat aut alteram dotem extensa concedantur *pu sa*, putà ad divitias sapientiam, aut bellicam prosperitatem, uti olim Pluto, Minervæ, Marti affingebantur. Aliqui tamen videntur suos illos *pu sa* venerari tanquam potentes deprecatores apud *foe*, cujus in conspectu genuflectant, uti refertur in celebri illa fabulâ litteratis adeo exosâ, juxta quam princeps inter *pu sa* dictus *ty xe tien chu* narratur prostratus coram *xe kia foe* ab ipso impetrasse sanitatem Imperatoris quam ipse *ty* præbere nequivisset. Ut ut sit cùm istos suos *Pu sa* venerentur saltem ut illustres clientes

Digitized by Google

aut administros suorum falsorum numinum *foe*, ipsis *Pu sa* tributus honos aliquid idololatriæ habet saltem indirectè ac terminativè, ratione illius numinis *fo* in cujus cultum ultimò redundat.

Dixi reos esse Idololatriæ saltem externæ, qui enim ficto animo obsequia memoratis fictis numinibus præstet aut divis ad captandam opinionem religiosi animi quo careat, hic actum internum infidelitatis & atheismi non idololatriæ exercebit; si nullum numen venerari velit, externum tamen quod ponet opus, ex naturâ suâ morali & hominum institutione protestativum interioris idololatriæ, quæ per accidens abest, & voluntas illius operis exercendi malitiam externæ idololatriæ cap. 1. explicatam contrahent: quo fit ut contra religionem fidemque graviùs peccet per defectum quidem, ratione interioris atheismi quem exteriùs dissimulando tegit, per excessum verò ratione exterioris actus idololatrici de se; quem sciens ac volens edit.

Unum demùm hìc obiter & diligenter advertendum quod licet Sinarum maxima pars idololatrarum religionem quoad præcipua capita sectetur, multa nihilominùs pietatis, præsertim erga defunctos officia, prisco ritu, ac modo proavorum idololatriæ expertium proprio etiamnum exequitur, ut videre est in libro *Kialy*, seu de officiis domesticis: quem ante sexcentos annos conscripsit magni nominis doctor *chu yen cum*; atque alii eruditissimi Sinæ commentariis postmodùm sic illustrarunt, ut in ipso textu tradatur, si quid inter

vetuſtum ac recentem ritum Sinicum diſcriminis intercedat, diſtribuitur in octo partes ſuis ſingulas nominibus diſtinctas, e quibus quatuor præcipuæ, nobis poſthac uſui futuræ ſæpius ſunt; prima *tsun li*, de penetratione officiorum, ſecunda *quon ly* de officiis pilei; ſeptima *cy ly* de honorificarum oblationum officiis; octava *ca cy* myſcellanea de officiis ſeu mixta obſequia. Hæc ergo pietas avita, imò & religio in plurimis quoad externam ſpeciem perſeverat, ſi forte peculiarem cultum exceperis erga defunctos illos, quos jam ſpiritus & aliqualia numina effectos venditant.

NUMERUS IV.

Lex avita Sinarum.

PErſtat itaque antiqua Sinarum religio in litteratis præcipuè qui ſe illius obſervatores & majorum ſuorum ſectatores ambitioſè jactitant. Hanc autem *Ta Kiao*, litteratorum legem ac doctrinam appellant, de quâ antiquiores Miſſionis Patres judicarunt illam quidem ex ſe cujuſmodi vigebat in veteribus Sinis (inter quos nullius alterius religionis veſtigia extant) nihil aliud eſſe quoad ſubſtantiam niſi legem naturæ ſeu ex dictamine rectæ rationis, & afflatu luminis naturalis exortam; quatenus verò ad poſteriorum temporum litteratos corrupta defluxit, merum atheiſmum eſſe, ſed in nonnnullis idololatriæ admixtum. Poſteriorem partem ſic accipias

Digitized by Google

velim quod litterati plerumque ad idolorum templa certis temporibus cum plebe concurrunt supplicaturi, & suffitibus ac candelis expositæ inibi simulachra culturi quinimò permulti ex ipsis ejusmodi idola domi ad venerationem asservant, necnon ab idolorum ministris futura sciscitantur: attamen vix ullum invenias, qui interrogatus non affirmet se idolis nullam fidem habere, sed populari consuetudini dandum aliquid esse. Unum verò cælum ex propriæ & avitæ legis institutis, se ex animo venerari præ cæteris omnibus.

At dum instas quid cæli nomine designetur? an vasta illa syderibus quasi suis luminibus distincta moles corporea, an præterea suprema quædam intelligentia cœli terræque moderatrix? profectò vix ullum offendas, qui summum aliquem rectorem universi planè ac præfractè negare ausit. Ego de me profiteor sexcentos inter litteratos quos allocutus sum; nullum ejusmodi vidisse, aut de quopiam aliò litterato compertum habuisse, præterquam de protervo illo divinæ legis inimico & perfrictæ frontis nebulone *jam quam sien* nominato.

Si qui enim alii memorantur, illos potiùs vi disputationis & argumentorum pondere ad insana quæ de illis referuntur effutiendæ adductos fuisse crediderim, quam quod ita plane sentirent, uti fere fit in doctorum virorum disputationibus, præsertim superborum, qui longiùs quam sub initium cogitassent; optarentque disputando progressi, permulta devorant absurda, quæ cæteroquin non con-

Digitized by Google

coquerent, imò nec mente concoquunt. Eam enim ad præsens honoris naufragium evitandum tabulam arripiunt quam sedatâ postmodum tempestate abjiciunt.

NUMERUS V.

Litterati posteriorum temporum quo pacto sint Athei.

Isti autem positivè ut ita dicam athei, qui divinitatem omnem præfractè negent si qui sunt, pauciſſimi sanè sunt. Innumeros verò reperias, quos negativè atheos liceat appellare; qui quidem divinitatem non planè ac putidè negant, at neque illam ipsam verbis aut factis asserunt, cùm ita se gerant quasi vel de numine non cogitarent, vel de ipsius existentia admodum dubitarent ad duas itaque classes hic revocari possunt.

Prima est velut abstrahentium à numine; quod neque ore neque animo versent, toti scilicet in commodis, honoribusque caducis aucupandis, quæ plurimi illorum per fas & nefas vitiis immersi consectantur, sicque ob facta positivè atheis, ob dicta negativè atheis accenseri possunt.

Secunda classis eorum est qui in libris evolvendis occupati, singularis eruditionis famam ambiunt, & divinitatis cogitationem ex veterum monumentorum lectione excitatam ægrè quidem excutiunt, certum tamen ac fixum assensum ei non præbent qui ex his

Digitized by Google

viri probi sunt, in affirmantem partem magis inclinant, juxta cujus normam mores plerumque componunt: reliqui superbiâ aliisque vitiis excœcati in alteram partem magis propendent, ut divinitatem congeniti luminis naturalis fulgoribus radiantem secum ipsi turpiter ac miserè luctando abjudicent. Hujus postremi generis videntur esse famosi illi mediæ ætatis interpretes, de quibus mox agemus: tum quòd in suis commentariis nusquam diserè spirituum existentiam negent, sed tantum contentur veterum dicta (à quibus defectionem profiteri pudet) sic interpretari, quasi omnia spiritibus tributa a majoribus subtili naturalium causarum activitati adscribi possent: Tum quod illi ipsi quandoque perinde scribunt, ac si de spiritibus rectè sentirent neque modo illorum multi inter sese, sed nec idem ipse secum persæpe adhæret: uti celeberrimi Sinæ Europæis non semel fassi sunt: tum quod suam ipsimet dubitationem, non obscurè aliquando declarant.

Unus sit instar omnium nominatissimus *Shacu* atheorum interpretum coriphæus, qui de oblatâ regi *Cao* cum in somnis à supremo Imperatore, sapientis *fu yue* figurâ sic scribit, ut quà se expediat, ignoret. Veritus fateri, quòd diffiteri non audet, ne ipso textu falsitatis arguatur "Cao cum *somniavit de* fu yve *hoc* „ *igitur cùm ita sit, verè fuit aliquis Imperator* qui „ regi diceret assigno tibi fidelem adjutorem; „ nunc autem per vocem *ty*, non aliud quam „ Dominum & gubernatorem intelligi dicunt, „ eumdemque expertem corporis & figuræ; sed puto

puto quod ita res fieri non potuit. (Nempe non capit quomodo se conspiciendum præbere valeat, is qui caret figurâ.) pergit, "si agatur de eo qui hoc sæculo dicitur *yo hoan* magnus cæli imperator, puto quod ita esse nequeat (quia scilicet *yo hoan* multis post hoc somnium sæculis natus est) quam non inane ac fortuitum fuerit illud somnium successus ipse monstravit; rex enim *Cao cum* somniavit à cœli imperatore indicari sibi fidelem adjutorem ac procul dubio in somnis ad fuit cœli Imperator qui illum indicaret, *neque dici potest tantum fuisse cœlestem illam rationem ly.*"

Hoc vanum est Atheorum perfugium, cui intelligentia destitutæ omnia tribuunt. Idem in *cy ly* fol. 34. ait ob extinctum *ritum oblationis spiritui terræ cui mandandum erat corpus defuncti, sicque neglectum eum quem majores sacrificiis celebrant velut nemoris Dominum, se vehementer timere.* At timor ejusmodi in illum non cadit qui spiritus intelligentes negat, à quibus sibi metuat. Adde quod in *Sim ly* lib. 28. fol. 18. idem *chu cu* de *chin cu* paris impietatis paulò antiquiore antesignano *testatur ipsum non quoslibet spiritus, sed recenter excogitatos spiritus negasse.* Atqui interpres *Ly Ky* lib. 1. fol. 36. qui *hominum venerantur spiritus, non sibi ipsis satisfaciunt sed petendo à spiritibus, sciunt eos extare, non tamen certi sunt.*

NUMERUS VI.

Unde orta sit dubitatio de priscorum Sinarum Atheismo.

QUoad priscorum Sinarum religionem attinet, eamdem illam esse quoad substantiam cum lege naturæ jam diximus, ejus scilicet, quæ tota revocetur ad superiorum sibi spirituum venerationem, & æquum inter homines in quinque classes (*ù lûm* vocant) distributos amorem, ex quo nemo ausit inferre vel negare alteri, quod sibi illatum, vel negatum nolit. Ea quidem fuit P. Matthæi Ricci, & aliorum antiquorum Patrum constans assertio, donec ante quinquaginta circiter annos cœperunt aliquot è Japonia Macaum delati Patres dubitare, imò & arbitrari veteres ipsos Sinas Atheos fuisse. Atque in hanc suam sententiam post multas concursationes pertraxere P. Nicolaum Longobardum, qui cùm universæ Missioni tunc præesset, ac fusissimo tractatu crebrisque epistolis apud omnes instaret aliud nihil voce, scripto, annorum ac meritis quâ pollebat autoritate evicit, quamut perpauci, non unâ tamen loquendi sentiendive ratione omnes ipsius partes foverent, fortiter obtinentibus spectatissimis illâ tempestate Missionis luminibus, tum Europæis, Vagnoneo, Trigautio, Pantoya, Alenio, Furtado, Royo, Figueredo, Fabro, atque aliis, cum Sinis, Paulo, Petro, Leone, Michaele doctoribus, (ut in aliquantò inferioribus litte-

Digitized by Google

rarum gradibus constituros taceam) adeò ut istorum suffragiis & assertione de Sinicorum interpretum inconstantiâ, perculsus ipse Longobardus tandem subjecerit, rem iterum ac maturiùs ponderandam sibi videri.

Verumtamen cùm de nomine potiùs quam de re videretur agi; & multorum animi, de more certando incalescerent, satius visum Patri Andreæ Palmeiro tunc Societatis Moderatori in his partibus, mandare, ut tractatus omnes collecti revocarentur, atque ad servandam uniformitatem, & concordiam deinceps abstineretur à duabus litteris *Xam Ty*, seu *supremi Imperatoris*, sed contineremus nos intra duas alias, *Tien chu*, *Domini cæli*, ad Deum quasi proprio nomine designandum. Quod ita præscriptum est, & executioni mandatum, ut obtemperaretur quoque statuto R. P. Generalis post aliquot annos perlato, quo vetabamur quidpiam immutare in libris P. Matthæi Riccii sæpe per voces illas *Xam ty*, Deum exprimentis, & veteres Sinas Atheismo eximentis.

Dubitationis istius movendæ occasionem dedit lectio commentariorum aliquot è præcipuis interpretibus doctrinæ Sinicæ qui textus antiquorum ita explanant, quasi illorum autores nihil præter cœlum materiale ac corpora sublunaria cum nativis occultisque ipsorum virtutibus & efficientiis agnovissent, quibus universa administrentur: tametsi verba quibus utuntur intelligentias quasdam cœlestium ac terrestrium moderatrices præseferunt, hinc enim Europæi homines hocce va-

Digitized by Google

lidiſſimum argumentum inſtruxerunt: exteri in Sinis homines ut priſcorum Sinarum mentem aſſequantur, ex ipſorum monumentis, quæ ſunt inſtar ſcripturæ Sinicæ, non debent textus illos pro ſuo ingenio explicare, ſed juxta expoſitionem interpretum ipſius gentis quæ ſuas ipſas res perſpectas habet: atqui juxta Sinicorum interpretum expoſitionem, quæ compacta eſt in corpore Philoſophiæ Sinicæ, cui titulus eſt *Sim ly ta civen*, veteres Sinæ nullam prorſus divinitatem, nullos ſpiritus intelligentes ex animo coluerunt, nec animorum immortalitati, aut alterius vitæ præmio ac ſuppliciis fidem ullam habuerunt, adeoque Athei extitère: ergo nos exteri in Sinis homines ita de illis ſentire debemus. Non itaque negatur, quin ſi vetuſtiores Sinarum codices per duo & amplius annorum millia confectos perlegamus, iis iſti verbis conſcripti ſint, ut videantur Sinici Principes ac ſapientes juxta luminis naturalis radios non malè de numinis ſpirituum & immortalis animæ exiſtentiâ judicaſſe, at nonnulli contendunt interpretum expoſitione nixi, hæc omnia tam præclarè ſcripta fuiſſe juxta doctrinæ exterioris corticem, nucleum verò frangentibus interioris doctrinæ medullam apparere in eo ſitam, quod egregia illa dicta ſunt metaphorica, & ſolertium optimatum inventa ad plebem in officio continendam veneratione, ſpe, ac metu ſuperûm; adeoque priſcos illos ſapienter eſſe meros populi, quamvis animo non malo, deceptores; cujus ſuſpicionis genti Sinicæ tam injurioſæ inanitatem

Digitized by Google

cùm doctè & accuratè confutet P. Prosper Intorcetta in præfatione ac digressionibus *chum yum*, ut multa paucis ego amplectar, quantum instituti mei ratio postulat, inprimis scisciter ecquando Sinam vel unum ita loquentem audierint? palàm hoc quispiam proferat *yao xum*, *ven vam*, *chim*, *tam*, *cheu*, *cum*, *yn*, *cum cu*, alioqui paris inter Sinas existimationis sapientes deceptores extitisse qui sua illa illustria dicta factaque fictè ederent; viderit an non lapidibus potiùs quàm verbis ejusmodi scommata retundantur: quis litteratorum non identidem jactat, priscorum doctrinam sapientum traditam præsertim in *Li Ky.* 7. fol. 28. de conjungenda interna animi sinceritate *chum sin*, cum æquatituum externorum mediocritate ac temperamento? Atqui hanc vocem *chum*, interpres fol. 46. sic explicat, *chim xe vie*, *quey*, *ye*, *perfecte*, *solidè*, *sine falsitate*, *ac deceptione* centies in eodem *Li ki* inculcant debere *y* qui est internus animus & intentio concordare cum externo ritu qui est *Ly*, adeò ut *Tò y*, sit, *puèn* præcipuum, ex quo patet litteratorum interiorem doctrinam *Kiao* sitam in intentione, è diametro oppositam esse *nuy Kiao* interiori doctrinæ sectariorum, cùm in istâ internus animus exteriori cultui adversetur, cum quo in illâ conspirare debet. Promatur quæso vel una sententia illorum ipsorum autorum quos classicos magnificè appellant, in qua priscis illis hæroibus tam nefaria simulatio imputetur, & discrimen istud inter externam internamque doctrinam quod est posteriorum temporum impietas

Digitized by Google

ab externis corruptisque fontibus deducta? quare istam ab nativa Sinarum origine repetere velle Europeæ artis est, nequaquam verò Sinicæ. Quod enim *Chim cû* in *ye Kim* explicant *suy & hion* quæ sunt unionis ac dispersionis figuræ, scribit, *templa fuisse supremo Imperatori erecta, ad colligenda & unienda populorum & obtemperantium corda*, potius pii politici quam deceptoris animum indicat, cum subdat *ad eamdem uniquem hominum unius familiæ aulas, majorum ædificatas fuisse*, ex sincerâ ut per se patet, non fictâ erga progenitores observantiâ.

Atque hanc fictitiæ in veteribus pietatis erga superos calumniam, Deus ipse refelliisse videtur, dùm regem *Tam* seipsum loco victimæ in monte *tay cùm* offerentem ac devoventem non dæmonibus aut idolis, sed uni cœlo ad placandam ipsius iracundiam, diuturnâ siccitate sævientem, ac se prodentem, largissimis de repente imbribus, in piissimi animi testimonium ac præmium donavit, quod si peccatores Deus non exaudit, quantò minùs cum prodigio annuet votis populi deceptorum ac verè Atheorum, qui supernam quam corde pernegant intelligentiam, fallaci ore irritant potius quam sibi propitiam demereantur? *Si quis Dei cultor est, & ejus facit voluntatem, hunc exaudit.*

Sapientissimi verò consiliarii *y yn chum ho ey cù y*, & alii, quàm stolidè Imperatores *Kie* & *cheu*, à sceleribus revocare niterentur, argumento ducto ab imminentibus a cœlo vindice è familiæ totique regno calamitatibus, si non resipiscerent, nisi eos alloquerentur Impe-

Digitized by Google

ratores : qui tametsi factis impii ac scelesti, vindex nihilominus ideoque intelligens in cælo numen, unâ cum ipsis consiliariis agnoscerent.

Famosus *cheu cùm* in secreto conclavi cælum enixè rogabat, interpositâ eorum etiam intercessione proavorum, quos in cœlo acceptos supremo Imperatori residere putabat, ut sibi potius quam fratri *yù vam* gravissimè laboranti vitam eriperet, si forte alicui è familia omninò opperendum esset. Quonam porro consilio hæc ardentissima oratio votumque nuncupatur? ad regendos faciliùs populos inutilis planè est, neque magis apta ad captandam, vel vanam coram aulicis gloriolam vel gratiam, sive apud fratrem, quem latuit, sive apud successorem nepotem, qui egregium patrui animum diu, tum ipse, tum cæteri, ignorarunt, ut disertè annales tradunt; an fingit coram se ipso, ut seipsum stutè decipiat, sibique illudat. Sinceræ proculdubio pietatis in fratrem ac religionis in superos sunt ejusmodi preces ac vota.

NUMERUS VII.

Quæ fides interpretibus Sinicis & quibusnam.

Quod ad Sinicos interpretes attinet non is ego sum qui illos omnes vel crassissimæ ignorantiæ, vel malitiosæ dissimulationis damnare velim, dum eos exponunt authenticos textus in quorum intelligentiâ tot annis

Digitized by Google

desudarunt, perinde quasi advena Europæus in penetranda priscorum mente ac lingua quibuslibet indigenis oculatior sit; id modò pugno non tam numerandos esse, quam ponderandos ac dignoscendos Sinicos interpretes, ut iis adhæreamus qui majoris autoritatis ac minùs suspectæ fidei fuerint.

In quatuor classes distribui possunt. Primam quæ reliquas antiquitate ac dignitate autoritateque longè superat. Confucius sibi meritò deposcit, cum suo nepote *sú cù*, & selectis utriusque discipulis, quos inter præcipuus habetur *mem cù* quamvis istorum ac præsertim Confucii plurima opera, ut *chum cieu* & *sù xio*, textus inter reponantur, eò quod summissimæ veritatis inter Sinas censeantur; profsius tamen strictiusque loquendo, hos primæ notæ interpretes vocare præstat, textuum verò & quasi scripturæ Sinicæ nomen iis deferendum est quatuor prioribus è quinque vetustissimis libris quos vulgò *u Kim*, quinque doctrinas appellant. Palam sanè Confucius non semel professus est, se priscorum duntaxat sapientum doctrinam tradere: unde initio quartæ partis *tun yù*, *ait se interpretem esse non autorem Xo lsi pú cò*, & sub finem ejusdem *lun y ù*: Confucii discipuli probant *sui magistri doctrinam fuisse jampridem à priscis sapientibus yaò*, *xun*, *chim*, *tam*, *heu Kia traditam*, & quidem ab illis multas mutuatus est sententias quas suis scriptis tanquam lumina ac firmamenta inferret, depromptas quandoque ex ipsis quatuor doctrinis, quarum magnam partem propriis commentariis elucidavit. Quam ob causam Imperatores

Digitized by Google

peratores *hûm vù* & *Kia cim* Regii cultus Confucio decernendi potiſſimam rationem ex eo duxerunt, quod veterum elucubrationes emendavit, perpolierit, & planiſſimè explicuerit velut in integrum reſtitutas, uti cap. 3. patebit. Horum itaque primæ claſſis commentatorum explanationem non reſpuimus, ſed ſequi nos gloriâmur, necnon duorum aliorum inſignium virorum, quos cum diſcipulis ſuis non paucis in 4. claſſe collocamus, quoniam ante centum circiter annos, noſtro ſæculo propiores floruerunt uterque nomine *cham* dignitate *Colaus*, & maximæ in examinibus litteratorum autoritatis, quamquam eorum prior *cham colai* appellationem, quaſi per antonomaſiam & regii inſuper præceptoris munus conſecutus eſt cùm poſterior agnomine *tum co* notior ſit.

Secundam claſſem, imperante familiâ *ſum* ante 600. annos occuparunt *chim cù*, *chu cu*, *cham cu*, cum aliquot aliis non vulgaris ob litteraturam exiſtimationis, viris. Idem de his dici poteſt, quod de Tertulliano & Origene inter ſacræ ſcripturæ interpretes, Averroë docto commentatore, & impio Porphyrio inter peripateticos ſtatuitur, ingenioſiſſimos quidem illos eſſe, eruditiſſimos, & in eâ, cui ſe addixere ſcientiâ verſatiſſimos: ſed cum erroneis quibuſdam in illâ ipſâ ſcientiâ dogmatibus pertinaciter adhæſerint, ſic eâ parte inter hæreticos numerari debent, atque ipſorum expoſitioni fides eſt deroganda, ut in cæteris cum ejuſmodi hæreſi minimè connexis plurimum laudis ac fidei mereantur. Iſto-

Digitized by Google

rum porrò ſecundæ claſſis interpretum hereſis in priſcorum Sinarum doctrinâ, vel potius erronea opinio (cùm illam dubitanter ut dixi non pervicaciter ſuſtentent) eſt inchoatus ſeu dubius quidam atheïſmus, ex quo effecta omnia mere naturali ſeu congenitæ cauſarum corporearum virtuti, nihil autèm veris atque immortalibus intelligentiis adſcribunt. At in primis ſuſpectam illorum doctrinam reddit ipſiuſmet anteſignani *chu vên cum* notatu digna confeſſio, dum ſub finem expoſitionis Mencii hæc ſcribit *mortuo Mencio doctrina ſapientum ſeu ſanctorum non ultrà progreſſa eſt, adeò ut per multos annos non extiterit verus litteratus. Pú chim ſû* & in præfat libri *chum yum. Mencio è vivis ſublato doctrina litteratorum, nonniſi verborum mero ornatu conſtitit. Adeoque hæreſibus introductis præcipuè ſoe Bonziorum & diſcipulorum laò Kiun, fuit omnis recta ratio obſcurata & valdè perturbata veritas.* Idem *chu cù in xu kim ta civên* l. 6. fol. 3. agens de *Xam ty* ait: *Doctores qui a tempore han extiterunt veram doctrinam minime perfectam habuere.* Idem ibidem ſcribit fol. 33. *ngeu jam Ki*; hinc conjicias utrum iſtiuſmodi doctrinam velut rectiſſimam interpretandi normam amplecti teneamur.

Deinde (quod caput eſt) illorum interpretationi fidere non expedit, quia ſincerorum ac ſolidorum interpretum leges violant; iſtæ autem vetant, ne perpetua vis textibus inferatur & ne clara multiplicium textuum verba, quæ ſanam doctrinam exhibent, ad aliorum paucorum obſcuriores & errori faventes in ſpeciem voces, velut ad æquam amuſſim

Digitized by Google

exigantur, aliàs ſacra ſcriptura quibuſlibet hæreticis corrumpenda permitteretur, quod ipſum eveniret aliis litteralibus diſciplinis, in quarum authenticis codicibus, non deſunt perpauca quædam, quæ cum reliquis minus aptè connexa cohærere primâ fronte videri poſſint. Germanus itaque ac veritatis amans interpres, ut in mentem autoris pervadat & poſtmodùm aperiat, non attendit aut ſanè ſe non affigit iis, quæ auctor ſemel aut bis per tranſennam ac ſubobſcurè attingit, ſed quæ ut plurimùm & quaſi continuatâ, conſtanti ac dilucidâ doctrinæ ſerie contexta ac corroborata ſunt. Niſi forte quid inter illa extaret ejuſmodi, ut manifeſtum contineret errorem à quo excuſari & vindicari auctor poſſit aliis quibuſdam licet paucioribus, nec ita diſertis ſententiis quibus velut præjudicata in favorem manifeſtæ veritatis opinione uti fas eſſet ac præſtaret, verùm prædicti interpretes pauciſſima, minùs clara intricata, & velut avulſa contrariam lumini naturali falſitatem præferentia arripiunt, ut in ſexcentis aliis inter ſe perbelle connexis & conſentientibus extantem ac perſpicuam de numine ac cæteris ſpiritibus veritatem in ſuorum paucorum dogmatum ſenſum detorqueant, quod quis ingenuæ ac candidæ veritatis amans ferat? adde illorum in dictis inconſtantiam, perplexum quem ſubinde produnt animum ac metum erroris ſui diſertè aſſeverandi: nempe nondum profligata penitùs conſcientia ac pudor exhorrent turpem a majoribus atque à vero defectionem, quam internoſcunt ac perſentiſcunt,

Digitized by Google

Quâ de causâ *chim cù & chu cu*, qui tetra biblion seu *sic Xu*, ac cæteras doctrinas fusè commentati sunt, eam tamen quæ nobilissima est & inter conscriptas litteris antiquissima (*Xie Kim* intelligo) attingere formidarunt, quam scilicet manifestè pugnantibus cum Atheismo dictis ac gestis repletam cernerent, atque inter explorandas reliquas doctrinas, si quis obvius textus spirituum intelligendi vim clariùs tradit, hunc planè intactum absque ulla expositione transiliunt.

Tertiam, habitâ ratione temporis, classem (quæ multitudine primas, autoritate postremas tenere videtur) obtinent auctores vel potiùs compilatores ingentis operis inscripti *sim ly ta civen* quod *Philosophiæ* vel *schola Sinicæ* nomine oppositores insigniunt, veriùs *Polyantheam* Sinicam appelles cujus hæc origo fuit. Ante annos circiter ducentos, supra quadraginta, mandato Imperatoris *ven ty* (qui tertius fuit ex familia *mim*) litterati illius temporis plurimi convenerunt, ut vel obrutam, vetustate, vel temporum ac tyrannorum incuriâ collapsam dissolutam que Sinicam doctrinam suscitarent. Id vero litterati illi sic præstitere, ut pro suo arbitratu atque uti pluribus videbatur, non moralis duntaxat philosophiæ Confucii ac priscorum, sed aliorum etiam in quâvis liberali arte illustrium virorum placita, sententias, dicta undequaque corraderent professi se non tam ea de suo promere, quàm aliena referre; verùm cum major illorum pars ad Bonziorum vel reconditas atheismi, vel populares idololatriæ hæreses defeciſſet, atque rem aggrederentur

Digitized by Google

illius Imperatoris jussu, cujus proavus è Bonziorum fano ad solium evaserat, hinc quidem adulationis amore, inde verò ut suis hæresibus fidem conciliarent, ea ex veterum scriptis suo operi inseruerunt, quæ ad impium consilium promovendum majori usui futura essent, cæteris dimissis quæ ei adversari viderentur, præterquamquod inter eos quos in promptu habebant insignium interpretum libros, præcipui & ampliores prodiere ex officina memorati *chu cù*, & aliorum ejusdem farinæ sectatorum, quos magnificiendos Imperator ipse dixerat. Unde nihil mirum si pleraque atheismum redoleant, quamquam neque aliqua desunt ex vetustioribus præsertim monumentis desumpta, quæ sanam veterum mentem indicent: quocirca liber hic velut curiosus à litteratis laudatur, non tamen omnibus: neque indubitatæ apud illos veritatis habetur; imò nec ejusmodi est, ut ipso tanquam classico, inter examina subeunda uti valeant: Cautiùs itaque est evolvendum, & quidnam in eo adducatur, quibus haustum è fontibus diligenter inspiciendum, maxime ubi de illo agitur, in quo nobis à compilatoribus, quasi adulandi aut erroris sui disseminandi cupidis non immerito timere possumus.

Neque te exterreat tam turpis ac prope incredibilis præcipuorum illius temporis litteratorum a lumine naturali defectio & conspiratio adversus majores suos, adeò ut ne unusquidem de quadraginta priscæ doctrinæ memor aut propugnator extiterit. Quamvis enim nonnulli inter illos adessent veritatis conscii & aman-

Digitized by Google

tes, in reliquos tamen, ut fere fit, insurgere non auderent, sicque potius non refragrando ac reluctando, aut etiam aliquandiu repugnando non auditi, quam suffragrando cæteris annumerati fuerint. Et sanè interpres primæ figuræ *Te Kim* fol. 22. *& Ly Ky* lib. 8. fol. 11. conqueritur *quod nemo jam indaganda veritatis causa contradicta chu cù hiscere ausit.* Fingamus tamen illos omnes ejusdem planè mentis ac consilii fuisse, idem nempe in Sinis tunc contigerit, quod nunc in tribus docti orbis partibus evenire promum est. Moscoviam in Asia, Æthiopiam in Africa, Daniam, Sueciam, Angliam in Europa, aliaque regna non pauca mentis oculis obeamus, illicò tristem eorum sortem lugebimus, quibus cùm nitidissima religionis Christianæ lux olim affulsisset nunc teterrimis hæresum tenebris obsita tota jaceant. Quod si terrarum illarum principes suæ quisque gentis litteratorum cœtum convocarent, inquo sacram fidei doctrinam a vetustatis scriptoribus decerptam proponi juberent; an putemus complures ex iis litteratis Catholicam veritatem, quam ipsorum majores olim complexi deosculabantur, in medium adducturos, annon potiùs quasi cœcâ aut impiâ factâ conjuratione, perversorum dogmatum & interpretationum lue, cuncta complerent. Si quid Catholicam doctrinam saperet, vel tacendo, vel truncando, vel obiter perstringendo, vel disertâ explicatione declinando pessumdarent atque obruerent. Quid ergo obstupescamus si quid simile in litteratis Sinis, partim miserè fidei radiorum defectu cæcu-

Digitized by Google

tientibus, partim in errore præ ſuperbia oſtinatis, aliquot ab hinc ſæculis advenerit?

Ego verò miror magis quod oppoſitorum alter ſcripſit derideri nos a litteratis Sinenſibus, dum textuum verba juxta eum quem ſonant ſanæ doctrinæ ſenſum interpretamur: poſſum unus ego quaſi tyro trecentos litteratos commemorare, apud quos Deum cum ſuis perfectionibus ſub nominibus *hoâm*, *tien*, *xam ti* notum priſcis fuiſſe contendi; plerique illorum annuebant, multi lætabantur, nemine prorſus vel ſtomachante vel irridente; leve iſtud foret niſi alii Patres in hac ſacrâ cum litteratis exercitatione peritiores idem de ſe affirmarent.

Ecquis amabo litteratorum Sinicorum ab antiquioribus Patribus ac præſertim a Patre Mathæo Riccio editos libros riſu excepit? quamvis noſtra illa candida textuum acceptione ſint referti? quis non multis quotidie laudibus famoſiſſimi in Sinis viri opera ac memoriam celebrat? nonnulli quidem ex ipſis ſanctæ ac ſolidæ Riccii doctrinæ velut ſuis erroribus infeſtæ obluctati ſunt, nullus tamen extitit qui prædictam textuum acceptionem quaſi ridiculam ſugillaret. Ergone inſignes illi doctores, qui auctores erant Patribus, ut de adulterata mediæ ætatis interpretum expoſitione, nihil admodùm ſolliciti textibus præcipue intenti hærerent, neſciebant ipſi quid riſu vel laude dignum reputarent, niſi forte colendiſſimos ſibi magiſtros gentilium ludibrio exponere ſatagerent.

Digitized by Google

Quam multi Christiani litterati in suis ad gradum seu assequendum seu conservandum scriptionibus eamdem sentiendi, loquendique rationem inierunt qui non despectu, ac sibilis explosi, sed præconiis ac præmiis accuratæ lucubrationi debitis onusti domum redierunt?

Laureæ doctorali proximus *cham kem* suos commentarios in *ye kum* divinæ legis placitis seu luminibus respersit, nec minùs propterea litteratis probati sunt, ne dum ab iis subsannentur.

Ante paucos dies incidi in librum ab emerito Prætore civico & doctore Sinico, cui nomen *ho*, elaboratum, vide quid scribat, ac sodes ride. Non modicum sanè risum aut bilem, juxta oppositorum dicta movere deberet litteratis, tum ipse autor, tum illius clarissimi in multiplici prologo, fautores, cum inibi vigilantissimus spirituum erga homines amor ac cura, & continua erga Deum subjectio præclarissimè referatur. Verba ipsa commodius numero 19. proferam irridendi demum fuerint Ethnici juxta & Christiani in alto litterarum ac dignitatis gradu constituti viri, quotquot nempe egregias priscorum sententias seu appellationes, *hoam*, *tien*, *xam ty*, *chu cay*, ad præpotentem Deum *tien chu* a nobis dictum transtulere, dum eas vel suis diplomatibus insertas, vel tabulis encomiasticis insculptas in templorum seu sanctuario seu porticu ac limine appendendas obtulerunt.

Interea demus fidem habendam esse illorum atheorum

Digitized by Google

atheorum expoſitioni, hinc tantùm efficeretur priſcos illos ſapientes interiùs atheos extitiſſe, verùm non multi fuerunt iſti atque exteriùs ita ſe gerebant quaſi de divinitate rectè ſentirent, ſuoque populo, ipſorum dicta ac geſta, non autem mentem quam perſuadere nequibant intuenti, aliquam numinis notitiam, reverentiam ac metum inſpirabant, quo fit ut illorum temporum Sinæ, omnes quidem exteriùs Dei ac ſpirituum cultores eſſent, maxima verò pars etiam interiùs juxtà legis naturæ afflatum, atque ita ritus omnes externi eſſent veræ religionis; quamvis enim inſtituti eſſent à ſimulatis Dei cultoribus, iſti tamen ſuam impiam mentem tegebant, non aperiebant per ejuſmodi ritus, quos inſtituebant non ad ſignificandam ſuam infidelitatem, ſed ad proteſtandam ſinceram internam religionem, quâ ſic ipſi carebant, ut populus ab iis feliciter deceptus, illam & complecteretur animo, & exteriùs profiteretur. Quapropter ut iſtiuſmodi rituum, vel verè religioſa, vel ſuperſtitioſa ſignificatio à nobis dignoſcatur, ad priſcorum verba geſtaque adjiciendus eſt animus, maximè cum illi ipſi moderni, & quoniam ita placet athei, ſic in religioſorum operum exercitio exteriùs ſe gerant, imò & publicè ſic loquantur, quaſi hæc obirent religiosâ mente erga ſuperiores mortalibus intelligentias, atque hoc pacto quaſi in ipſorummet confeſſione ritus illi externi ex naturâ ſuâ morali ſeu ex inſtitutione pro religioſis ac piis haberi debeant.

Digitized by Google

NUMERUS VIII.

Quibus nominibus Sinæ Deum expreſſerint.

VErùm de iſtis priſcorum Sinarum vocibus non levis controverſia excitatur, à quâ nos expedire valeamus hâc Auguſtini ſententiâ de gen. ad litt. cap. 4. *dummodò intelligatur quod intelligendum eſt, non magnoperè curandum eſt, quid vocetur.* Nam quid vocibus ipſis ſubſit, & quid per eas intelligendum ſit, oppoſitores in dubium vocant, quod niſi ſolvatur penitùs, hæc tota diſſertatio perturbatè ac perpetuò vacillans procedet. Neque verò de vocibus levis cujuſdam momenti agitur, ſed de iis quæ caput rei continent, utpote quibus Deus ac ſpiritus, ſeu intelligentiæ & angeli cum animâ rationali exprimantur.

Etenim adeò ſpiſſis ignorantiæ tenebris involutos ſemper Sinas vixiſſe ſibi perſuadent adverſarii, ut hactenùs fuerint vocum expertes, quibus Deum ac veros ſpiritus ſignificarent; quod ſanè mirum mihi videtur conſideranti fundatorem Imperii Sinici *fohy* centum ſupra quinquaginta ad ſummum annis poſt linguarum confuſionem, adeoque trecentis poſt diluvium annis regnaſſe? ecquis enim ſibi in animum inducat, tam brevis temporis ſpatio Dei à communi diluvii exitio liberatoris, & ſeveri de inſanæ ſubſtructionis ſuperbiâ vindicis cognitionem, lumine cæteroquin nativo ſuapte ſponte prodeuntem, ſic eraſam fuiſſe ex

Digitized by Google

omnium mentibus, ut ne ſimplex quidem apprehenſio nomini *Dei* reſpondens, in quoquam illorum ſupereſſet? ſuperat ex illorum oppoſitorum aſſertione, ſiquidem ſic veteres Sinicos ſapientes atheiſmi condemnant, ut ipſos ſpirituum venerationem ad regendos commodiùs populos ſimulaſſe velint; at quo tandem pacto ſuperiorum intelligentiarum cultus regendis populis accommodatus videri iis potuiſſet, ſine aliquâ ſaltem apprehenſivâ cognitione cui apta quoque inter illos nomina reſponderent ſpirituum illorum, quorum venerationem ac metum populis inſpirare moliebantur? Itaque rogo, quibuſnam verbis ac nominibus illas ipſas quas negare ſupponuntur intelligentias cæteris proponebant quos ab earum fide dehortari, vel ad cultum traducere nitebantur? non aliis certè quam iis de quibus mox dicetur.

Voces ubique terrarum excogitatæ ſunt, ut ſubſtituantur loco rerum, quæ nequeunt eſſe ſemper in promptu ac proſpectu, & quamvis adſint non eumdem omnibus ſui conceptum ingenerant. Idcircò utimur vocibus, ut rerum conceptarum vicariis, quibus res ipſæ quatenùs conceptibus ſubſunt, audientium auribus ac mentibus, à loquente, vel ſcribente, inſinuantur. At cùm iſtarum rerum, in quarum cognitionem per voces adducimur, notitiam nos mortales non aliâ quam ſenſuum viâ aſſequamur, quippe nihil eſt in intellectu quod priùs non fuerit in ſenſu, ſenſus autem ultra certas affectiones accidentarias ſubſtantiæ corporeæ cui inhærent adhærentve, non

Digitized by Google

excurrant; hinc ſubſtantiam de ſe ſenſus latentem, per accidentia de ſe ſenſibilia indagamus. Verum ſubſtantiæ ſpiritales accidentibus ejuſmodi deſtitutæ ſunt, à quibus notis ad incognitam ſpiritalem ſubſtantiam progrediamur: aliam ergò ulterius viam ineamus neceſſe eſt, hanc nempe quæ ab effectu viâ ſenſuum, ac ſecundum nos, ut aiunt, magis noto ad cauſæ à noſtra ſenſibili notitiâ remotioris cognitionem perducit; cauſam itaque in ordine ac per habitudinem ad effectum exprimimus appellando. Effectus porrò immediatè ſpectat virtutem, ſeu potentiam aliquatenùs activam, quæ velut proprietas à naturâ ſubſtantiaque rei fluit. Potentiam activam dixi, utpote quæ ſola perfectionem ſimpliciter ſonans & in actu, erumpit in effectum; cum potentia paſſiva ſit imperfecta quæ emendicando ea poſcit quæ nondum aliunde accepta in ſuo ſinu multa confundendo, abſcondat potius, quam ad invicem diſtinguendo expromat ad diſtinctam illam quam quærimus; ac per voces aperire optamus cujuſlibet rei cognitionem.

Activa hæc virtus ac potentia duplex eſt: alia phyſica productionis, moralis alia, gubernationis. Utrique ſui proprii effectus reſpondent, in ordine ad quos cauſam iſtius potentiæ radicem noſcimus & nominando deſignamus: ſic Deum creatorem in ordine ad creationem, effectum divinæ potentiæ proprium nominamus, regem regum, ac Dominum Dominorum, in ordine ad dominium ac regimen, quod exercet ipſe, nos verò

Digitized by Google

ex effectibus sensibilibus illius physico-moralis potentiæ agnoscimus ; Deus græcè θεὸς dicitur à θεῖν, quod sit causa objectivè attractiva, tantæ virtutis, ut omnes ad illum votis & obsequiis, quasi pedibus intellectus volantis currant.

Hæc & similia perbellè fiunt per derivationem vocis quæ causam, ab ea voce quæ effectum significet. At quò se vertant Sinæ cum suis voculis, quæ omnes monosyllabæ indivisibiliter proferuntur ac significant, singulæ quasi totidem sunt radices, quæ findi nequeant ad propaginem : ex quibus progeniti rami, vel frondes non pullulent, quibus nihil per adscititiam insertionem incrementi accedat uti in aliis evenit linguis, per divisionem unius vocis in duas, per detractionem, additionem vel immutationem alicujus syllabæ, per compositionem multarum vocum in unam coalescentium, & maximè per inflexionem & derivationem verborum à nominibus, adjectivorum à substantiis, obliquorum à rectis, aliquorum temporum, numerorum, personarum ab aliis, quæ omnia desiderantur in linguâ Sinicâ, in quâ si qua sonorum affinitas reperitur in vocibus, hæc ad significandi vim minimè attinet v. g. *sy*, *siu*, *sive*, *siven*, *occidens oportet*, *nix*, *deligere*, significant.

Digitized by Google

NUMERUS IX.

De voce Tien, *&* Tien-ty.

ALiud itaque remedium ad causam per effectus denotandam ac significandam non suppetit, quàm si causæ attribuatur ipsissimum nomen effectus, non cujuscunque sed præcipui, atque ita proprii talis causæ, ut ab alia prodire nequeat; aliàs non esset aptum nomen ad declarandam rem, quæ causa est, ut distinctam ab omni aliâ. Sic Sinæ Deum vocant *Tien*, cœlum, quod nempe est primum præpotentis naturæ divinæ effectum, quodque ab altero quam Deo seu primo principio prodire nequit, atque istud vitio eò minùs Sinis vertendum est, quòd nos, quibus propria lingua facilem distinguendæ per derivationem causæ ab effectu potestatem facit, eodem loquendi modo in ipsis sacris codicibus, quandoque utimur, dum propitium vel adversum nobis cœlum pronunciamus, nomen effectus pro ipsâmet causâ usurpantes, *creavit Deus Cœlum & terram*, effectum vides: *Peccavi in cœlum*, causam agnosce.

Atque cùm terra ab uno quoque Deo velut causa producta sit, illius quoque velut effectûs Deo proprii nomine, ad Deum tanquam illius causam, exprimendum Sinæ nunquam uti videntur, sive seorsim *ty*, quod rarius est, sive quod frequentius, conjunctim cum ipso cœlo *Tien-ty*, nusquam tamen effectus nomen pro causâ usurpat, nisi dum ex subjectâ ma-

Digitized by Google

tetiâ contextuque orationis de ejusmodi vocis acceptione constat.

Alias præterea voces adhibent ad cœlum ac terram pro effectu sumpta exprimenda nimirum *Kien guen*, sed istis nunquam utuntur ad expressionem causæ illius incorporeæ seu Dei. Imò ad tollendam omnem æquivocationem, voci *Tien* pro causâ acceptæ præfigunt vocem *hoâm* Imperator *hoam tien*, & voci *ti*, vocem *heu* reginæ vel regis, quæ nonnisi prædictis intelligendi ac gubernandi vi ad supremum regimen necessaria competere possunt. Cælo vero corporeo, bruto, cassо omni sensu & intelligentiâ, præfigunt vocem *çam*, ut plurimum geminatam *çam çam tien*, cæruleum cœlum, quæ colorati cœli, quod sensu visus percipi queat, appellatio in solum corporeum cœlum cadere potest. Unde in *Xi Kim* dum compellatur *çan tien*, quasi intelligentiâ præditum esset, tunc usurpatur effectus pro causa, quod in manifestâ orationis serie licet: Nefas autem Sinæ ducunt effectum donare nomine causæ, sicque non vicissim usurpant *Hoam tien* pro cœlo visibili, necnon ad rem planissimam faciendam, quandoque adjungunt voces supremi Imperatoris, de quibus infra & clarè habentur in *Li Ki*, lib. 5. fol. 49. *cum hoam tien xam ty*, *veneramini regale cœlum*, *supremum Imperatorem.*

Alia insuper ratio Sinis fuit usurpandæ vocis *tien*, pro Deo, uti nempe ipsum designarent tanquam primum Principium gubernationis per cujus patentiores crebrioresque effectus, facilius quam per effectus creationis manifestatur.

Digitized by Google

Verùm effecta gubernationis sensibilia & ita propria illius principii, ut ad ipsum manifestandum atque à cæteris discernendum apta sint, ægrè inveniuntur; idcircò Sinæ vice ejusmodi effectuum, utuntur loco vel instrumento illorum edendorum præcipuo, & aliquatenùs proprio? hicque communissimus est ac familiaris eorum loquendi modus, sic Imperator vocatur *chao tim regii palatii aula*, in quâ nempe sancit ac decernit: supremus rituum senatus, dicitur *ly pù*, *rituum codex seu liber*, in quem scilicet relata ipsius statuta, perpetuum robur obtinent: supremus militiæ senatus *Pimpu*, *militiæ codex*: atque ita de cæteris quatuos horum senatuum; in singulis est præses cum duobus assessoribus, qui cum prò tribunali sedeant in triplici aulâ, unâ mediâ majori, & aliis paulò minoribus ad lævam & dexteram, vel quandoque in eâdem medius sedeat præses inter assessores ad sinistrum, & dextrum utrinque latus, hinc præses *ta tam*, *major aula chim tam*, *recta in medio aula*, assessorum primus *co tum*, *sinistra aula*: alter *yeu tam*, *dextra aula* nuncupatur cujuslibet urbis præfectus, illius urbis nomine appellatur v. g. *quàm cheu fic*, *Cantonensis urbs* tres ipsius assessores, *lh fu*, *secunda urbs*, *san fù tertia urbs*, *su fu*, *quarta urbs*, præfectus oppidi, *nieu hien tale oppidum* dicitur, eodem modo spiritus montium *xan montes*, fluminum præsides, *chuen flumina* nominant, quamvis nonnunquam majoris claritatis causâ adjiciant particulam *xin*, *spiritus*; *xan xin montium spiritus*. Uti & additur vox *chy gubernator urbis chy fu*,

Digitized by Google

fu, quam nempe urbem regendam habet. At ne putes gratis à me reddi voces, *ſpiritus præſidis ejuſmodi rerum* audi Gloſſam *Ly Ki* lib 8. fol. 16. ad has voces textus, *ſacrificatur centum generibus frumentorum*.....

Quis igitur ambiguitatis arguat voces *cœlum & terram*, *tien ty* tributas Deo qui eſt ſupremus cæli terræque moderator? præſertim cum ſœpiſſimè conjungantur cum aliis item vocibus, *hoâm*, *heu*, quæ Imperantis ipſi cœlo, terræ, aliiſque in eo contentis rebus, poteſtatem declarant.

Neque ſanè hic loquendi modus inter nos muſitatus eſt. Eo quod olim Romani nec non Galli in curia ſeu patenti atrio jus dicerent, hinc pridem ſenatus Romanus, nunc autem collegium ſacrum Cardinalium, *Curia Romana*; ac parlamentum in Gallia, *la Cour*, vocant, non ſecus ac conſtitutum examinandis publicis ſumptibus Senatum, *la Chambre des Comptes* computorum cubiculum, quoniam diſcutiendis illis rationibus præpoſiti ad id coeunt, intra cubiculum majus Gallicè *Chambre*, Luſitani pariter civicos magiſtratus ipſius civitatis nomine donant *Cidalle*.

NUMERUS X.

De cheù cay, xàm, ty, xy, ken, puèn, *Deo tributis.*

AD primum Principium Gubernationis exprimendum aliam quoque loquendi rationem nobiſcum item communem, Sinæ

Digitized by Google

adhibent, dum vocant illud, *chù cay Dominum ac moderatorem*, sine ullo additamento. Quid frequentius in sacris paginis, *hæc dicit Dominus*? sed quoniam littera *chù* simpliciter prolata quandoque in veteribus libris Sinicis significat prædominantem in qualibet re virtutem, idcircò ad primam causam ac principium distinctè significandum addiderunt vocem *cay*, gubernationis regiæ expressivam, quæ gubernatio virtuti prædominanti tribui non potest, nisi, hæc ipsa sit propriè, adeoque per intelligentiam dominatrix; unde hæ duæ voces conjunctæ *chù cay* quamvis ab atheis, ad significandam prædominantem quamlibet virtutem etiam corpoream extendantur, tamen nullus depromitur veterum textus, in quo alteri, quam divinæ virtuti ac naturæ tribuatur, ob præcellens dominium naturale ac proprietatis, quod ipsi ex propriâ naturâ competit in cætera omnia, quorum primum principium Physicum est *chù*; nec non ob supremum dominium jurisdictionis, quod infinitæ ipsius intelligendi gubernandique vi annexum est *cay*.

Sinicus igitur hic nostro non absimilis est loquendi modus, ex quo vox analoga ac transcendens simpliciter ac sine ullo addito prolata significat primum à quo cætera pendent omnia, quæ sub ejusmodi nomine, nonnisi cum aliquo additamento comprehenduntur. Sic solus Deus, seus *ens* infinitum, est *ens* simpliciter ac sine additamento, cùm cæteris ratio entis nonnisi limitata concedatur, & cum adjecto certi entis, putà corpo-

Digitized by Google

rei, creati ac similium, ita & *Dominus*, nemo alius affirmatur simpliciter, sed cum accessione alterius vocis, certum quoddam dominium determinantis, putà Dominus urbis aut Regni, præsertim cùm supremum dominium proprietatis simpliciter naturale alteri quam Deo convenire nequeat in res omnes naturales, quoniam istud fundatur in virtute physicâ productivâ totius rei, quoad omnes partes & independenter, quæ in uno Deo residere valet.

Propter eamdem primarii analogi appellandi rationem utuntur ad exprimendum Deum voce *ty*, quæ est Imperator, cùm suos Imperatores ea appellatione non donent, absque additione quadam *nieu ty*, talis Imperator, puta *mim ty*, *hoam ty*; quamquam, majoris claritatis ergo, persæpe vocem *xam*, præfigunt, *xam ty*, *supremus Imperator*; quo velut agnomine nullum è suis Imperatoribus cohonestarunt, quod enim in *xy kim* unus ex illis eo nomine, imò & nomine *tien cælum*, compelletur patet ex contextu, id Ironicè scriptum fuisse à poetâ ad carpendam ipsius vecordiam, qui cum ipsum *xam* ac cœlum vigilantiâ ac beneficentiâ repræsentare deberet, econtra negligentissimè in Imperii administratione & crudeliter se gerebat.

Non absimili ratione utuntur vocibus *xi Principium & yven origo*, quod solus Deus in ratione principii & originis sit primus simpliciter in omni genere, cum cæteris principii & originis primatus, intra certi duntaxat generis limites concedi queat: putà sol est inter corpora luminosa principium & origo lucis: hoc pacto nos

Digitized by Google

quoque, vel potius Deus ipse, tum græco tum latino idiomate de se pronuntiaviti nApocalipsi *Ego sum Alpha & omega, principium & finis* neque verò deest Sinis *tò chum finis*, unà cum *xy* principio conjunctum *xy chum.*

Cæterum isti duo caracteres *Alpha & omega* aliam important divinæ naturæ applicandæ methodum, Sinis non incognitam aut inusitatam, per metaphoricum nomen quod Deo non indignum visum est: quamvis enim metaphora sit translatio vocis à proprio significato sæpe imperfectioris rei, ad improprium perfectioris, cum quâ similitudinem habeat aliquam in accidentibus, vel in influendi modo, cum secundùm essentiam longissimè distent: tamen ab imperfecto, quod viâ sensuum notius est, ad perfectius eâdem viâ minùs notum, non incongruè proceditur, in appellatione rei à sensibus, propter suam præstantiam remotissimæ, sic à vulgari principio ac fine alphabeti græci, *a & co.*, denominatio ad Deum, qui rerum omnium principium & excellentissimus finis est, inter nos traducitur.

Atque inter Sinas radicis & trunci simpliciter nomen Deo per metaphoram attribuitur *Ken puen*, quia uti ex radice ac trunco arboris rami, folia, fructus, debito situs ac temporis ordine prodire & ab iisdem quoad sui conservationem ac perfectionem pendere cernuntur, sic omnia creata à Deo per productionem & conservationem nobiliori quâdam ratione pendere à perspicacioribus intelliguntur; atque ob ejusmodi locutiones metaphoricas Deo

Digitized by Google

nomen *cœlum* tribui posse docet S. Doctor 1. p. q. 68. art. 4. *metaphoricè quandoque sanctissima Trinitas dicitur cœlum, propter ejus spiritualem sublimitatem & lucem, de quo cœlo exponitur diabolus dixisse, ascendam in cœlum, id est ad æqualitatem Dei, & posuerunt in cœlum os suum &c.* Agnoscis itaque Sinas in nominibus Deo imponendis eamdem nobiscum methodum eodem scilicet naturæ lumine duce sectatos fuisse. Crebrò verò utuntur *Tien, cœlum* quod est supremi Imperatoris quasi sedes ad ipsum supremum Imperatorem significandum quoniam frequenter quoque & communiter adhibent verba *chao tim* Imperatoris sui sedem seu aulam ad ipsummet suum Imperatorem appellitandum.

NUMERUS XI.

Comparantur nomina Dei Sinica cum nominibus Europæis.

DIces defuisse Sinis nomen ex primâ suâ institutione expressivum divinæ naturæ, quo reliquæ nationes abundant nosque in primis in voce *Deus*. At vulgò censentur soli hebræi ejusmodi proprio nomine instructi fuisse in vocibus *Adonai*, *Eloim*, *Jehova*, nec mirum cum ista Deus ipse indiderit, qui solus suam naturam penitùs perspectam habet. Quamquam non desunt qui negent hæc nomina naturam divinam expressisse nisi his verbis. *Nomen meum non manifestavi eis* mortales Deum ipsorum intelligentiæ corpori alligatæ

Digitized by Google

per seſe occultum, nonniſi ex effectis, aut ex collatione cum rebus ſenſibilibus noſſe adeoque nominare poſſunt, neque verò Deus ipſe videtur ſiviſſe hebræos paſſim uti nominibus illis auguſtiſſimis, & quaſi ineffabilibus, quorum in locum ſuffecit accommodatius ad illorum captum, nomen *Domini*; *ego Dominus*, & nomen *entis*, *qui eſt* ὁ ὢν *miſit me ad vos*, quæ communia multis cum ſint, uni Deo ſimpliciter ac per antonomaſiam conveniunt non ſecus ac *ty* & *chù cay* Sinica.

Introſpiciamus obſecro, nomen *Deus* a θεὸς græcorum mutuò acceptum, efformatum eſt per derivationem à θέω curro, vel θύω ſacrifico, quod nempe Deus is eſt, ad quem omnes votis imploraturi *currunt*, & cui *ſacrificant* (par eſt ratio alterius non nullorum derivationis à θεῶσθαι, contueri, quod nempe Deus, is ſit, in quem mentis non corporis oculos defixos habeant.)

Ex quo eum bonâ doctiorum veniâ dicere mihi liceat, nomina Sinica, *Imperatoris*, *domini*, *ac moderatoris*, *principii*, *originis* ſimpliciter ac ſine ullo additamento *yven*, multò verò magis *ſupremi Imperatoris & Imperatoris cœli* ad divinam naturam ſignificandam aptiora videri, quam nomen *Deus* latinum & θεὸς græcum, nam imprimis nomen proprium cæteris paribus aptius eſt, quam metaphoricum: atqui nomina Sinica ſuperiùs allata, ſunt propriæ ſignificationis ex primariâ vocum illarum inſtitutione, nomen autem *Deus*, eſt metaphoricæ ſignificationis, cum deriveter à θεῖν ſignificante curſum pedum, ex primâ propriâque impo-

Digitized by Google

sitione, a quâ translatum est ad cursum mentis per vota & affectiones animi : utrobique verò usurpatur nomen commune analogum ut per illud simpliciter & sine additamento adhibitum, declaretur primum analogum.

Deinde illud nomen ad declarandam Dei naturam aptius est, quòd illam indicat per potentiam activam & influxum proprium Dei, quam quòd naturam divinam denotat per potentiam quasi passivam, objectivam scilicet ac determinativam actionis per se primæ, ab alio immediatè prodeuntis, & à Deo duntaxat per modum causæ concurrentis, atque ita se habent prædicta nomina Sinica comparata cum nomine *Deus* ergo sunt aptiora.

Major propositio patet, ex eo quod Deus sit actus purissimus, cui potentia activa, omnis imperfectionis ex suo conceptu expers ritè competit, quique ab omni alio, tam in essentiâ quàm in operatione est independens ac primus. Quæ ergo nomina, naturam divinam in ordine ad ejusmodi potentiam activam & proprium independentiæ divinæ agendi modum significant, rectiùs illam significant, cum quâ nempe meliùs congruunt, & cujus imago artificialis esse debet.

Atqui nomina Sinica sunt ejusmodi, quæ erat minor argumenti propositio, & probatur : vox *Deus* indicat divinam naturam in ordine ad illum cursum metaphoricum per vota & proprium, si ita lubet sed moralem duntaxat per sacrificia (Deus enim ut diximus idem est, atque *is ad quem votis curritur* & *cui sacrificatur*) atqui Deus ad illa vota non

Digitized by Google

concurrit per se primò per potentiam activam naturalem (de qua sola in hac institutione agitur) sed tantum per objectivam & quasi passivè terminativam illorum operum per se 1°. ortorum ab homine petente ac sacrificante, & si Deus concurrat quoque ut causa physica prima, & ob suas divinas perfectiones, vota illa quibus dignissimus est promereatur, sed hæc præsupponuntur impositioni nominis, *Deus*, per quod nullatenùs significantur: Sinica verò nomina *Imperatoris*, *Domini ac moderatoris*, *principii*, *originis*, *cœli*, *supremi Imperatoris*, naturam Dei significant in ordine ad effectus & instrumenta Imperii, gubernationis, ac dominii, dependentiæ secundorum à primo & independente, atque ortorum à sua origine: quæ omnia per se spectant ad potentiam activam moralem, aut physicam, vel ad indolem illius, qui alium ante se in ratione entis & operantis non habet, sed omnia post se pro supremi Domini, principii ac moderatoris autoritate virtuteque trahit, primum nempe in omni genere producendi ac gubernandi analogatum, nihil ibi quod passionem in substantiâ per has voces significatâ, vel dependentiam redoleat: aptiora igitur sunt ad exprimendam nominis naturam, cujus tam multas prærogativas, quarum imagines quædam ipsa sunt, iis exhibent, qui quod illis vocibus significati non reconditi subsitat, attenti conspiciunt, nec aliquarum ex iis sonum dumtaxat, & obviam quamdam rudioribus vel potiùs advenis quibusdam inexpertis crassiorem significationem avidè ac mordicùs arripiunt,

Digitized by Google

arripiunt, voces sæpè singulas à contextu orationis velut membra à corpore avellendo.

Quisque certè, quæ sua sunt novit & magni facit. Vereor autem ne post expositam Sinis etymologiam vocis *Deus*, hæc appellatio minori apud ipsos in pretio sit minusque apposita, videatur, quam sua illa *hoâm tien*, *xam ty*, *chù cay*.

Prætereà voces illæ aptiores sunt ad appellandum Deum, quæ meliùs deducunt in cognitionem illius, ut distincti ab omni alio; sic enim distinctum & non confusum duntaxat divinitatis conceptum ingenerant; atqui nomina Dei Sinica præ latino & græco sunt ejusmodi, nam vox *Deus* parit in animis nostris conceptum Dei, velut illius *ad quod curritur*, & *cui sacrificatur*, istud autem non subjicit conceptum veri Dei, ut distincti à falso & putato, cum nequaquam omnes ad verum Deum currant, sed quisque ad id quod pro Deo habet, sive istud verum, sive falsum sit, quâ de causâ varii gentiles, suis quique variis numinibus Dei nomen attribuerunt. Ad hæc *is ad quem curritur*, *qui spectatur*, *cui sacrificatur*, etiam inter eos qui ipsum numen reputant, non unus est, cùm idololatræ ac Gentiles multa sibi numina fingant, ad quæ currendo, intuendo, sacrificando tendant ergo vox Deus non denotat propriam Dei naturam, ex quâ unus est primum ens, ac primum principium quod superiorem & consortem excludit; at Sinica nomina *Imperatoris*, *Domini*, *ac gubernatoris*, *principii*, *originis*, *radicis*, absque additamento ullo, id exprimunt, quod non

Digitized by Google

nisi, Deo uni, qui solus Deus est verus, convenire queat, adeoque quod sit distinctivum Dei ab omni alio juxta notitiam vi luminis naturæ omnibus insitam, quod quidquid simpliciter tale est in aliquâ ratione communi ordinatâ, eâdem ratione unicum est.

Neque verò istæ rationes *Imperatoris, Domini ac moderatoris, principii &c.* Similes sunt rationi illius *ad quod curritur, spectatur, sacrificatur*, ista enim naturam divinam significat, ut objectum conceptionum quæ dependent à conceptu & libertate hominum, qui vota, oculos, sacrificia ad id dirigunt, non necessario quod id revera sit numen, sed quod ab ipsis judicatur aut certè colitur pro numine. Hinc fit, ut quemadmodum in suo illo judicio & affectu aberrare possunt, ita & Deos multos vel unum falsum loco veri pro suorum cultuum & operationum objecto statuere: rationes autem *Imperatoris, supremi imperatoris, imperatoris cœli, Domini ac moderatoris, principii, originis, ac Radicis* simpliciter & absolutè, hæc independenter à quovis hominum judicio, præstant, cum respectu eorum quæ connotant, causæ efficientis, seu physicæ seu moralis, vim præstent, & aliunde lumine naturæ notum videatur Sinis, non esse verè multos Imperatores, supremos Imperatores principia, origines, radices, simpliciter & absolute loquendo, sed unicum: unde multitudo Deorum & Imperatorum (extra perturbationem aliquam violentam, ac tyrannicam) etiam terrenorum in Sinis est inaudita, qui vere ex *Indicâ superstitione*, Idola venerantur, sic multitudi-

Digitized by Google

nem Deorum invexere, ut illorum nulli nomina *Imperatoris*, *ſupremi Imperatoris*, *Domini ac moderatoris*, &c. Sine addito tribuere audeant, ſed iſtorum loco barbaras voces *foe* & *pû ſa* ſubſtituerint.

Tritum eſt in ore Sinarum illud Confucii effatum in *Ly Ky*, lib. 14. fol. 43. *Cœlum non habet duos ſoles, terra non habet duos Reges, familia non habet duos Dominos, majeſtas non habet duos ſupremos.* Hæc nempe majeſtas Imperatoria eſt, quam ſine addito, in ſolo Deo *ty* abſolutè agnoſcunt, & in terris, ſeu in orbe viſibili, in ſuo monarchâ, quem unicum arbitrantur; hinc fit ut dum ſibi cognitum numen, *tien xin ſpiritum cœli* ĩvocant, continuò ſubjiciant *chy*, *cum*, *vû tuy*. *Summe excellentem*, *abſque æquali* ne ſcilicet confundantur cum aliis cœli ſpiritibus, *tien xin*, ipſi inferioribus de quibus paulò inferiùs agemus.

NUMERUS XII.

Nomina Ty *&* Xam ty *an aliis præter Deum tributa?*

ADvertenda interim tria: primum de nominibus *ty* & *xam ty*: ego quidem fateor Atheos a ſexcentis circiter annis nomen *ty* & *chû cay*, perperam accommodaſſe virtuti prædominanti vel nobiliorum quarumlibet rerum, vel ſaltem cœli (neque enim inter ſe conveniunt) nomen item *xam ty*, idololatræ quidam communicarunt ſuo primario Idolo *yo hoâm*, ante quingentos ferè annos, de conſenſu Imperatoris *hoey cum* necnon ali-

Digitized by Google

qui inter litteratos hæretici habiti, illud ipsum attribuerunt, quinque superioribus ac cœlestibus spiritibus qui vulgò *ú ty*, cœlestes quinque Imperatores appellantur ad discrimen à celeberrimis quinque Sinarum Imperatoribus qui *gin ú ty* homines quinque Imperatores, dicuntur in *lucy xu* lib. 6. fol. 5. attamen in *ven hien tum cao*, lib. 3. fol. 6. negatur *quinque Imperatores vocari posse xam ty*, *supremi Imperatores*, *quemadmodum*, *Imperii Dynastæ seu Reguli*, *non possunt Imperatores nominari.* Nisi forte illi cœlestes, *ù ty*, sint ipsemet verus, unicus Deus, *ty* simpliciter & *xam ty*, in quo quintuplex spectatur virtus, in ordine ad hæc inferiora: nam licet Confucius scribat, in *xia ya* lib. 2. fol. 24. *se olim accepisse a laò cù*, *quod cœlum habet ù hîm*, *quinque elementa*, *ignem*, *aquam*, *metallum*, *terram*, *lignum quorum ope divisis temporibus generat ac perficit omnia*, *ipsorum spiritus vocantur Imperatores*, *infra tamen subdit ex suo idem Confucius quinque elementa adjuvant perfectionem*, *seu vim perfectivam supremi Imperatoris xam ty* non autem *procreant supremum Imperatorem*, ut aliqui vertunt, perinde quasi quispiam Sinarum tam tardus fuerit ac stolidus ut igni, aquæ, terræ, metallo, ac ligno, vim tribueret productricem supremi Imperatoris, qui inter eos est ipsum cœlum invisibile scilicet, atque intellectivum, & in *cin xù* lib. 19. fol. 24. scribitur *ù ty sunt ipse cœlo ac terræ dominans spiritus pro temporum differentia*, *variatur ipsius nomen*, *quamvis nomina sint quinque*, *ipsorum verò spiritus est unicus* & infrà *ù ty*, *sunt supremus Imperator*, *sunt cœlum.*

Digitized by Google

Nemo verò dixerit vocem *tien cœlum* solitariè adhibitam in plurali numero usurpari: dum enim cœlum in varias quasi partes, pro vario syderum in eo contentorum motu, dividunt, tunc præfigunt particulam *chum*, *ki chum tien*, aliquot cœli quasi contignationes in ipso *veu hien* loco citato comparantur isti, *ù ty*, *cum majoribus montibus yo dictis qui sic à terrâ exeunt, ut ipsa terra non dicantur*, quamvis in unum cum ipsa revera coalescant.

Tametsi igitur progressu temporis per abusum nomina Sinica *xam ty*, *chu cay*, aut etiam *hoâm tien*, gratis demus attributa fuisse aliis, præter verum Deum, hoc tamen non impedit quominus in veterum Sinarum libris, suam primævam propriam, tuncque unicam significationem obtineant, quâ etiamnum uti liceat, sine erroris periculo, dum apud illos habetur sermo qui in veterum libris versati sunt; adhibita tamen subinde aliquâ aliâ voce, majoris claritatis causâ, & ad vitandum omnis prorsùs æquivocationis periculum, si cum iis differatur, quibus dubia vel suspecta vocum ejusmodi significatio videatur; eâ ratione aut etiam potiori, quam sit illa quam Ecclesia intrepidè inter Græcos & Latinos, voces θεὸς ac *Deus* usurpavit, quamvis ex primævâ atque inter ipsos tunc perseverante institutione falsis ac multiplicibus Diis immeritò tributæ fuissent. Mitto dicere de nomine *Reginæ cœli* quod Deiparæ accommodatum est, quamvis illo ipso cohonestaretur celebre Sidoniorum Idolum quod ipsos coluisse Judæos Hieronymus testatur.

Digitized by Google

Nihil quoque dicam de familiari nobis nomine *tien chu Dominus cœli*, quod in urbe *ta tum* Provinciæ *xan sy* tribuitur Idolo *yo hoâm*, in fanoque titulum hunc foribus præfixum geſtat, *tien chù miaò Domini cœli templum.*

Pekini quoque in celebri monte, *xe kun xan* templum eſt dicatum *yo hoam xam ty*, quod & vocatur *tien chù cum* quâ tamen appellatione utimur ad compellandum verum Deum non ſecùs ac per iſtud ipſum nomen, *Dominus cœli*, exprimitur in ſacris paginis verus Deus,& ſi jampridem illud ſuo fictitio Deo Jovi Ethnici conceſſerint.

Certè licet tyrannus nomen *Regis* in ea, quam invadere conatur regione, ſibi uſurpando vindicet, nemo *Regis* ſimpliciter nomine verum Regem male deſignatum conqueritur ratio nimirum hæc eſt, quod hæc ſunt nomina appellativa, quæ ſine ullo additamento pronunciata, illum duntaxat propriè ſignificant qui unus verè talis eſt: de quo nempe ſolo, tanquam primario analogato, per antonomaſiam, prædicari poſſunt ac debeant.

NUMERUS XIII.

Quid differant Hoam Tien *&* Heu Ty.

ADverte 2°. Non deeſſe qui nomine *heu ty regina telluris* apud veteres ſignificari putent ſpiritum quemdam à ſpiritu cœli ſeu Deo diſtinctum. Oppoſitum nihilominus mihi perſuadent tam prærogativæ quas Sinæ tribuunt

Digitized by Google

illi ſpiritui terræ, in oblationibus in quibus ſpiritui cœli æquiparari videtur, nominatim in miniſtro qui ſolus eſt Imperator, cum Optimates ac Dynaſtæ reliquis omnibus ſpiritibus religiosè ac ſolemniter offerre valeant. Tum maximè variæ ſententiæ *chum yum* & *Ly Ky*, quibus aſſeritur *Kiao ye*, *ſacrificia cœli ac terræ eſſe ritum quo præſtatur obſequium ſupremo Imperatori.* fol. 14. Item *ſacrificii cœlo ac terræ oblati venerationem recidere in ſupremum Imperatorem.* Atque in *Ly Ky* lib. 6. fol. 9. Confucius ait, *in ſacrificio cœli ac terræ non eſt majeſtas duplex quæ emineat.* Adde quod Rex *tam* in *Xu Kim* aiebat, *chao cao yu hoam*, *heu ty humillimè rationem reddo Imperatori*, *reginæ*, ut communiter vertunt, *Imperatori.*

Eademque eſt locutio in *Ky Kim.* lib. 20. fol. 8. in qua cœli ac terræ moderatoris nomina ſic implicantur ut denotetur idem quoad rem ſignificatam, illud eſſe, quod prius, poſterius, & in medio collocatur, unde interpres *Ly Ky* ſubdit. *Hoam*, *hoam*, *heu ty guey Tien*; Rex regina, Rex dicitur ipſum cœlum. Verùm malim ego in his textibus nomen *heu* reddere per vocem regis quam reginæ unde *cú quey* vocem *heú* exponit *kium ye*, *rex* adde quod in *Li Ky* lib. 7. fol. 44. *propter cœlum ſerviendum cœlo*, *propter terram ſerviendum terræ*, quod non cohæret cum veterum doctrina, ex quâ terram aſſerunt colendam propter cœlum niſi ſermo eſſet de ſpiritali cœlo ac terra propter ſe colendis, eò quod unus atque idem ſpiritus exiſtant.

Unde ſubdit *celebres montes qui cœlo quaſi ju-*

Digitized by Google

gum inferunt, & fortunatam terram adhiberi ad sacrificandum supremo Imperatori. Attamen cum gloſſa addat *ob Cœli præſtantiam & regimen ſerviendum cœlo, ob terræ humilitatem ac demiſſionem ſerviendum terræ.* Negare nolim veteres quandoque loquendo de veneratione, vel potiùs de imitatione cœli ac terræ, agere de ipſis cœli terræque corporibus, in quibus nempe aliqua divinæ virtutis, a quâ velut primarii effectus prodiere, impreſſa veſtigia extant, nobis ad imitationem propoſita, nec non ad venerationem quamdam, qualis debetur imagini ob prototypum quod repræſentat.

Sic Confucius in *chum yum* fol. 12. *terræ lex & regula eſt ipſius obſecundatio in excipiendis cœli donis ſuo tempore operando*, & fol. 19, terræ regula eſt mulieris regula, quæ nempe accipit a marito, eique obſequitur. Unde ortum eſt celebre *laò cù*, dictum. *Homo conformet ſe cum terra, terra cum cœlo* (debita videlicet ſubjectione) *lex cum ſuâ ipſius naturâ.* Atque hanc *imitationem cœli ac terræ regulam eſſe ac documentum præclari regiminis*, ſcribitur *in Ly Ky* lib. 8. fol. 9. & lib. 11. fol. 16.

At cave cum atheis interpretibus *confundas* imitationem cœli ac terræ cum veneratione; hanc enim terræ materiali præcisè ſumptæ tributam vix in antiquis textibus expreſſam invenias. Negari tamen non poteſt multis abhinc ſæculis nomen *heú ty* conceſſum eſſe ipſi domeſtico cuilibet ſpiritui præſidi terræ, in quâ quis degit cum ſpiritus iſte & *tú* & *heú ty* & *xim* ſpiritus ſæpè appelletur in *Kia ly*, dum illius opis, per oblationem mortuorum

oblationi

Digitized by Google

oblationi præviam implorandæ ritus traditur.

De ſpiritu præſide univerſo terrarum orbi conſtat, quod ſi quem ejuſmodi diſtinctum à *xam ty* ſpiritu cœli moderatore agnoverint veteres Sinæ, illum ipſi *xam ty*, uti & terram corpoream cælo aſpectabili inferiorem judicarunt.

NUMERUS XIV.

Acceptio vocum Van ve.

ADvertendum 3°. Neque negandum eſſe, quin voces iſtæ *van ve res omnes* quandoque ſumantur pro rebus omnibus, non abſolutè, ſimpliciter, & univerſim, ſed ſecundum quid, ſeu cælo ac terræ inferioribus: ſcribitur enim in *ye kun* lib. 1. fol. 14. ſummum eſt terræ principium, *res omnes inſtar fundamenti ac materiæ procreat, nempe obtemperat ac recipit a Cœlo.* Perſæpe tamen cœlum ac terra ſupponuntur eſſe de numero *rerum omnium*, ut præclariſſime dixit *cham tum co*, hunc textum explicans *chum yum* fol. 23. *Cœli terræque ratio poteſt unico verbo exhauriri, hac in efficiendis rebus non eſt duplex, adeoque ejus virtus in procreandis rebus inſcrutabilis eſt* ſubdit. " Tum cœli ter- " ræque rationes ſunt inexhauſtæ (id eſt " infinitæ.) Si tamen ſcrutando inſpiciamus " ipſarum propriam originis, Domini, & " moderatoris rationem maximè præciſam ac " compendioſam, hæc uno verbo exhauriri " poterit. Nam licèt cœlum ac terra producant "

Digitized by Google

„ res, ipsa tamen revera sunt de rerum nu-
„ mero, tantummodò hæc summè pura &
„ simplex, nequaquam duplex. Nempe est
„ rerum omnium productivum principium,
„ & origo una & spiritus, quia naturaliter
„ seu ex propriâ & nativâ virtute procreat
„ universa, neque scimus, ille ipse, unde
„ progenitus sit? quis possit id cogitationibus
„ suis scrutando conjicere? Atque ille ipse interpretum cœtus *ta civen* dictus lib. 4. fol. 2. Ubi exposuit verba ista *Te Kim* lib. 24. fol. 64. *ty cho yu chin Imperator se primo manifestat in chin* quæ est una ex octo, *qua seu* partibus, in quas universa condita dividunt, concludunt interpretes.

Quis hæc omnia produxit? quis ea procreavit? certè datur unus, Dominus ac moderator a quo sunt facta; idcircò dicitur Imperator. Ubi adverte inter res omnes quas ab Imperatore productas affirmant, cœlum ac terram corpoream ab ipsis collocari, cùm istæ duæ sint partes, seu *quá*, ex illis octo allatis, in ibi, *Kien guen*, quarum omnium effectivam causam *Imperatorem* esse asserunt. Ergo Imperator non est cœlum corporeum, ab ipso scilicet Imperatore productum. Timerem ego prolixitatis notam in his Dei nominibus astruendis, nisi maximum in iis destruendis momentum oppositores reponerent.

Digitized by Google

NUMERUS XV.

Quæ attributa Sinæ Deo aſcribant.

PRoximum eſt ut audiamus ex veterum Sinarum ore quæ attributa rei, per hæc omnia, ſignificatæ impertiant, textus de verbo ad verbum tranſlatos fideliter referam.

Lib. 4. *Xu Kim in vam cao : ſolummodo ſupremus Imperator contulit & quaſi iuſudit naturam iſtam, quæ medii rectiſſima norma eſt*, & lib. 3. fol. 2. *Cœlum procreavim intelligendi cum perſpicacia.* & fol. 6. *Magnus ac ſupremus Imperator demittit animas cum nativis virtutibus in ſubditum populum.*

Vides Deum autorem naturæ cum ſuis dotibus & nominatim animæ è cœlo infuſæ creatorem ac ne putes hæc cœlo corporeo imputari, ſcribitur non ſemel in *chum yum* & in *Ly Ky*, præſertim libro octavo fol. 40. *Xam tien vû him vû hieu, ſupremum cœlum, neque vocis ſonum neque odorem habet.* (Ita inſenſibile ſolent explicare Sinæ) ac pergunt *vû him, vû ty, vû fam, caret figura, caret corporis mole, caret dimentionibus.* Conjungunt vocem *xam*, ſupremum cum *tien*, *cœlum*, uti & cum *ty Imperator*, ut præeminentia & identitas rei per utramque vocem ſignificatæ appareat.

Ex eâ productione rerum & animæ infuſione oritur perfectum dominium naturale ac proprietatis in vitas hominum, & in res omnes *lún yù* part. 6. fol. 13. *Mors & vita ſunt in diſpoſitione cœli; divitiæ & honores dependent a cœlo.*

Digitized by Google

In *Kia yu* l. 5. fol. 12. *vita & mors sunt in dispositione cœli.* In *Xi Kim*, rex piissimus *yu* consolaturus suos in extremo suæ vitæ discrimine aiebat, *cœlum contulit vitam instar depositi; mors est instar restitutionis. Ven vâm in xiu Kim* lib. 4. *mea vita annon dependet a cœli mandato?* Mencius lib. 7. fol. 10. brevis & longa vita *non sunt duo: excole personam, ut expectes quod cœlum constituerit* & fol. 28. *vir probus agit ex regula recta rationis, & expectat cœli ordinationem, & nihil amplius.* In *Xu Kim* lib. 4. *chim tam* morti proximus. *Nunc cœlum mihi immittit morbum, non audeo abjicere a me supremi Imperatoris voluntatem, cum veneratione excipio ac præstolor cœli majestatem & quasi austeritatem.*

Ne tamen existimare videantur austeritatem bonitate ac misericordia destitutam esse, nihil apud ipsos frequentius, quam *cu tien misericors cœlum, gin ju tien, pius instar cœli.* In *xu kin.* lib. 8. fol. 16. *supremus Imperator inducit ad pacem & quietem yn ye.* & infra, *cœlum miseratur populum, populus quod optat, cœlum procul dubio approbando exequitur.* Et postea, *tu si potes debitè colere cœlum, hoc præstabit miserationem tibi,* & infra *cœlum non est crudele, at populus per se ipsum citò frustratur.* (Scilicet ut ait interpres) *bonis ob ipsius peccata a cœlo negatis.*

Peccatorum illorum condonationem unius *cœli* supremi Imperatoris misericordiæ adscribit Rex *Tam*, loco citato. *Peccata convenit meæ personæ adscribi, non audeo illa per me condonare, hoc sigillatim pendet à supremi Imperatoris affectu ac beneplacito* (& paulo post) *ausim equidem adhibere in victimam* (sacrificii nimirum expia-

Digitized by Google

torii) *nigrum taurum, ausim palam facti mei rationem reddere majestati cœli ac terræ, supremo Imperatori. Admissa scelera non ausim ego condonare. Ij qui non sunt implicati nefandis sceleribus, chari sunt supremo Imperatori.*

Ex quibus etiam patet quam præclarè de cœlesti justitia sentiant tam vindicativâ, quam distributivâ, quæ scelera sic plectunt, ut bona vel mala pro meritis immittant. In *Xu Kim* lib. 8. de impio Imperatore *cheu, regale cœlum tremendè trascitur, non colit impius regale cœlum, neque vult obsequi mandato cælesti* (nota mandatum istud non inferre vim aut necessitatem imponere nolenti) *per sua scelera se abscidit a Cœlo :* item *cœli ratio est beare probos, pessumdare improbos. Immisit calamitates in familiam hia, ut palam orbi faceret ejus scelera.* lib. 4. de *yu* Imperatore qui successit *xum. Cœlum favet probis, cœlum evertit sceleratos; duntaxat virtus commovet cœlum; duntaxat cœlum beat & punit.* Et in *Kia yu*, lib. 5. *probè agentibus cœlum respondet cum felicitate, agentibus improbè respondet cum calamitate.* In *xu kim* lib. 5. fol. 12. *solummodò supremus Imperator non est semper idem* (erga homines) *super facientem bona dimittit centum prosperitates super facientem mala dimittit centum calamitates.* Unde in annal. *vu vam* morti proximus exclamat. *Ego sanè deliqui, ideò cœlum punit me* & *tam vam* ajebat, *ego timens supremum Imperatorem non audeo non rectè agere.* Item *heu cum xu kim* lib. 4. *non audeo ita confidere in supremi Imperatoris decreto, ut non versetur mihi ob oculos cœli severitas ad timorem.* Ex quo jam vides illud decretum, ac mandatum *mim*

Digitized by Google

nihil aliud esse præter divinam voluntatem, cum certâ, suavi, juxtâque dispositione conjunctam (non autem ineluctabile quoddam fatum) cui ita Sinæ se subjiciebant, ut & ipsam sibi nondum perspectam inquirerent, & sceleribus exacerbatam jejuniis, sacrificiis ac vitæ emendatione placare conarentur.

Ipsorum verba attente considera. *Vu van*, in Imperii habenis capescendis tergiversabatur *quoniam*, inquit, *nec dum scio cœli voluntatem; ego parvulus manè ac vesperi sacrifico supremo Imperatori. Iu* Imperator cum suis fidissimis consiliariis *ye, cio, cao, yaô: cœli mandatum per se expendit omnia. Cœli decretum non errat nec fallitur. Cœli decretum non sibi contrariatur.*

Ne tamen cœcum putes, aut prorsus ineluctabile addunt *cœli decretum non est, stabile, nisi stabiliatur virtute. Cœlo non est nimium fidendum*, centies inculcant, *cœli mandatum non est perpetuum & irrevocabile. Mim pú cham.* Id ipsum de supremo Imperatore pronunciant, *xam ty pú cham* in *xu* lib. 3. fol. 17. *Cœlum non ducitur privato affectu, qui novit illud venerari, eum solum quasi affinem diligit; non semper bene afficitur erga eum populum, afficitur qui pietate instructus est, spiritus non semper exaudit, exaudit eum qui solida virtute pollet.* Mencius par. 4. fol. 26. *tametsi quis sit improbus homo, si tamen jejunet & abstineat*, a vitiis emendando propria delicta aiunt interpretes *tunc poterit sacrificare supremo Imperatori.* Rex *tam* aiebat, *quas cœlum infert calamitates, potest quis effugere; at quas per sua scelera sibi quis fabricat calamitates non potest evadere.*

Agnosce vero in *Xu Kim* passim suavem &

Digitized by Google

amoris plenam providentiæ disposition, *si populus non sequatur virtutem, nec subjiciat se correctioni scelerum, cœlum per sinistra portenta revera admonet, ut readificet suam virtutem*, spectа summam æquitatem in *chum yum* fol. 22. p. 1. *Dum proximè instat fœlicitas probis, & infœlicitas improbis. Nascitur a summe perfecto, qui est instar spiritus; nempe ex bonis vel malis operibus futura, sine aliis usitatis prodigiis conjiciendo penetrat.* Usitata prodigia erant in testudine & herba *Xy* dicta, in quibus futuros eventus præmonstrari existimabant Sinæ à Cœlo seu supremo Imperatore, quem unum quasi futurorum præscium per has & alias si quæ erant sortes interrogabant.

Quibusnam verbis clariùs divina providentia exprimatur, quam his ex *Xu Kim* lib. 5. fol. 9. *supremus Imperator ex amoris affectu fers opem hominibus, prospiciens illis principes qui ipsos regant & magistros qui erudiant.* Et rectè subdit interpres, *cum cœlum te creaverit, tibique rectæ rationis regulam infuderit, illi benè agendo obsequi, vel malè agendo non obsequi in tua situm est potestate*, item in *Te Kim*, *cum cœlum vult dimittere calamitates, priùs adhibet illarum signa, distinctè præmonens mortales ut sibi caveant.*

Atque uti demum intelligas divinam providentiam etiam in ornando probandoque virorum animo occupari, audi Mencium par. 6. fol. 3. *Cœlum cùm parat conferre magnam aliquam dignitatem in virum, priùs affligit, & duris probat ejus animum seu cordis arbitrium.* Ex quibus patet illud *mim* & *tien mim* Sinis tam familiare non aliâ ratione posse *fatum* vocari, quam

Digitized by Google

latâ illâ, juxta quam usurpatur a Tullio 1. de Divin. & a D. Augustt. 5. c. 8. ac D. Th. 1. p. q. 116. art. 1. *dum fatum ponitur pro divina providentia omnia ordinante & quasi praloquente*, & art. 3. *Fatum ut in secundis causis, absolutè est mobile; ut autem a divinâ providentiâ est immobile non necessitate absolutâ sed conditionatâ.*

Absolvo cum his verbis *chum yum*, fol. 3. 5. *In odâ supremus Imperator dicit, ego amo & complector virtutem clarissimam, non magnopere personantem ut appareat exterius* (ergo interiora cernit & amat) *alia oda ait, Xam Tien cay summi cœli rex vel conservator absque soni & odoramenti specie summum quid est.*

Sexcenta alia similia loca prætermitto, ne lectori tædio sim & rogo utrum hæc omnia dicta cadere possint in cœlum omni prorsùs intelligendi vi destitutum? at si quis forte tergiversetur, eâdem cum ipso ratione instabo, quâ solemus cum Calviniistis realem Corporis Christi præsentiam sub speciebus Eucharisticis ab ipso Christo assertam negantibus, si hanc præsentiam Christus, & illam in Cœlo intelligendi vim veteres Sinæ affirmare voluissent, quæ alia ex communi usu verba adhibere potuissent?

Istis sanè ac rei veritate convictus ipse Paschasius Mendez pag. 29. illorum responsorum (quibus velut oraculis, aut certæ catenæ aureæ Sinicæ propriâ manu subscripsit P. Longobardus in antographo quod extat atque ego legi) sic scribit *nao somente reconhecem os Chinas por cousas grandes o Ceo e terra, mas cum palauras claras*, (observa has voces) *fajem intelligentes*

Digitized by Google

intelligentes gouvernadores e ſenhores do univerſo. Meliùs ſingulari numero uſus dixiſſet, *intelligente ſenhor e gouvernador* cum nuſquam Sinæ duplicem Dominum ac gubernatorem nominarint, ſed conſtanter uni ſupremo Monarchæ, Domino ac gubernatori, alios velut adminiſtros ſpiritus adjunxerint, de quibus nunc agendum eſt.

Priùs tamen advertas fingi non debere, quod ipſi cœlo corporeo veteres Sinæ intelligentiam tribuerint. Nam diſertè ſcribitur in *Xu. Kim* lib. 4. fol. 2. *Solus homo eſt inter res omnes viſibiles intelligens ac nobiliſſimus.* Igitur cœlum, quod ajunt eſſe intelligens & ipſo homine quem procreat & gubernat nobilius, non eſt cœlum hoc corporeum & aſpectabile, ſed inviſibilis quidam ejus procreator origo, Dominus ac moderator, adde tritum illud ex *xu kim ty lin jû* ſupremus *Imperator propinquus ſeu præſens adeſt tibi* quod in Cœlum corporeum tam longè à nobis diſſitum cadere nequit.

NUMERUS XVI.

Voces xin *&* quey xin *reſpondent voci ſpiritus inter Sinas.*

QUod ad ſpiritus attinet voci latinæ *ſpiritus* reſpondet apud Sinas *xin.* Spiritus ſtrictè loquendo, eſt ſubſtantia indiviſibilis, quæ indiviſibilitas ex eo oritur, quod in ea pax ſit partium, in quas dividi poſſit ob ſuam ſimplicitatem, quæ eſt ſumma illius

Digitized by Google

ſubſtantiæ perfectio, radix indiviſibilitatis, & per quam maximè eſt una & in actu, atque ex illa ſimplicitate & indiviſibilitate oritur inſenſibilitas velut proprietas. Subſtantiæ ut ſupradiximus, à nobis cognoſcuntur, vel in ordine ad complexionem accidentium ſenſibilium quæ ipſas afficiunt, vel in ordine ad effectus qui ex illarum virtute productiva prodeunt; at ſubſtantiæ ſpiritales ob ſuam ſimplicitatem indiviſibiles, adeoque partium ex quibus corpus conſtat, & dimenſionum ad accidentia ſenſibilia ſuſcipienda neceſſariarum incapaces ex ejuſmodi accidentibus notæ eſſe nequeunt, quo fit ut eas explicemus per negationem partium corporis vel diviſibilitatis in ejuſmodi partes, vel aptitudinis ad ejuſmodi accidentia ſenſibilia: quo pacto dicimus ſubſtantiam ſpiritalem ſeu ſpiritum propriè ac ſtrictè ſumptum, eſſe ſubſtantiam incorpoream, indiviſibilem, quibus verbis non tam deſignatam volumus negationem alicujus perfectionis quàm majorem quandam, ſed latentem perfectionem ſubſtantiæ ſpiritalis propriam, vi cujus minores illas perfectiones cum imperfectione conjunctas, ſcilicet compoſitionis ex partibus, ſeu corporei, diviſibilitatis, & ſenſibilitatis exprimimus, ac removemus. In illius autem majoris perfectionis cognitionem devenimus ex effectis ſenſibilibus præſtantioribus, ab activâ illius ſubſtantiæ potentiâ, ſenſibus noſtris per ſe incognitâ prodeuntibus: quippe activitas ſequitur actum & perfectionem, uti poſſibilitas ſequitur potentiam & imperfectionem.

Digitized by Google

Noſtræ itaque illi voci *ſpiritus*, reſpondet vox Sinica *xin*, atque ut declarent ampliùs illas rationes, hinc occultæ ob inſenſibilitatem naturæ, inde per ſingularem quamdam activitatem erumpentis in lucem perfectionis, ſæpe ad *xin*, adjungunt vocem *quey*.

At ne meum iſtud eſſe figmentum putes ad vocabularium minus, *cù ven cai caò* dictum *in chilim quey ye*, *yâm chy lim*, *xin ye*, *res eadem quatenùs ipſius naturæ intellectiva, ſeu ſubtiliſſimæ virtutis occultatur.* (Defectu nempe inexiſtentium ipſi accidentium ſenſibilium, per quæ à nobis in ſe ipſa dignoſci queat) eſt *quey*, *quatenùs apparet manifeſtando intelligentem, ſeu ſubtiliſſimam eximiamque virtutem.* (Per effectus nimirum ab illa profectos) eſt *xin*, unde litteram *xin ſpiritus*, ex duabus efformant, quarum altera, eſt *xin extendere* altera *xi oſtendere*, quaſi dicerent extendendo ſe per ſuos effectus, oſtenditur. Sæpe verò *xin ſpiritus* per *xin* extendere, interpretes exponunt ita inter cæteros *cham cú* in *ſim* lib. 28. *xin xin yè*; *quey Kive ye*, quippe cùm per illam extenſionem ad effectus, natura ſpiritus nobis innoteſcat, non uſque adeò tamen ut ipſius indoles penitùs perſpecta ſit; unde vocabul. addit; *quod facile latet ac prodeundo penetrari non poteſt dicitur ſpiritus* atque in *ye kim ſpiritus ex eo quod vi ſua inſcrutabili vigorem ac venuſtatem conferunt omnibus rebus, dicuntur ſpiritus.*

Confucius autem ægrè adduci poterat, ut de ſpiritibus ſermonem inſtitueret quippe quorum naturæ arcana pervadere non poterat; tametſi de illorum exiſtentiâ minime dubita-

Digitized by Google

ret. Imò ex *sim ly* lib. 28. fol. 3. ob illorum eximiam scientiam ac vim operativam ipsos oblationibus ac verbis coleret.

Hæ porro voces *xin* & *quey xin* non secùs ac vox spiritus & illius explicata significatio, quamvis in solas substantias intelligentes propriè ac strictè loquendo cadant, non rarò tamen latiùs ac metaphoricè aliis substantiis intelligentiâ destitutis significandis accommodantur: iis nempe quæ nostros sensus sua tenuitate per sua intrinseca sic fugiunt, ut meris quibusdam effectibus externis, reconditam internam virtutem in tenuissimâ illâ, cui insunt, substantiâ, indicent: sic nos passim animales vitalesque *spiritus* appellamus, exilia quædam non vulgaris activitatis corpora, in arteriis ac nervis latitantia & micantia, ad vitæ sensitivæ aut vegetativæ functiones per quas sese exerunt & nobis palam fiunt. Neque desunt qui spiritus ejusmodi in quibuslibet corporibus agnoscant ad activitatem, asserantque substantias omnes corporeas ex duabus partibus coalescere; quarum crassior, altera sit corpus simpliciter, altera defæcatior sit spiritus: *cim xin* Sinæ vocant, neque negari potest quin veteres præsertim in *ye kim* (ubi de naturalibus conversionibus ac transmutationibus rerum corporalium agitur) voces *xin* & *quey xin* in hac acceptione usurpent.

Confucius ibi scribit lib. 3. p. 7. *quod in ipso perfecto & imperfecto, inscrutabile est, dicitur spiritus xin*, idem: *id quo existit perfectio & rerum transmutatio dum procreantur, chim, hoà, sunt*

Digitized by Google

ſpiritus, *quey xin ye.* Quandonam latiùs vel ſtrictiùs accipiantur, ex contextu ſubjectâque materiâ dijudicandum eſt, uti de vocibus *cæli* & *terræ*, monuimus, idem de vocibus *ty* & *chù cay* ſentiendum quidam volunt verum nullum hactenùs textum ex antiquorum libris eductum legi, in quo voces iſtæ impropriè, metaphoricè ac latè ad nativam virtutem quarumlibet rerum ſublunarium, aut etiam cœli corporei exprimendam adhiberentur; de nomine *quey xin*, ad manifeſtum diſcrimen adducendum proprii ſignificatûs, à lato & improprio Colaus *in chum yum* fol. 11. p. 1. §. 1. propriè dictos ſpiritus vocat *cy ſú ne quey xin ſpiritus ſacrificiorum*, atque ipſe *chim cù* in *ſin ly* lib. 28. fol. 6. fatetur quod olim ſpiritus non alio pertinerent quàm ad ſacrificia.

NUMERUS XVII.

Diverſitas ſpirituum inter Sinas.

QUod autem veteres Sinæ noverint ejuſmodi ſubſtantias inſenſibiles miræ perfectionis ac virtutis activæ, & intelligentiâ præditas, patet ex iis dotibus quæ paſſim ſpiritibus tribuuntur, quæ ſanè nonniſi intelligentibus competere queunt. In *ye Kim* par. 8. fol. 12. & l. 9. fol. 50. *Spiritus exaudiunt ſpiritus peſſumdant tumidos ac ſuperbos, & beant humiles, acceptant oblata cum virtute*: multæ idem referuntur religioſæ oblationes, quas capite ſequenti ſigillatim referemus, ſpiritibus factæ

Digitized by Google

ad illorum venerationem, & implorandum ipsorum auxilium, atque inter illas quædam sunt in quibus offerentium vota spiritus exaudiunt & acceptant *hiam* in *Xu Kim* jam citato „ Imperator *xim sacrificabat supremo Imperatori* „ *purâ intentione, libabat sex principibus, spiritibus* „ *videlicet 4. anni tempestatum frigoris ac caloris,* „ *solis ac lunæ, quinque planetarum, pluviæ ac sic-* „ *citatis præsidibus* (subdit interpres) *deinde tan-* „ *quam longiùs à se remotis libabat montium ac flu-* „ *minum spiritibus, denique libabat circumfusæ* *murtitudini* (quam vulgo *pe xim*, centum spiritus vocitant) in *Xu Kim* lib. 3. fol. 17. *Spiritus non semper acceptant vota & oblationes: acceptant tamen ab iis qui cum reverentia & perfecto corde operantur.* Rationem reddit Colaus quod, *intelligentes, perspicaces veri ac recti sint, qui dicuntur spiritus.*

Occasione hujus vocis, *recti spiritus*, adverte veteribus Sinis alios spiritus notos non fuisse (saltem quos colerent) præter bonos, nec mirum cum spiritus aliunde non nossent, sub initia, quam ex gubernatione diversarum cœlestis ac terrestris orbis partium à supremo Imperatore ipsis creditâ, unde in *Ly Ky* lib. 5. fol. 36. & alibi, distinguntur spiritus, in *Tien Xin*, syderum aliorumque superiorum corporum præsides, & *ly xin*, inferiorum seu terrestrium partium præsides: neque sibi persuadebant, inter tam præstantes supremi Imperatoris ministros præfecturâ donatos, aliquos perduelles ac regiis mandatis refractarios existere: progressu verò temporis ex malignâ causarum sibi occultarum vexatione in

Digitized by Google

energumenis, aliisque nonnullis manifestâ, in cognitionem alicujus quoque latentis & perversè operantis substantiæ devenerunt, quam præ metu primum ac deinde ex aliquâ spe colerent nonnulli, præsertim magiæ addicti, *taò su* atque has substantias non *xin* aut *quey xin*, simpliciter nuncuparunt, sed ad clarius discrimen à bonis spiritibus, *Sie xin*, *distortos spiritus*, quippe suam distortam naturam, vel potius voluntatem manifestantes perversis effectibus, ad quos se extendunt, vel *ugo quey*, quasi malitiam occultantes unicâ etiam voce dicuntur *mô*, diaboli quandoque & vocant *quey* simpliciter, ex illâ occultâ de se ac tenebris dignâ indole, quæ si solitariè sumatur, & sine adjuncta se extendendi virtute imperfectionem sonat. Sic exteros homines, quos ignobiles putant, per despectum appellant, *fan quey* multòque magis eos qui ob nigrum colorem caligini repræsentandæ aptiores videntur, *he quey*, adde voce *quey* nonnunquam significari cadaver in *Ly Ky* & *Kia ju corpus rediens in terram dicitur quey*, *anima rediens in cœlum dicitur xin*. Procedente tempore, nomen *xin* tributum fuit tandem quibusdam hominibus vitâ functis, quibus templa cum statuis ad publicam venerationem & supplicationes ponunt. Isti tamen à litteratis, non spiritus simpliciter, sed moderni seu præsentis temporis spiritus *hien xin* appellantur, ut eos distinguant ab iis spiritibus, quos ab incunabulis suæ Monarchiæ venerati sunt Sinæ quique illi ipsi sunt, quos angelos nominamus.

Alia quoque est acceptio vocis *xin* conjun-

Digitized by Google

ctæ eum voce *sien*, *sien xin* quibus designantur fortunati quidam (ut fingunt) homines, qui per montes ac sylvas a mortis metu liberi, securique discurrant, & immortales evaserint.

NUMERUS XVIII.

De animæ immortalitate.

EAdem voce *xin* communiter utuntur ad animam rationalem præsertim post dissolutionem a corpore significandam, quam & aliâ voce *lim*, *intelligens* designant. Istud verò *xin* & *lim* quamvis athei negent aliud esse præter purum aerem seu halitum *Ky*, qui per mortem evanescit. Atque hoc pacto animæ immortalitatem respuant, veterum tamen aliam longè mentem fuisse, ex ipsorum verbis constat, in *Ly Ky* D. 8. fol. 34. *animatus spiritus redit in cœlum*, *figuratum corpus redit in terram*. lib. 4. fol. 50. *corpus factum cadaver mox descendit*; *prudens hailtus*, *seu spiritus persistit supra*. Clarius lib. 3. fol. 35. *animatus spiritus non desinit sed statim progreditur*. Mencius par. 6. fol. 14. duas in homine partes agnoscit, *alia est magni*, *alia vilis pretii* alia, parva, alia magna; tu per eam quæ parva est, damno „ sis majori, neque ob eam quæ vilior est, „ damno sis digniori; qui curant impensiùs illam minorem substantiam, sunt improbæ „ seu viles animæ, qui colunt impensiùs illam majorem ac nobiliorem, *sunt magni* „ *viri*.

At

Digitized by Google

At poſt utriuſque partis diſſolutionem, dicitur una, videlicet anima *aſcendere cu*; alia, nimirum corpus, *lo deſcendere* quo loquendi modo, nihil frequentius, præſertim in *xin Kim*, ubi de Imperatore *jao* dictum lib. primo fol. 16. Colaus ſic explicat, poſt Mencium par. 5. fol. 6. *homo dum moritur, anima in cœlum aſcendit, & corpus deſcendit in terram.* In *xi kim* de *ven vam* ſcribitur, *che kian*, aſcendit, deſcendit. In *xu kim* lib. 5. fol. 39. *pervenit ad regale ſolium* lib. 4. *pervenit ad ſupremum Imperatorem* lib. 5. *familia jû multi prudentes reges ſunt in cœlo.* In *xi Kim pervenit ad ſupremi Imperatoris patriam.* Unde vides dùm in eodem *xi Kim* de *ven vam* celebratur, *quod ſedeat ad dextram vel lævam ſupremi Imperatoris*, eſſe quidem poeticè ac metaphoricè dictum, de dexterâ ac lævâ, quæ ſupremo Imperatori figurâ humanâ carenti convenire nequeunt propriè; eſt autem verè ac propriiſſimè ſcriptum ex mente Sinarum de evectione ſancti illius, ut putant, Regis ad ſupremi Imperatoris aulam. Commentator ſanè eo loci addit: *chim tam & ven vâm poſt obitum etiamnum exiſtunt in cœlo & poſſunt opitulari Imperio.* Quod paulò poſt clarius fiet.

Interea attende inane eſſe atheorum effugium dum aiunt iſta *che*, *cû*, *quey*, *aſcendere*, *evadere*, *redire ad cœlum*, judicare duntaxat quod tenuiores hominis partes quibus inſidet activa virtus, cum ſint leviores, dum à craſſioribus ſeparantur, tunc ſurſùm aſcendant aliquantulùm, ſintque habitus per aërem ſparſus, cùm craſſiores veluti fœces in cadavere terreo

Digitized by Google

ſubſideant. Iſtud enim commentum hinc abundè confutatur, quod cum in omnibus mixtis, ejuſmodi diverſitatem craſſiorum ac tenuiorum partium, & potiſſimùm in animalibus agnoſcant Sinæ, deberent pariter iſtorum corruptionis tempore ſecretionem afferre partium aſcendentium, cum tamen aſcenſum vel deſcenſum uni hominis interitui adſcribant, neque minùs conſtat de ejuſmodi figmenti inanitate ex eo quod ſcribitur in *chum yûm* fol. 11. *utrum priùs appropinquent ſacrificantibus, non poteſt quis cogitando aſſequi* & in *Li Ky* lib. 8. fol. 24. *neſciunt an ſpiritus exiſtant hic, vel exiſtant illic Lun yu* part. 3. fol. 17. *qui veneratur ſpiritus, & ab iis*, id eſt, ab eorum indagatione (inquiunt interpretes) *recedit, poteſt dici prudens*: quâ de cauſâ profitetur Confucius ſe illos eminùs venerari, nec non eos reprehendebat, qui indebito cultu ſpiritibus adulabantur. Quæ omnia patet applicari non poſſe virtuti activæ cujuſlibet rei. Hanc enim virtutem rei præſentem & intimam eſſe ipſi Sinæ pro comperto habent, atque iſta ipſa inepta eſt cui quiſpiam aduletur.

Fateor equidem veteres ipſos ad naturam animæ per proprietates explicandam, uti voce *Ky*, quam nos halitum vel aërem reddimus *chy Ky*, *cao Ky*, *ſim Ky*, *xin Ky*, *cim Ky*, *prudens*, *altus, intelligens ac mirabilis*, *ſpiritalis*, *ſubtilis*, *ac perfectus habitus eſt*. At Sinæ nomine *Ky* non deſignant illud duntaxat elementum, quod nos aërem nuncupamus cum nullum iſtius modi inter ſua quinque elementa numerent,

Digitized by Google

& quem nos ſpirando ducimus aërem, nihil eſſe putent præter ſubtiles exhalationes ac vapores, atque univerſim *Ky* diſtingunt in cœleſtem *Tien Ky*, quem aſcendere aiunt, & in terreum *Ty Ky*, qui deſcendat, ſed nomine *Ky* generatim accepti ſignificare videntur quamlibet ſubſtantiam tenuiſſimam, vix ac ne vix quidem ſenſu perceptibilem, at valdè activam, quod eſt quaſi genus reſpectu ſubſtantiæ incorporeæ & corporeæ unde animam rationalem vocant *xin Ky*, halitum ſpiritalem, ut illam à ſuo ordinario *Ky* ſeu halitu corporeo diſtinguant. Certè cum animam hominis intelligentem prædicent, illamque aliunde vocent *Ky*, negari non poteſt, quin iſte *Ky* generatim ſumptus abſtrahat a ſubſtantiâ tam intellectivâ quam intelligendi vi experte. Atque eodem ſenſu Confucius in *Ly Ky* lib. 13. fol. 47. Interrogatus de ſignificatione illarum vocum *quey xin*, reſpondit " *Ky ye chè, xin chim ye, halitus ſeu ratio* " *tenuitatis cum activitate conjunctæ per quam ſe ex-* " *tendat eſt proprietas, & complementum & perfe-* " *ctio voce xin deſignata: pe yè chè, quey chu chim* " *yè, corporis ſeu cadaveris ratio, nempe obſcura* " *de ſe ac ſine activitate, eſt proprietas & comple-* " *mentum voce quey deſignatum.* & fol. 48. *Ky* " ſeu *halitus* (de anima hominis agit) *prodit & manifeſtat ſe ſubeundo, eſtque ſpargens claritatem & odorem ſpirans, mœrens ac dolens, hic eſt inter res omnes maximè purus ac ſubtilis, atque ita manifeſtatio ſpiritus.* Itaque ſpiritus, ſeu anima naturalis videtur ab ipſis explicari nomine *Ky* ſeu halitus, quoniam in corpore colliga-

Digitized by Google

ta est cum halitu corporeo ; quem emittit homo dum efflat animam , & dum sub obitum gemitus interni doloris testes edit , per quos ipsa anima de se insensibilis ac latens causa , se manifestat , quippe per suos effectus motusque sensibiles , cum in *ye kim* de spiritibus universim non de solo *xam ty* asseratur *yû him* , *vû fam* , *sine figura ac dimensionibus* , quibus tamen nulla res corporea careat , & verò quamvis contenderet quispiam , non fuisse penitùs exploratum veteribus Sinis , quod angeli atque anima rationalis essent omninò incorporea , partibusque carentia , hoc non impediret quominùs in iis intelligendi vim atque immortalitatem agnoscerent ; uti eam in angelis agnovere quidam è sanctis Patribus Græcis , & Cassianus , qui tenuia intelligentiis omnibus creatis corpora affingebant , antequam res ab Ecclesia definita fuisset.

Aliquantò difficilius est assequi Sinarum mentem de improborum animabus , utrum istas in scelerum pœnam extingui existimarent , uti videntur insinuare , dum proborum duntaxat immortalitatem commemorant. *ye kim* lib. 1. *qui fortis & immaculatus vixerit in adversis* , *in æternum non moritur*. *Lun yu* par. 8. fol. 8. *nondum vidi qui ambularet viam veræ virtutis & moreretur*, nempe quoad animam, nam ab interitu corporis nemo se expedit , in *Ly Ky*. D. 2. fol. 14. *vir probus dicitur terminare* (scilicet hanc vitam mortalem) *improbus dicitur mori* , quasi huic relicta non esset spes alterius vitæ : an forte putent sceleratorum animas ad supremum cœlum non pervenire ,

Digitized by Google

ſed in itinere detineri, quaſi in vinculis aut inde ad tenebricoſum detrudi carcerem, in quo delictorum pœnas in perpetuum vel ſanè ad tempus ſolvant.

Nihil mihi occurrit ex veterum libris, unde id ſtatuerem Sinarum hac in re dubium proponitur, in *Li Ky* lib. 8. fol. 24. Ubi poſtquam præmiſſum eſt, *anima remigrat verſus cœlum*, ſubditur dubitatio de omnium paſſim animarum loco, *neſcitur utrum ſpirituum ſeu animarum ſolutarum a corpore locus ſit illic, an ſit hìc, an verò omnes remoti ſint ab hominibus*: Apud veteres ſane de *ty yo* ſeu inferis ne verbum quidem: non leve fuit, quod bonorum præmium in cœleſtis Imperatoris aulâ internoſcerent, de quo tam pauci in lege naturæ ac ſcriptâ ſciviſſe videntur, eum a ſacris præconibus continuò hujus vitæ bonorum ſpes, & malorum terror injiciatur. Omittere nequeo hoc dictum *ven cum*, in *cy ly* fol. 8. quod & uſurpat interpres *Ly Ky* lib. 6. fol. 8. *efficiat hæc oblatio, ut ego percipiam lætitiam in cœlo, & abundantem ſementem in terra* quibus, amabo, verbis ſpes remunerationis in cœlo obtinendæ clariùs exprimi poteſt?

Digitized by Google

NUMERUS XIX.

Neque ſpiritus neque animæ ſeparatæ pro Diis habentur à Sinis.

RElíquum eſt ut oſtendamus veteres Sinas neque completis illis ſpiritibus orbis partium præſidibus ; neque incompletis qui ſunt animæ humanæ , divinitatem ullam attribuiſſe ; in completis quidem ſpiritibus nullam divinam perfectionem finxerunt , non rationem primi principii etiam in aliquo genere , uti Ethnici quidam putà in Minerva primum Principium ſapientiæ independens ab omni alio , cujus ope ad ſcientiam communicandam indigeret , ſiquidem omnes animi dotes è *cælo* infuſas , atque ab eo uno pendere putant ; Nullam ſpiritibus per ſe futurorum certam cognitionem aſcribebant veteres ; qui per ſortes ac divinationes ex *quey xy* cœlum duntaxat , non autem alios ſpiritus interrogabant ; neque cordis arcanorum notitiam iis concedebant , niſi admodùm limitatam , illorum videlicet quæ homines in ipſorum cultum molirentur , cujuſmodi ſunt vota & animus ex quo honores externi exhibentur , quæ ſpiritibus perſpecta credebant , unde in oda dicitur. *Si cogitatio diſcurſuſque hominis nondum excitata ſint* (per opus ſcilicet externum , aut per directionem mentis ad ſpiritus) *illorum originem ſpiritus minimè norunt* , tametſi verò cognitionem ejuſmodi forſitan arbitrarentur ſpiritibus quaſi congenitam & connaturalem ,

Digitized by Google

ortam ex virtute naturali, quæ à primo principio ipsis indita esset, vel à supremo Imperatore credita ob præfecturam commissam, tamen notitia tam augusta, præsertim si ex commissione accepta sit, divinitatis attributum censeri nequit in eo, qui supremi Imperatoris administer palam reputatur.

Multò minùs dominium vitæ ac necis spiritibus illis imputarunt, de quibus non legimus, quod vitam suam ipsis acceptam referrent, aut hanc ab iisdem poscerent, sed tantum, à cœlo, seu supremo Imperatore, cui uni plectenda adversus ipsos spiritus admissa crimina permittunt, in *xu kim* lib. 3. *si quis spiritus indignè, & populum crudeliter tractet, regale cœlum non eum conservat* hinc *cum ngam* hæc verba *lún yu* pag. 2. fol. 5. *qui peccavit in cœlum non habet quem deprecetur* sic exponit *non habet quod deprecetur alios spiritus.* Vim item rerum procreatricem ac conservatricem non aliâ ratione spiritibus tribuunt, quam ex potestate quâdam ad procuranda & quasi distribuenda aliqua bona recondita in iis thesauris Regiis, quorum administrationis pars ipsis concessa est, putà efficientiæ cœlestium corporum, quæ movent pluvias, ventos, ac similia idque in certis duntaxat locis, quibus singulis illorum quisque sic præest, ut universis simul supremus Imperator moderetur.

Quin etiam veteres Sinæ quasi declaraturi non existimare quod spiritus quidquam, nisi ex Imperatoris nutu valerent, statuerunt ut nusquam spiritibus Imperator, solemniter offerret, quin priùs supremum Imperatorem

Digitized by Google

ſibi propitium ſacrificiis conciliaſſet. Certè nihil in ſpiritibus æquè extollunt ac præfecturam illam variarum orbis partium ipſis à ſupremo Imperatore concreditam, neque aliunde videntur deveniſſe in notitiam ſpirituum, quorum naturam ac proprietates ſibi ignotas abſtruſaſque non faterentur tam crebrò, ſi eos pro numinibus haberent. Ipſemet *chu cù* explicans hæc verba, libri 3. *xu kin*, *xin chù*, ait, *quod dicitur ſpirituum Dominus, eſt magna ſpirituum multitudinis Dominus.* Sed quid pluribus opus eſt? Cùm præcipui *ſpirituum*, qui *cœleſtes* vocantur, diſertè aſſerantur in *Ly Ky* lib 5. fol. 47. *ſupremi Imperatoris illuſtres ſubditi, ac clientes, zy chy tà chin tien chy xîn chy*, denique ut promiſſis ego ſtem, audi ſupra laudatum doctorem *ho kim*, eodem lib. de examine cordis. „ *Foci ſpiritus cáo xin* is eſt cui ſors totius familiæ commiſſa eſt, nullo diſcrimine nobilium & ignobilium, majorum, minorumve „ ſuum habent ſingulæ ſpiritum, qui eas dirigat ac gubernet, quidquid à domeſticis, „ cujuſcunque illi vel ætatis vel ſexus ſint, „ ſeu rectè agitur, ſeu pravè, nullatenùs ipſum latet, atque omnia eloqui poteſt, (& „ paucis interjectis) proh dolor! mortales perverſè agunt, ac loquuntur, neque aliud „ norunt quam dare operam momentaneæ „ voluptati, atque ut libet res gerere, neque „ interim norunt, ſeu conſiderant a foci ſpiritu omnia & ſingula, clarè, diſtinctèque „ referri ad curiam cæleſtem, ut inde pravi, „ rectique merces deſcendat. Venerabundus ego hortor, vos mortales omnes, ut perſ-

pecta

Digitized by Google

pecta tam manifesta æquitate (curiæ cœlestis) maturè salutari reverentiâ metuque corripiamini: omnino quisquis in gerendis rebus declinat a malo, & persequitur bonum, *foei* spiritus id exponit supremo Imperatori, qui sua cuique, vel præmiorum merita conferat, vel peccatorum pœnas infligat.

Quocirca dum Pater Nicolaus Trigautius lib. 5. de expeditione Sinica ea scripsit, *spiritus a litteratis coli velut minores Deos*; nolim id scriptum accipias de germanis avitæ legis litteratis sed de illâ litteratorum præsentis ævi turbâ, quæ exteriori cultu, quoscunque etiam modernos spiritus peregrino cultu Idololatrarum in morem observat; cum tamen nulli vel numini vel spiritui fixam in animo fidem habeat.

Quod autem animabus in cœlum admissis nihil divinitatis Sina deferrent, vel ex eo patet, quod nihil illius adscriberent spiritibus, quos tamen præstantiori honore, præsertim oblationum honorificarum prosequebantur: adde quod nullos superioris generis honores suis illis elatis ad cœlum heroibus ordinarios decrevere: sed eos duntaxat, qui omnibus vitâ functis, non manifestè impiis ac flagitiosissimis communes essent; indicium ergo est, quod non eos Deos ducerent cum nemo de Sinis suspicetur eò dementiæ processisse, ut mortuos omnes passim in Deorum numero reponerent. Istud verò clariùs rem efficit, quod suos illos præstantissimos heroas cœlesti patriâ potitos adhiberent intercessores apud supremum Imperatorem ea

Digitized by Google

ferè modo, quo sancti a nobis adhibentur; quibus utique hoc pacto *dulia* non *latria* honores deferimus. In *xu Kim* lib. 4. fol. 31. cùm *viù vâm* fundator Imperatoriæ familiæ *cheu*, gravissimè ægrotaret, illius frater *cheu cum* pro sanitate fratris obtinendâ, tres atavos reges ita compellat: *si vobis tres reges incumbit, ut pro magni filio cœli*, (is est Imperator) *vos interponatis coram supremo Imperatore seu cœlo, efficite, ut mei unius persona, pro fratris persona commutetur.* Exponit Colaus, *siquidem vos trium Regum animæ, convenit operam dare, ut juvetis & protegatis magni cœli filium, interponatis vos coram supremo cœli Imperatore, & in ejus conspectu, non convenit utique vos permittere ut hic ille moriatur*, & paulo post. *Qui adeo enixè ardenterque petebat & efflagitabat a tribus regibus, utique credebat dictas regum animas posse suis precibus commovere.* In *xu Kim* lib. 4. fol. 3. *oh ao cum* sic alloquitur Imperatorem *chim vam*, *multi aviti reges ac probi residen in cœlo contemplantes hunc suum posterum regem, posterum populum.* Exponit Colaus, *aviti sapientes ac probi reges residen in cœlo neque omninò interierunt: isti quomodo non possint enixè implorare opem à cœlo, ut juvet ac protegat suos filios ac nepotes.*

Quin imò illarum ipsarum animarum potestatem admodùm limitatam esse neque illi usquequaque fidendum, nisi emendentur scelera, declarat idem Colaus in hæc verba *Xu Kim* lib. 3. fol. 29. de impio *cheu*, *tu rex tuis libidinibus ac jocis te abstraxisti a cœlo & Imperio*, sic enim habet. *Quamvis avitorum regum animæ in cœlo resideant: tamen fieri jam nequit, ut opitu-*

Digitized by Google

lentur huic Imperio : quare Imperator , nonne convenit quam primum cogites emendare ſcelera , ut hoc modo immutetur cœli voluntas ac decretum contra te pronunciatum.

Quid quod ſuos illos heroas iis quaſi gradibus honoris , coram ſupremo Imperatore diſtinctos agnoſcant, ut non omnes per ſeſe immediatè rogaturi, ad ſummam illam majeſtatem accedere ſine intermediis auſint? *Xu Kim* lib. 3. fol. 29. *puon kem* annis mille ſupra quadringentos ante Chriſtum imperans, ut magiſtratus ad rectam gubernationem & aulæ mutationem in populi levamen ceſſuram perduceret, ſic aiebat , *avus & pater de hoc maximè monuerunt meum atavum Regem*, tunc illuſtriſſimus (*Tam*) *immittet graves calamitates.*

Re nimirum ab ipſo renunciatâ ſupremo Imperatori, cujus ſolius eſt ſcelera propriâ autoritate caſtigare, uti ſuprà ex ore Sinicorum ſapientum audivimus. Et verò ſi dives epulo in ipſis inferis ſuorum curam Abrahamum rogando gerebat, quantò æquius, aliqua ſuorum juvandorum voluntas ac poteſtas, per factas apud Deum interceſſiones, aut etiam aliâ ratione, ex ipſius Dei nutu, iis concederetur, qui ad Cæleſtis Imperatoris patriam & conſpectum perveniſſe, ob vitam piè ac juſtè tranſactam à Sinis exiſtimantur?

Digitized by Google

NUMERUS XX.

Idea Monarchiæ ſpirituum atque hominum gubernationis inter Sinas.

DEnique ut manifeſtiùs innoteſcat, quid de Deo, ſpiritibus, atque animabùs immortalibus cœlo jam potitis, Sinæ ſenſerint, Sinica de gubernatione mens breviter proponenda eſt: quandoquidem ex dictis conſtat, ipſos in ordine ad gubernationem nomina impoſuiſſe Deo ac ſpiritibus, quorum notitiam vix aliunde, quam ex iſtâ ipſâ, haurire potuerunt, quæ ſanè ad manifeſtandas intelligentias non minùs apta videri poteſt, quam phyſicus corporum cœleſtium motus: ex quo Ariſtoteles in illarum cognitionem devenit.

Sinarum gens perfectæ Monarchiæ amantiſſima, & conſtantiſſimè obſervans, illius principium atque ideam è cœlo ducit, fundamentum ſeu inchoationem in terris ac privatâ hominis perſonâ jacit, abſolutionem in ſuperioris inferioriſque orbis regimine reponit. Monarchicæ gubernationis initia ſpectari volunt in propriâ cujuſlibet hominis perſonâ, quæ ſuos omnes affectus velut optimè temperatæ reipublicæ ſubditos obſequentiſſimos habeat. Hinc progrediuntur ad Monarchicæ familiæ adminiſtrationem, ſub uno patre familias: pergunt ad plurium familiarum, in unum regnum ſub uno principe ſeu Dynaſtâ coaleſcentium Monarchicum regimen; eva-

Digitized by Google

dunt demùm ad perfectam & ſimpliciter dictam Monarchiam tributam Sinarum Imperatori, quaſi unus is moderetur omnibus quæ cœlorum ambitu continentur, unde ſuum Monarcham dictant *có tien hia*, *cunctis ſub cœlo poſitis Imperitare ac præſidere.* Imperii porrò adminiſtrandi, hæc eſt ratio.

Imperator unus omninò exiſtit: rectè enim interpres *Ly Ky* lib. 6. fol. 18. *Imperatoria majeſtas non eſt duplex, ſolum Cœlum eam excedit.* & lib. 3. fol. 8. *Idcircò cœli filius non excipitur ut hoſpes, quia illius majeſtas non admittit parem.* Unus itaque jus vitæ ac necis ſic obtinet, ut ſine ipſius ſententia, & proprio ore latâ, vel manu exarata, nemo de jure ordinario, a magiſtratibus exui vitâ poſſit: ſelectis utitur plurimis viris, quibus partim negotia in aulæ ſupremo tribunali multiplici decernenda, partim provinciarum, urbium, oppidorum, pagorum adminiſtrationem, partim maris, fluminum ſylvarum, annonæ, (ut de militiâ ſileam), præfecturas ac procurationem, debitâ cum ſubordinatione ac diverſitute novem ordinum cum ſuis gradibus, *pin kie*, ipſemet committit. Diceres Angelicam hierarchiam, in ſuos ordines, ac choros diſtributam, præſertim cum Regii præfecti rationem ſui reddere Imperatori, atque ipſius mandata accipere, non per ſeſe immediatè omnes, ſed ſuperiores duntaxat, & horum interventu inferiores, valeant; cum tamen cunctos ociùs ſeriùs Imperator, pro arbitratu, ſubinde amoveat, mutet, deprimat, attollat, quod nunc quidem frequentiſſimum eſt, cum ante

Digitized by Google

Tamingam familiam rariùs accideret; regium prætereà latus ad majeſtatem ſtipant diverſæ dignitatis optimates ac regni proceres, necnon aulici, ad ſtabiles evecti honorum titulos *cum heú*, *pe cú*, *nan* relati in lib. 4. *Ly Ky* fol. 1. qui ferè reſpondeant noſtris Ducibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Nobilibus alii quidem in præmium præfecturæ, aut alterius rei benè a ſe vel parentibus geſtæ, alii verò ob ſingularem erga ipſos principis benevolentiam; iſti autem Imperii regimini non ſe immiſceant, niſi honorariorum ac ſpontaneorum conciliatorum inſtar, per libellos ſuplices, quibus Imperatorem vel ultrò moneant de nonnullis quæ forte ad rectiorem Imperii adminiſtrationem conducentia ipſis occurrant, vel in gratiam ſuorum rogent: atque id ipſum eâ lege, ut qui primæ notæ ſunt aut cum primis chari libello ſupplices ipſimet porrigant, cæteri verò per intermedios duntaxat aut Imperatoris intimos, aut ab illo, ad ejuſmodi libellorum intromiſſionem conſtitutos, offerant; demum Imperator aliquam Imperii ſui portionem olim trædebat principibus quibuſdam ac præſertim liberis, quos reges ſeu dinaſtas creabat *fum vâm* permiſſâ ipſis certâ ditione, intra cujus limites ſui planè juris eſſent, ac leges conderent, modò ne iſtæ adverſarentur legibus poſitis ab Imperatore, qui illos regno, in quo altum ſibi Dominium cum levi tributi penſitatione reſervabat nonniſi ob immanem populi vexationem, aliave enormia ſcelera ſpoliabat.

Sinarum porrò Imperator ita ſummam to-

Digitized by Google

tius orbis terreſtris Monarchiam ſibi vindicat, ut alium ſibi ſuperiorem in cœlis, ſupremum ſcilicet Imperatorem agnoſcat, cui ſe ſubjiciat & obſequia præſtet in *Ly Ky* lib. 14. fol. 19. *priſcarum trium familiarum Imperatoriarum, clariſſimi reges non audebant, ne clam quidem ac privatim* (hæc verba notent, qui illos atheos ac populi deceptores criminantur) *negligentiùs ſervire ſupremo Imperatori* : Neque putes Sinas ſuum Imperatorem æquare ſupremo Imperatori, dum illum, huic veluti ſocium inter exhibendos cultus adjungunt *poy xam ty*; cum enim iſtud ipſum, erga cujuſlibet familiæ caput, ſeu proavum *xy cu*, obſervent, patet hac cultus conjunctione, & quaſi ſocietate, non indicari æqualitatem, ſed aliqualem duntaxat ſimilitudinem virtutis, in iis perſonis quæ ſimul coluntur : atqui hæc ſimilitudo virtutis in eo conſiſtit in proavo (ait interpres *Ly Ky* lib. 8. fol. 11.) *quod filii a parente, ac nepotes a proavo, uti res omnes procreatæ ſunt a ſupremo Imperatore tanquam a principio.* Id ipſum, textus ipſe tradit fol. 13. *van ve puen hu tien, gin puèn hu cù, cu ſoy poy xam ty.* Atque propter hanc ſimilitudinem in origine ſeu virtute productivâ, dum cultus ordinati diſponuntur in *Ly Ky* lib. 7. fol. 19. poſt cultum cœli ac terræ, ſeu ſupremi Imperatoris, ſtatim collocatur parentum cultus, quia uterque eſt propriè *paopuen chy y.* Tum ſuccedit cultus majorum ſpirituum, ac tandem minorum, in quibus nempe minùs perfecta ratio originis apparet reſpectu hominum, quam in parentibus reſpectu liberorum ac nepotum. Quamquam non

Digitized by Google

rarò præſtantiorum ſpirituum cultus præmittitur cultui parentum, quoniam illi rationem aliquam obtinent principii univerſalis, uti cap. 3. conſtabit.

Sinæ itaque cæleſtem ac ſupremum Imperatorem tamquam ſummum cœli terræque moderatorem norunt, ac duplex in eo regimen diſtingunt: aliud inviſibile, vi cujus per ſemetipſum, & multiplices ſpiritus, ſubjectaſque intelligentias, variis utriuſque orbis partibus præpoſitas, tanquam rex per ſuos præfectos, univerſa miro, ſed conſtantis ſapientiæ & maximæ potentiæ noſtram aciem fugientis proprio ordine diſponat; neque enim tantam majeſtatem decere arbitrati ſunt, ut in hac ſuâ cœleſti aulâ vitam quaſi ſolitariam ageret, magnatibus & honorariis aulicis deſtitutus quibuscum ſua conſilia pro opportunitate communicaret, neque ut tot orbis utriuſque partes veluti totidem provincias, urbes, & oppida, ſe uno quaſi appoſitis adjutoribus carens procuraret, in verſandis & circum agendis corporibus cæleſtibus, vibrandis fulminibus, excitandis ac ſedandis ventis, mittendis imbribus, derivandis è penetralibus montium fulminibus, aliiſque ſexcentis occupatus totus abſque idoneis adminiſtris; quorum abundantem copiam inſignemque ſolertiam Imperii majeſtas poſtulare videtur: alterum ejuſdem inviſibilis ac ſupremi Imperatoris viſibile in hocce orbe inferiori regimen per homines viſibiles juxta & intelligentes adminiſtrandum expetere viſum eſt, ut ſuas in terris vices demandaret, & terrarum orbem,

Digitized by Google

bem, quasi Imperii, cœlum ac terras comprehendentis, portionem traderet uni inter mortales sibi charissimo ac filio *Tien cu cœli filium vocant*, non per generationem naturalem; sed per adoptionem, *tien mim* peculiariter dictam, cujus jura ad hæreditatem & honores inter Sinas, generationis naturalis juribus propè æqualia sunt; quæque fit per singularem amorem, ex quo unum Impetatorem, filii dignitate & authoritate instruit cum reliquos ipsius Imperio subjiciat: quocirca hic Imperatoriâ dignitate pollet in reliquos mortales, quos inter nullus Regis seu Dynastæ præeminentiâ ac ditione gaudet, quam ipsi acceptam non referat, velut particulam Sinici Imperii, sive intrà Sinas ipsos sive in adjacentibus insulis, aut continentibus quorum Reges Imperator Sinicus, quasi inaugurandos ac sigillo muniendos sibi sumit: impositâ singulis persolutione cujusdam vectigalis post revolutam annorum quos præfigit periodum, uti nunc Siami, Tunkini, Concinsinæ, aliique nonnulli reges factitant, quod ipsum olim Japoniæ Ceylani, ac cæterarum insularum, necnon maritimarum Indiæ oratum, Dynastas ac reges ad Promontiorum usque bonæ fidei observasse narrant. Neque de sua illa Majestate aut fastu quidquam hactenus remisere: cum nullius planè Monarchæ ab ipsis remotioribus & illustrioribus Asiæ, vel Europæ finibus missos legatos, aut munera, alio quam pendendi tributi titulo admittant, nec muneris quidpiam reponant, nisi instar *xam*, id est præmii, quod Dominus

Digitized by Google

ſubdito liberaliter impertit. Teſtes Moſcovitas, Luſitanos & Hollandos appello.

Nihilominùs qui leges ac jura mortalibus omnibus ſtatuere præſumit, eoſdem ad ſupremi Imperatoris ac cælitum cultum exemplo, verboque invitat. *Ly Ky* lib. 5. fol. 49. & lib. 14. fol. 17. *Quando Imperator obſequitur cœleſti mandato, tunc ſubditi Imperatoris mandato obſequuntur.* Item lib. 13. fol. 59. *Cœli filius ſi ſit probus: ſe humiliter ſubjicit cœlo, uti Dynaſtæ Imperatori* Nec diffitetur ſe ſupremi Imperatoris legibus teneri, quas a ſupremo Imperatore ſeu cœlo, tanquam auctore inditas humanæ naturæ *tien tao*, *cœli regulam*, & *tien ty cœli rationem* nuncupant, quæquidem in ipſo homine, tanquam ſubjecto reſidens fax eſt luminis naturalis, dictamen rectæ rationis, vel ipſa hominis de ſe recta indoles ac natura, cum quâ ſe conformare par eſt, & de quâ in libro elementario puerorum aſſeritur. *Generis humani natura originaliter fuit bona* & Mencius par. 6. fol. 1. *homo nullus datur ex natura ſua non bonus.* Eadem verò cœli regula ſi in principio, fonte, origine & ideâ ſpectetur, attendenda eſt in mente ſeu ſapientiâ, ac bonitate, ſeu in prudentiâ divinâ, quam in adminiſtratione & præcipuis univerſi partibus, velut in ſpeculo conſpicuam, ac propoſitum ad imitationem exemplar veteres Sinæ identidem inculcarunt, hæcque eſt ac vocatur *tien mim* (quamquam & *tien mim* ſæpe ſumitur paſſivè, pro effectu ſeu dono præſertim primario, divinæ providentiæ, quod apud Sinas eſt Imperium; unde in *Xu Kim* lib. 3. fol. 6. *Kin cum tien tao*,

Digitized by Google

yum pao tien mim. Qui summa cum veneratione sequitur regulam cœli, perpetuum sibi asserit cœleste mandatum seu Imperium. Hinc in *ye kim* lib. 1. scribitur, *quæ originem habent è cœlo, naturaliter respiciunt ea quæ supra sunt.* In *Ly Ky* part. 24. fol. 1. Confucius ait. *Id unde originem duxere omnes justi ritus est obsequium erga cœli ac terræ spiritus.* Et part. 30. fol. 24. *Omnium rituum præcipua substantia consistit in cœli, terræ, & quatuor tempestatum imitatione.* Et lib. 9. fol. 23. *Quando Imperator pervenit ad summam reverendi cœli rationem ac ritum, tunc totus orbis novit reverendi Imperatoris rationem, atque in xu kim* lib. 17. fol. 24. *Quando Imperator servit cœlo, subditi absolvunt ea quæ ad regis obsequium pertinent.*

Superius vidimus ex *ven hieù tum aao*, illos *ù ty*, præcipuos inter spiritus comparari cum *xam ty*, tanquâm regulos seu Dynastas cum Imperatore, & in *cheu ty* lib. 25. fol. 14. exponitur quâ ratione cœli, terræ, necnon montium, fluminum, elementorum, ac similium, spiritus honorifica nomina conferantur cum proportione regis, reginæ, ac similium quæ hominibus impertiuntur. Atque in celebri glossa *pe tum* scribitur, *Rex habet pro patre cœlum, pro matre terram, pro fratre solem, pro sorore lunam*; quæ nonnisi de spiritibus corporum illorum cœlestium præsidibus intelligi possunt, quis enim somniavit solis ac lunæ corpora, a terra velut parente procreata fuisse? quid autem aptius ad rem nostram hoc textu, *Ly Ky* lib. 7. fol. vigesimo, *dum peragitur sacrificium Kiao, magna multitudo spirituum suscipit officia, ac munia quæ obeat, ordinati sunt spiritus,*

Digitized by Google

ipſorum deſcenſus ſeu demiſſio dicitur mandatum ; nim acceptum, inquit interpres *lim che, ſcilicet a cœlo a quo præfecturam ſuam obtinent. Ky quon yu tien.* Adde titulum, *magnatum ſupremi Imperatoris ty chy tà chin*, ſpiritibus rituum, *Ly Ky* lib. 5. fol. 47.

Concludo cum verbis interpretis *chao* in cap. 19. *chim yum. Spirituum atque hominum una lex & regula, qui penetrat ſpirituum diſpoſitionem, perſpectam habet regendorum hominum rationem.* Quocirca qui ſcire velit quid de inviſibili ſpirituum Monarchiæ gubernatione, veteres Sinæ ſenſerint, oculos conjiciat in hanc ipſorum Monarchiam, quam ad illius inviſibilis imitationem conſtituerunt. Spiritus variarum orbis partium præſides, cum Regiis locorum præfectis componat, ſupremi Imperatoris throno aſſiſtentes, intelligentias cum optimatibus in aulâ a puero educatis conferat, & revocatas ad cœleſtem aulam, a qua fuerant per infuſionem corporibus emiſſæ, proborum virorum animas cum emeritis illis aulicis, improborum denique animas cum reis malè adminiſtratæ provinciæ vel carcere, vel etiam morte damnatis comparet : tunc profectò agnoſcet, quam egregiè omnia conſtent, & non ægrè obſcureque intelliget, quid de Deo, ſpiritibus, hominibus vitâ perfunctis, quid de iſtorum pariter cultu antiquiores Sinæ exiſtimarint.

Digitized by Google

NUMERUS XXI.

Intelligentiarum ac præsertim supremæ existentia ex ipsis Sinarum verbis astruitur.

ATque ut manifestius fiat ex ipsis Sinarum tam veterum, quam recentiorum verbis verè notos & in honore apud ipsos fuisse spiritus intelligentes, atque illos inter præstantissimum unum agnovisse, nonnullas eorum sententias hic adjiciam ducto initio a compilatoribus, quorum authoritate velut præcipuo suæ opinionis fundamento oppositores nituntur. Hæc igitur accipe ex *sim ly ta civen.* lib. 3. fol. 21. *Quæ gesta sunt in corpore, ubi homines viderunt, ea in intimo cordis recondunt, spiritus quoque ipsa norunt: quod si hominis perspicacia decipi non potest, quantò magis spirituum perspicacia non decipietur?* & infra fol. 38. *cordis arcanorum dum nullæ foris exstant vestigia, quamvis adsint spiritus, ejusmodi arcana scire perspectaque habere nequeunt; quantò minùs, homines id valebunt.* Ex quibus liquet ab illo litteratorum coetu, non minorem, imo majorem intelligendi vim ac perspicaciam tribui spiritibus, quam hominibus, in quibus illam profectò agnoscunt audi patiter interpretem *Ly Ky* lib. 4. fol. 16. *Si doctor graviter ægrotaverit, rogandi sunt quinque spiritus Domestici.* Et lib. 7. fol. 24. *Quando homines redeunt ad suam quasi nativam pietatem, tunc spiritus acceptam habent illorum, virtutem.* In ipso

Digitized by Google

textu lib. 13. fol. 47. ſcribitur quod *homines revolvuntur* (per cogitationem nempe & reverentiam) *ad ſuum principium, ut magnifaciant ſuam originem; accedunt item ad ſpiritus, uti venerentur ſuperos, ac ſupra ſe poſita.* Quæ ſanè omnia, de naturali quorumlibet corporum virtute dicta, ſibi conſtare nequeunt, cum ejuſmodi virtus, ſaltem in pleriſque corporibus, potius infra quam ſupra hominem poſita ſit, nuſquam verò ſit apta ac digna quæ rogetur, atque recta opera, ſibi nimirum ignota, vel acceptet, vel reſpuat. Inſuper lib. 1. fol. 63. *Spiritui ſibi non convenienti, & quaſi improportionato, qui offert, dicitur perperam, ſeu perverſè offerre; perverſa oblatio non eſt fortunata;* addit interpres, *perverſitas illa ſita eſt in exceſſu quodam, quem ſi quis committat, ſpiritus ejuſmodi oblationem gratam, ratamque non habet. Idcircò neque felicitas ex ipſa obvenit.* Quæ patet nonniſi inſulsè proferri poſſe de virtute corporeâ merè naturali, cum hæc noſſe non valeat exceſſum reverentiæ, ob quem oblationem repudiet. Unde dum eamdem doctrinam tradit Confucius in *lun yu* pag. 2. fol. 2. illius rationem ibidem repetit *chum tum co*, ex eo quod montis *tay xan* de quo illic ſermo, *præſes ſpiritus noverit officiorum rationes.* Atque eumdem locum ſic explicat *chum chim Kiu*, Colaus per Antonomaſiam *Tay xan eſt inter quinque celeberrimos montes præcipuus, ſpiritus ipſius, maximè perſpicax, ac rectus, exploratas certè habet officiorum rationes; quonam igitur pacto velit accepta rataque habere, non debito ritu peracta ſacrificia?* eodem recidit illa toties in *ſu xu* & *Ly Ky*. Præſertim lib. 14.

Digitized by Google

fol. 4. commendata puritas prærequiſita ad congreſſum ſpirituum ob iſtorum puritatem, ac perſpicaciam, *xin mim*, quæ virtuti deſtitutæ facultate intelligendi eò minus tribui poſſunt, quod de ſpiritibus completis affirmentur.

Incompletos autem ſpiritus, ſeu animas rationales intelligendi vi præditas viſas fuiſſe Sinis, nemo, quod ſciam, hactenùs negavit, hincque ſcriptum in *Ly Ky* lib. 14. fol. 20. *Si omnes oblationum ritus abſoluti fuerint, neque ullum a ſpiritibus inferendum nocumentum, neque ulla populi exercitatio metuenda imminet.* Interpres rationem reddit, *quod ſpirituum atque hominum animo penitus ſatisfiat.* Inde quoque argumentum non leve petitur, quod inter afferendas obſequiorum, venerationiſque rationes & ordinem, primas conſtanter ſpiritibus deferunt. Adeò ut lib. 14. offic. fol. 7. & iterum fol. 23. *ſpiritus cœli, ac terræ* collocentur in primo *e decem gradibus*, qui ibi enumerantur, ac tandem concludatur, *vir probus hunc reverendi ordinem ac ſeriem obſervat*; eâdem mente fol. 21. ſcribitur. *Suſtentatio vivorum, facta mortuis oblatio, obſequium exhibitum ſpiritibus, magnam doctrinam continent; quâ nempe cœli regula penetratur.* Neque iſtud hic prætereundum videtur; depromptum ex *ye kim puèn y* lib. 1. fol. 65. *Illuſtres viri ſuam virtutem conciliant, uniuntque cum cœlo ac terra, cœlo non adverſantur,* (materiali ſcilicet ſeu viſibili, de cujus imitatione ibi agitur) *quanto magis non reluctantur hominibus, quanto magis non reluctantur ſpiritibus*, cum enim debitum ſpiritibus obſequium præferatur,

Digitized by Google

ſubjectioni debitæ, tum hominibus, tum etiam aliquatenùs cœlo viſibili, conſtat ſpiritus illos aliud eſſe, præter vim naturalem corpoream, quippe iſta major in cœlo, quam in homine ac cœteris inferioribus & ſublunaribus reſidet.

Nominatim autem de ſummo inter omnes ſpiritus, ſeu Imperatore ſimpliciter dicto ſubditur l. 14. de off. fol. 24. *caput ac principium debita ſubjectionis juxta quam ſuſtentantur vivi, offertur mortuis, ſervitur ſpiritibus, iſtud eſt Imperator.* Atque in *ye kim ta civen* fol. 5. *Quæritur quiſnam ſit ille Imperator Dominus ac moderator.* „Aio vere ex ſe ipſo exiſtere Dominum ac „moderatorem: quoniam cœlum cum ſit va„lidiſſima & illuſtriſſima res, manifeſtum eſt „quòd volvi cierique non deſinet; idcircò „datur is a quo illud confectum ſit, Domi„nus videlicet, ac moderator, quod ſi ho„mines iſtum velint per ſe perſpectum ha„bere, nulla ſunt verba quæ eò uſque pertin„gere valeant. De eodem ſupremo Imperatore „quod in *tùm kiven* lib. 4. fol. 6. ſpirituum „cœleſtium auguſtiſſimus eſt ſupremus Impe„rator, vocatur clarum cœlum vel clari cœli „ſupremus Imperator. Imperatoris ratio eſt, „Domini ac moderatoris ratio & ap„pellatio. Nomini *Imperatoris* adjiciunt vocem *ſupremi*, ut ſummum denotent faſtigium, „cui nihil ſuperimponi poteſt; infra cœlum „ac ſupra terram nulla res eſt, quam cœlum „in ſe non contineat; nihil geritur, cui Im„perator non dominetur: *Idcircò ſacrificant ipſi.* Et in *Ly Ky* lib. 14. fol. 48. *EX odarum doctrina,*

Digitized by Google

trinâ, *ſupremi Imperatoris mandatum non violatur* (nempe a probis) *ut apparet in Rege* tam, *qui a ſupremo Imperatore miſſus cum eſſet vir ſanctus, Imperatoris mandato obſecutus eſt, quod fuit virtutis* tam *opus*. Interpres *yen xy* addit cum Rex "*tam* non gereret animum capeſcendo cœ- "lo, ſeu cœli mandato parem, infuſus eſt ei "ampliſſimus, ſicque nulla in parte deficie- "bat, atque eam ob cauſam unicè in honore "erat apud ſupremum Imperatorem, qui illi "uni perfectionem infuſam conferebat; ex "proprio quaſi motu, juſſuque illum propo- "ſuit imitandum *univerſo orbi, cui ipſum præ-* "*fecit*. Quin etiam *chu cu cù*, ad lib. 8. de offic. fol. 1. fatetur cœlum (nempe corporeum) non eſſe vocandum ſupremum Imperatorem, niſi adjungatur ei ſpiritus cœli præſes. *Rerum*, inquit, *omnium principium eſt a cœlo: hominum principium eſt ab avo, quam ob rem utuntur eo a quo orti ſunt avo ad comitandum* (nempe dum ſolemniter offerunt) *cœlum ac terram. Supremus Imperator eſt cœlum, adjunge cœli ſpiritum* (ad cœlum nempe corporeum) *& ipſum appella, tunc dicitur ſupremus Imperator.*

Sic vides ne famoſum quidem illum ſecundæ claſſis interpretem audere nomen Imperatoris ſupremi tribuere cœlo corporeo, quod cognitione prorſus careat; ſed cœlum illud, quod Sinæ ſupremum Imperatorem vocant, eſſe intellectivum quid, ſpiritum nempe iſtius corporei cœli præſidem, de quo egregiè in *xie kim* lib. 5. *Cœlum duntaxat eſt perſpicax, nihil eſt quod cœli perſpicacia viſu audituque non aſſequatur, nulla eſt alia æquitas quæ illius æquitati*

Digitized by Google

exæquari possit unde interpres subdit, *principes si imitentur summam cœli perspicaciam, atque ortam ex ea æquitate, Optimates illis obsequentur, & populus eorum gubernationi morem gerendo se subjiciet.* Hùc spectat aliud dictum, ex lib. 14. de offic. fol. 26. *Veteres in recta administratione primas concedebant amori erga homines, quoniam hic si desit, cœlum exhilarari nequit, adeoque nec propria persona perfecta evadere.* (*famxy* subdit) *qui cœlum exhilarat, & nullâ in re non obsequitur rectæ rationi.*

Scisciter ego an Cœlum corporeum, omni tam cognoscendi, quam appetendi facultate destitutum, sit illud quod exhilaratur amore erga homines, atque in præmium ejusmodi amoris confert animum recte rationi obsequentem, an non potiùs cœlum spiritale & intelligens id præstet? & verò propter prædictam perspicaciam, necnon beneficentiam cœli ac terræ spirituum erga mortales, hos illis interiorem quoque reverentiam debere sæpius inculcatur. Pauca hæc recole ex lib. 7. „ de offic. fol. 32. " *Quamvis res* omnes per „ totum orbem sparsæ adhibeantur ad hono„ rificam cœli terræque oblationem, omni„ nò ista ex æquo respondere non possunt „ tantæ virtuti, & illius in nos promerita „ compensare; præstat ipsi servire cum per„ fectâ reverentiâ interiori, ac summâ vene„ ratione, dum officia externa peraguntur. „ Vir probus præcipuè incumbit in perfe„ ctioris internæ reverentiæ conservationem, „ quippe commercium quoddam habet cum „ perspicaci spiritu, attentè, ac diligenter,

Digitized by Google

etiam in privato ſeceſſu (in quo non ſervi- "
tur mortalium oculis, eò non penetranti- "
bus) ejuſmodi officia præſtare, iſtud nem- "
pe eſt conſtanter ac perfecte ſervire ſpiriti- "
bus, ipſoſque venerari, hactenus inter- "
pres loci citati.

Adverte, quæſo, quam ſolida, ſinceraque ſit litteratorum commemorata doctrina. Hæc certè opponitur interiori idololatrarum doctrinæ, quæ eſt atheiſmus, & quo cultus exterior ſpirituum oſtenditur, tanquam larva interioris, ac veræ ſine ullo figmento reverentiæ, quam athei quidem illi negligunt; germani verò litterati penitùs exigunt, quid clarius his verbis libri 7. offic. fol. 25. *Officiorum ratio conſiſtit in juſtitiæ ſinceritate* & lib. 1. fol. 4. *Oblationes peractæ cum reverentiâ devinciunt ſpiritus, nihil in iis ſive interni ſive externi cultus deſideratur.* Preſſiùs interpres *iſta quæ ſpiritus cum reverentiâ devinciunt, originem & perfectionem è corde trahunt, & in exteriori apparatu figuratâ conformantur.* Item lib. 3. fol. 9. *Agendi cum ſpiritibus recta ratio habet illorum venerandorum animum.* Ac ne putemus ad ſolas defunctorum parentum animas id pertinere, interpres ſubdit. *Id ipſum ſpectat ad ſpiritus montium ac fluminum* idem interpres qui eſt inſtar gloſſæ pronunciat lib. 7. fol. 3. *Priſcorum animus non erat fictus fallaxque; quamvis parvi eſſent & humiles, ex ſe ipſis noverant depromere ſummam venerationem erga ſpiritus.* Ipſe interpretum cœtus lib. 8. fol. 14. diſertè pronuntiat: *Sapientes in conſtituendis ritibus nihil planè figmenti adhibuere, præſertim circa ſpiritus, qui inquiruntur vel rogantur: nec mirum cum iis offer-*

Digitized by Google

rent, uti responderent spirituum meritis erga ipsos. De Confucio nominatim testatur Colaus in *lum yu* par 9. fol. 5. sub initium. *Quod vehementer aversabatur homines fictè operantes.* Tandem comment. lib. 8. fol. 10. has celebres voces *paopuen fan Ky*, sic explanat: *Priores quidem significant gratitudinem externâ cærimoniâ adhibitâ: posteriores verò animum verè memorem*, erga originem scilicet ac principium *puèn xy*; quod quidem primum ac simpliciter dictum, est ille supremus Imperator Sinis dictus Deus. Opt. Maximus.

At sanctissimæ Trinitatis mysterium Sinis prorsùs fuisse incognitum censeo. Istud quidem *Laò Kiun*, quasi alterius trismegisti effatum affertur, *regula emisit unitatem, unitas emisit binarium, binarium, emisit ternarium, ternarium emisit res omnes* quasi hæc regula esset essentia divina, ex qua prodiret aliquatenùs prima persona, ex quâ prodiret 2. cum quâ constituat binarium, ex quo prodiret tertia, ex quâ unà cum duabus illis constituatur ternarium, a quo universa creata prodierint. Verum libros Sinicos perlegenti liquet, istud *tao* seu *regulam* esse primum principium ejus indolem sibi minimè exploratam esse, ipsemet *Laò Kiun* fatebatur; unitas nempe est *Tay Kie*; binarium sunt *leam y*, de quibus infra, ternarium sunt Cœlum, terra, & homo, quæ vocant *san cay*, à quibus reliqua omnia, tam naturalia, quam artificialia promanant.

Incarnationis, quam sperarent, aliquod forsan levius vestigium quis suspicetur in sapientissimo illo viro, quem Confucius bis in

Digitized by Google

chum, *yum* fol. 25. & 27. *Se post multa expectare sæcula significat*, *spiritibus perspicaciorem* : cum de eo nihil amplius tradat nisi quod ferunt illum dicere solitum, *Occidentalis plaga habet virum sapientem ac sanctum.*

NUMERUS XXII.

Philosophiæ Sinicæ principia de naturali rerum transmutatione.

QUin etiam vix primam mundi ac rerum molitionem attingunt, nisi quod Confucius in *ye Kim xue quà* fol. 7. ait, *extitit cœlum ac terra* ; *postmodum extiterunt res omnes* ; *posteà extitit masculus & fœmina.* E Geneſi hauſtam rerum productarum ſeriem crederes, toti ſunt in explicandâ conſervatione, gubernatione ac præcipuè converſione rerum, ex quâ nomen ſumpſit illa tanto apud atheos in pretio *doctrina de transmutationibus ye kim.* In hac ipſorum naturali Philoſophia cui ſubinde moralem aptant, pauca quædam inter ipſos fixa & pro certis habita invenio, plura incerta de quibus inter ſe non conveniunt nisi fortè certarum vocum ambages. Semel prolatum, ut aiunt, a Confucio obſcuriſſimum dictum, velut effatum ac principium lumine naturæ notum continuò oſtentant. *Tay Kie, ſem leàm y, leàm y ſem ſú ſiám, ſú ſiam ſem pa qua, pa qua ſem van ve.*

Conſtat de illis *pa qua*, ſeu octo figuris phyſicè ſumptis, eſſe præcipuas octo partes, in quas mundum hunc aſpectabilem dividunt, ſunt autem cœlum, terra ; aqua, ig-

Digitized by Google

nis, tonitrua, venti, montes, flumina; istorum tria videlicet ignis, aqua, terra, una cum metallo & ligno, præstare quinque elementa, ex quibus mixta omnia existant, & aliquatenus componantur; his quinque elementis respondere dominari & quasi proprias virtutes communicare putant quinque planetas particulares, *ú sim* dictas, quibus & nomen ab illis, quinque Elementis imposuere Saturnus est *tú sim*, planeta terræ; Jupiter *mo sim*, planeta ligni; Mars *hò sim*, planeta ignis; Venus *Kin sim* planeta metalli; Mercurius *xuy sim*, planeta aquæ; solem ac lunam velut universales planetas suspiciunt, qui cunctis tum mixtis cum elementis dominentur: sol quidem calidis ac siccis, luna verò frigidis ac humidis; nam quatuor illas qualitates velut principia quædam seu instrumenta generationis ac corruptionis agnoscunt: quamvis ipsas non vocent primas, nec reliquas qualitates tanquam secundas ex istarum permixtione oriri dicant, sed de omnibus loquantur, quasi eâdem ratione substantias afficiant: putà de raritate ac densitate, gravitate ac levitate, duritie ac mollitie neque ex istarum quatuor primarum (ut nos appellamus) qualitatum combinatione quatuor elementorum numerum ac diversitatem colligunt sed eas in igne & aquâ duntaxat, velut in primariâ suâ sede considerant, in quâ summæ sint, & e diametro opposita dimicando, mutuis quasi sagittis se invicem petant atque configant, *Siam Ke.*

Quid de ipsa rerum corporearum substan-

Digitized by Google

tiâ ſentiant aſſequi difficiliùs eſt (nam ſpiritalium naturam ac proprietates non perſcrutantur de induſtriâ ac præ veneratione ut jactant) vox *tay kie* ab omnibus uſurpatur, a paucis eodem planè modo intelligitur, aut etiam omninò explicatur. Illud fingunt inſtar ingentis globi omnia intra ſe confuſa ac ſine ulla diſtinctione complectentis, unde & *hoen tun* quaſi confuſum chaos dictitant. In *ſim ly* lib. 26. par. 7. *Res omnes ac ſingulæ nituntur ſeu conſtant unâ ratione, omnes ſimul oriuntur ex uno principio & origine, quod dicitur rerum omnium unum principium & origo eſt tay kie namque iſtud eſt rerum omnium adunatarum nomen.* Ex quo liquet res omnes non oriri ex *tay kie*, nec iſtud eas producere per modum principii efficientis, ſed prodire ab ipſo, uti partes ex toto, quod in illas dividitur, quæque poſt diviſionem eluceſcunt, primum quidem duæ *leam y*, ſeu *yn yam*, tum *ſù ſiam*, quatuor imagines quaſi ſubdiviſæ ac demum partitio fit in *pa qua*, octo figuras, quæ magis expeditæ, velut retectis involucris ſub ſenſus noſtros cadant. Interpretes *ye kim* in ipſismet tabellis dum exponunt iſtud *ſem*, explicant per vocem *fuen*, quæ eſt partiri ac dividere, non autem per voces *ſem chim*, quæ idem ſunt atque efficienter producere. Et verò nemo dixerit cœlum ac terram (quæ ſunt duæ ex illis octo figuris) prodire ab illis quatuor imaginibus tanquam principiis reverà effectivis. Cum cœlum ac terra pro primis rerum omnium corporeis principiis conſtanter ſtatuantur.

In hoc porrò *Tay Kie* tres formalitates atten-

Digitized by Google

dunt (quippe variarum formalitatum in eâdem re ex ordine ad varia connotata distinguendarum peritos esse Sinas constabit legenti *chu cù puèn y*, ad primam figuram *ye Kim* & *chim cù* ibidem) indigestam illam corporeorum omnium congeriem confusissimè spectatam absque ullo ordine ad distinctionem partium in eo toto contentarum *hoen tien* & *lun* vocant; Eadem quatenùs habet in se principium divisionis in varias partes suis differentiis distinctas apellatur *ly* seu *ratio*, quæ respondet *essentiæ* seu *essentiali rerum differentiæ* in communi acceptæ: illud ipsum totum secundum habitudinem quam habet ad varios effectus, quorum virtutes activas continet, dicitur *Ky* halitus, seu spiritus, ac respondet *naturæ* quam uti philosophus definit principium motus ac quietis; ita Sinæ motum, & quietem ab illo *Ky* oriri aiunt.

Quamquam plerumque videntur sumere idem *Ky* pro parte præcipuâ istius *tay Kie* jam suâ *ly* affecti, & quasi formati: quod totum & quævis illarum partium in quas velut particularia tota per divisionem distinguitur, constet ex duabus partibus, quarum una crassior & imperfectior sit, *hiu* & *cum* quasi vacuum non quidem entitate prorsùs, sed entitate habente in se virtutem activam: ejusmodi est illa secunda pars tenuior dicta *Ky*, quasi halitus seu spiritus perfectior, vegetus & actuosus nulla enim inter ipsos mentio materiæ ac formæ substantialis informantis. Instar actus & potentiæ strictè loquendo, sed corpora quævis repræsentant quasi spongiam, cujus

Digitized by Google

cujus pori ſpiritibus oppleantur. Unde ſuam materiam *che* nominant *Ky* vas, quod repleatur illo *Ky*, ſeu ſpiritu & habitu, qui intimo naturali & arcto quodam vinculo cum craſſiori illâ parte uniatur ad conficiendum totum. Quæ verò nomina nunc ſummam perfectionem, nunc maximam imperfectionem ſonantia attribuuntur *tay Kie*, his nempe exprimitur diverſitas illa duarum partium, ex quibus res ſingulæ, & illarum omnium conglobatum conflatur, ſcilicet *hiu* vacuum & *Ky* ſpiritus. Atque eo forte ſenſu dixit Confucius *quey xin ty ve ſpiritus ſubſtantiam rebus tribuunt*; formaliter quidem & intrinſecè ſi de ſpiritibus agatur improprie dictis, qui ſunt iſte *Ky* ſpiritus ſeu halitus activus; extrinſecè vero & efficienter duntaxat, ſi ſermo ſit de ſpiritibus propriè dictis & intelligentibus, qui ad rerum corporearum ſibi per converſionem ſuccedentium productionem concurrunt; ſed mediis illis orbis partibus, quibus tanquam fœcundis generationum ac corruptionum inſtrumentis præſunt, ratione illius utriuſque partis tum craſſioris tum tenuioris, quæ ſingulis rebus corporeis inexiſtit, dicuntur omnia eſſe unum ſubſtantiâ, *van ve ye ty* non quidem unum per continuationem & identitatem numericam; ſed unum duntaxat genere quod immediatè dividitur in *yn yam* ſeu *Liàm y*, quæ univerſim dicta reddi poſſunt per voces imperfecti & perfecti, quotieſcunque enim duo ſive in eodem genere ſive in eâdem ſpecie, ſive etiam in eâdem re individua ex partibus compoſita

Digitized by Google

sic se habent, ut unum altero ex naturâ suâ perfectius sit, istud perfectius vocant *yâm*, imperfectius autem *yn*; sic in genere syderum sol est *yam*, luna est *yn*; terra est *yn* comparata cum cœlo, quod est *yâm*; in quâlibet animalium specie mas est *yâm*, fœmina est *yn*; inter qualitates calor est *yâm*, frigus est *yn*.

In eodem individuo animali corpus est *yn*, anima est *yâm*, imo in quolibet composito pars crassior est *yn*, tenuior est *yam*, similiter motus est *yâm*, quies est eo *yn*; hinc in *Ly Ky* lib. 7. fol. 29. cœtus interpretum explicando *substantiam montium ac fluminum suis præsidibus instructorum* ait *spiritus, a corporeo ad incorporeum subeundo singula esse ordinata quoad ipsam substantiam*, & fol. seq. subdit *spirituum cœlestium substantia est instar yam, terrestrium autem instar yn, cum in homine sit & substantia yâm ratione animæ, & substantia yn ratione corporis.*

Ista *yn yam*, seu *leàm y*, dividunt iterum in in *su siam*, quatuor imagines, quas appellant; *tay yn*, *xaò yn*, majus & minus imperfectum, *tay yam*, *xaò yam*, majus & minus perfectum. Sed hæc per numeros pares & impares, lineas longiores ac breviores, integras ac fractas sic exponunt, ut implicent potius quam explicent; maxime cum non eodem omnes modo, imò nec unus & idem variis in locis loquantur; atque a Physicis ad moralia de repente desiliant, ubique intrudendo sua illa *yn yam* nec non quinque elementorum virtutes, a quibus suas ipsas quinque virtutes cardinales, vel potius nativam

Digitized by Google

ad illas propensionem derivant.

In *Ly Ky* lib. 6. & 16. *Hominis natura, ex quinque elementorum ratione existit, spiritus ligni est radix pietatis; spiritus metalli, est radix justitiæ; spiritus aquæ est radix prudentiæ; spiritus ignis est radix urbanitatis seu officiorum; spiritus terræ, est radix fidelitatis.* Quinque virtutibus totidem fœlicitates adjungunt; & juxta eumdem elementorum numerum, quinque voces, quinque sapores, quinque colores recensentur in *Ly Ky* lib. 7. fol. 17.

Illæ quatuor imagines seu quatuor magis & minùs perfecta & imperfecta, quæ sic abstracta non consistunt extra mentem, in quâ velut imagines intellectuales depictæ sunt) illæ, inquam, ex se emittunt *pa qua* octo figuras, species nimirum, sed sensibiles illius totius purè methaphysici quatuor imaginum, quod subdividitur in partes physicas simul ac metaphysicas octo suprà enumeratas.

Itaque quatuor imagines sunt in solo intellectu eas abstractas efformante, dum sibi magis ac minùs perfectum & imperfectum repræsentat: at octo figuræ suam quæque propriam sensibilem figuram obtinent, quæ intellectui ac sensibus objiciantur. Quatuor ex illis figuris sunt superiora quædam, & nativis qualitatibus sursùm suo impetu ordinata tendunt vel consistunt; nempe cœlum syderibus omnibus instructum, tum ignis, exin tonitrua seu locus proprius plenusque exhalationum & vaporum, quæ sursum elata in ignita corpora, calida nimirum & ficca accenduntur, quorum apta materies sunt, succe-

Digitized by Google

dunt venti, seu regio ventorum, qui excitantantur ex materiâ aliquanto minoris siccitatis & caloris, quæ tamen sufficiunt, ut cum levitate sursum ipsos impellente connectantur exhalationibus & vaporibus, de quibus Sinæ non ignorant esse tenuiores partes decerptas ex terraqueo globo vel potius quadrato juxta veterum Sinarum opinionem: atque hac in mole duas præcipuè substantias attendunt, terram videlicet, atque aquam in unum totum conflatas, ac præterea extantes multas terræ partes, dictas montes, ac velut exundantes aquarum congeriei partes, è visceribus præsertim montium erumpentes in flumina, lacus, fontes, unâ quasi communi voce *aquas montium chuen* appellant.

Ista verò octo in orbem ita disponunt, ut quatuor præcipua in punctis quatuor velut cardinalibus collocent. Cernitur cœlum in suprema delineati circuli parte, quam meridionalem statuunt ob summam solis altitudinem supra horisontem medio die, terra stat ex adverso in oppositâ, velut infima circuli parte, quæ Septentrio sit: ignis in Orientali; è regione aquæ dispositæ in Occidentali, quod nempe terra a cœlo in suo naturali situ longissimè distet, atque ignis aquæ secundum nativas suas qualitates maximè adversetur. Aliæ quatuor figuræ cum sint velut exuperantes terræ & aquæ partes ad latera transversæ sic inseruntur, ut tonitrua (quæ tenuiorum terræ partium exuperantium plus habent) partibus terræ eminentibus, quæ sunt montes opponantur, venti verò (qui

Digitized by Google

vaporum ex aquâ eductorum amplius ſecum trahunt) aquis montium pariter opponantur, ſuperiore, ſeu propiùs ad cœlum accedente loco tonitrubus ac ventis hinc inde conceſſo, eò quod ex ſubtilioribus adeoque levioribus ac præſtantioribus terræ & aquæ partibus exuperantibus conſtent, quam montes ipſi ac flumina quæ deorſum ſuapte pondere connituntur.

Ejuſmodi Phyſica pluribus nunc perſequi inſtituti mei ratio non patitur, pauca hæc omittere non ſiverunt ſparſæ ab uno ex oppoſitoribus aliquot propoſitiones, quæ lectorem iſtius Philoſophiæ Sinicæ penitùs ignarum percellere forſitan potuiſſent.

Cæterùm quæ de perſpectâ veteribus Sinis Dei ac ſpirituum ſeu angelorum exiſtentiâ, atque de animæ immortalitate a me dicta vel deinceps dicenda ſunt, quamvis planè aſſertivè more diſputantium ſcholaſticorum adducantur, non ſic accipias, velim, quaſi ea pro certiſſimis atque indubitatis habeam ac pronuntiem; abundè mihi ſatisfactum putem, ſi majoris probabilitatis vim obtineant cujus ipſius expetendæ propoſita argumenta prudens lector ponderabit. Quid quod æqua, ne dicam aliquantò minor probabilitas ſatis ſuperque foret ad inſtitutum meum ad iſtud certè, minimè neceſſaria eſt ingens ille præſidum rebus ſpirituum numerus, & Sinica inter ipſos officiorum diſtributio, quæ nullatenus ego probanda ſuſcipio.

Id duntaxat pugno quod cum veteres Sinæ multitudinem agnoverint ſpirituum, quorum

Digitized by Google

alii amplioris velut ditionis ac poteſtatis eſſent, alii autem arctioris, ac poſitæ intra limites ditionis ſpiritus ſuperioris ſeu univerſalioris, iſtud profectò imputari non poteſt reali ac merè naturali rerum corporearum virtuti; hæc namque duplex & reapſe diſtincta, generalis altera, & altera particularis rebus iiſdem ineſſe nequit, quod tamen neceſſe foret; ſiquidem ſpiritus terræ totius, cui unus Imperator ſolemniter offerre audeat, millies celebratur ſive idem ille ſit cum ipſo cœli ſpiritu, ſeu ſupremo Imperatore, ſive ab eo diſtinctus, ipſique ſubjectus: inſuper autem variis Imperii provinciis ſeu regnis ac minoribus terræ portionibus ſui ſunt peculiares terræ, ſpiritus, quibus non modó principes, ſed & magiſtratus, vel privati etiam homines pro ſuo quiſque gradu piè offerre valeant. Ipſe *chu cu* in *Ly Ky tà civen* lib. 5. fol. 35. diſertè agnoſcit *unum quemdam in quolibet regno præſidem ſpiritum, cui princeps frequenter offerat ne multiplici crebrâque tot minoribus ac veluti particularibus ejuſdem regni terræque ſpiritibus facta oblatione, plus quam par eſt fatigetur.*

Digitized by Google

CAPUT III.

De objectio formali pietatis Sinicæ, præsertim in oblationibus.

Origo diversitatis rituum Sinicorum à ritibus cæterarum gentium.

HOmines in temeritatis & arrogantiæ pœnam dispersos per totius orbis deserta & speluncas, ita rationis lumen à natura inditum occulto quodam vinculo inter se omnes ubique terrarum colligavit, ut maximam eorum partem ab antris ac solitudinibus ad urbes ac societatem revocarit. Qui Europam universam, præcipuas Africæ oras, & majorem Asiæ partem occuparunt, mutuis ob locorum vicinitatem itinerumque opportunitatem commerciis ad pristinam in plerisque unionem non longo post intervallo rediere, atque ex ipsis bellicis dissidiis sin minus enata fuit concordia, consuetudinum certè ac legum reciproca notitia, & conspiratio quædam prodiit in multis, de quibus inter se convenerunt, sicut ipsa quandoque morum diversitas utrinque perspecta aut mutuo inducta consensu non parvam inter illos officiorum communionem aut affinitatem vel ipsa dissimilitudine similis pepererit. Dum quisque aliena sibi minùs probata sic

Digitized by Google

respuebat, ut cujusmodi essent illa, utrique perviderent.

Verum qui ex Noe posteris in hac extremâ Asiâ sedem fixere, eam nacti sunt regionem quæ omnia ad vitam lautissimè transigendam necessaria ob soli ubertatem & amplitudinem cum cœli clementiâ cunjunctam affatim suppeditaret, hinc vastissimo mari, inde abruptis montium jugis a reliquis sejuncti mortalibus circumjectos tam in insulis quam intra colles vallesque populos pro barbaris ac suæ ditioni a naturâ ipsâ subjectis habuerint, quos suis úndequaque legibus ac moribus ipsi in meditullio velut Paradiso, *chum hoa*, positi subactos ac mansuefactos temperarent nobilissimas gentes longissimis ac difficillimis itineribus a se dissitas adeò nescierunt, ut orbem universum Imperii sui limitibus circum scriberent.

Istius Monarchiæ fundamenta jecit *fo hy* annò post diluvium 275. tùm verò *yaò* & *xùn* sexcentis circiter post annis extremam veluti manum imposuerunt eâ ferè vivendi regnandique regulâ, quæ ad hæc usque tempora paucis subinde immutatis perstat. Ex quo evenit ut exteræ consuetudinis ignari prorsùs aut contemptores suam unam aliis, si quæ forte latitarent, normam fore existimarint nullum cum reliquis sibi ignotis gentibus commune jus habuerint, nisi quod lumen a natura cunctis pariter infusum idem omnibus, utrisque tamen insciis indixisset, sicque istos potiori jure quam Britannos toto divisos orbe vocare liceat. Quare mirum nemini meritò

Digitized by Google

ritò videatur, si ex iis quæ non vis nativi luminis, sed humana institutio invexit, multa in Sinis plerumque diversa à nostris & cum illis quandoque pugnantia appareant.

NUMERUS I.

De Pilei usu ad reverentiam inter Sinas.

CElebre inter cætera neque omninò tacendum istud est, quod caput tam religiosè ad urbanitatem tegant Sinæ, quod nos nudamus. Quod ad cultum spectat, idem fermè Asiatici ac præcipuè Sinæ statuerunt de pileo, quod nos una cum ipsis de calceis & exteriori veste judicamus, hæc quippe totius corporis ac pedum, illud autem capitis integumentum est atque ornamentum; eâ re uti nos coram alio honore digno vestem exteriorem induimus, non exuimus ad honorem ipsi exhibendum, ita Sinæ pileum capiti imponunt, non deponunt ad venerationem alteri, sive cœliti, sive mortali deferendam, adeò ut quilibet non infimæ sortis homo, coram superiore, sine pileo comparere non audeat, coram æquali verò caput non aperiat, nisi petitâ prius veniâ ac licentiâ, quâ ipsâ sibi datâ utatur eâ tantum lege, ut qui illam concessit, idem æstus lenimen demisso quoque pileo capiat, atque ipsosmet Tartaros quantumvis commodi præ urbanitate studiosos puduit aliquod amplius de illâ pilei reverentiâ, domitis ac propriâ veste spoliatis

Digitized by Google

Sinis detrahere. Siquidem *pileus* ex libro 3. offic. est *omnis planè*, tam civilis quam religiosæ *reverentiæ initium*, ac velut basis, quæ si desit, ne ad mutuas quidem salutationes, passim inter obvios, ac notos usitatas, multò minùs ad majoris urbanitatis exquisita officia devenire liceat uti disertè asserit *Su mà* in *quon ly* fol. 26. præmiserat *ven cum* fol. 14. *pileus est id quo omnes æstimant perfecti viri officia*; ulteriùs progreditur *cham cù* fol. 27. *pilei officiis sublatis toto orbe non exstitit vir*; *sine pileo viri partes expleri nequeunt*: unde antè annum ætatis 15. aut etiam 20. *chu cú* pileum gestare nefas. Bonzii verò suæ superstitiosæ sodalitati aggregatis usum pilei non ante concedunt, quam certos quasi Bonzaicæ puritiæ annos excesserint. Ex quo in *cay* fol. 11. scribitur, *pileus est officiorum principium, hoc absolvitur homo, qui ad officia præstanda deligi possit, adeoque ad functiones filii, fratris, subditi, inferioris quasi famuli, quæ sunt obedientia, charitas, fidelitas, subjectio, quibus positis tunc potest existere homo.* Atque interpres in *Ly Ky ta ciuen* lib. 5. fol. 71. Hanc rationem reddit *ob quam in describendo sacrificiorum apparatu, sæpe textus non faciat mentionem vestium, quæ certè non desunt, pileus autem semper referatur, quod nempe pileus si capiti fuerit impositus, sit eximiæ venerationis argumentum & insigne.*

Caput nemo prorsùs aperit ad venerationem, sed reis quandoque detrahitur pileus ad pœnam & dedecus ubi quis ob gravius crimen comprehensus est, catenæ collo manibusque inseruntur, antequam sistatur judici;

Digitized by Google

si nullius notæ homo fuerit, sine pileo quoque incedere cogitur, injectæ catenæ, ademptam saltem ad tempus libertatem, exemptus pileus sublatam pariter exercendorum urbanitatis officiorum protestatem indicant, quo fit ut gravissimi viri non tantopere a catenis quasi minoris infamiæ notâ se expedire satagant; verum in nudati capitis probro, cum illis ut plurimùm dispensetur, donec ferenda sit mortis sententia & procedendum ad patibulum per plateas, per quas nullus opinor non intelligit raptari sontem absque pileo, non ad honorem astantium, sed ad nocentis infamiam, quam nobiliores tam vehementer exhorrent, ut multis nummorum millibus eam nonnulli redimere non vereantur, non secùs ac libenter apud nos illi factitarent, qui solo indusio permisso ac nudis pedibus sine exteriori veste ad supplicii locum deducuntur, usque adeò pilei depositio inter Sinas ad castigationem rei, non ad venerationem judicis pertinet.

Certè quidem cum nihil externæ reverentiæ omittant Sinæ ergà Imperatorem & superos, quos in templis colunt, illius reverentiæ partibus absque pileo capiti imposito palam defungi prorsùs insolens ac nefas dicunt, ex quo effectum est ut de summi pontificis licentiâ ad mutandas latini ritus cærimonias, juxtà quas hîc sacris operamur, requisitâ, hujus missionis sacerdotes accommodatum utcumque sacrificii majestati pileum celebrando gestent, ad majorem supremi numinis ex gentis usu venerationem. Neque antiquiores

Digitized by Google

Patres siverunt neophytos templum ac multò minùs sacrum sine pileo frequentare, ne plurimum de debitâ erga Deum reverentiâ remittere viderentur, præsertim Ethnicis, quibus nunc fores occludi non possunt ad evitandam clandestinorum conventiculorum suspicionem, cum aliunde in mentem venire nequeat hominibus Europæa misteria nondum edoctis, Sinico habitu utentes abjicere pileum, nisi ad captandam, ut solent frigidioris auræ relaxationem, quam divinæ reverentiæ anteponant: attamen ut aliquid Romanæ etiam civili consuetudini daretur, quoad divinus ferret honos, accommodatè ad gentis captum & mentem signis externis expressam, satius visum est, sapientissimis hujusce Missionis fundatoribus, qui pontificium de Sinici pilei usu inter sacra faciendum placitum necdum acceperant, ut Neophytis dum peccata deponunt, pilei demissio indiceretur, velut spontanea sui ipsius accusatoris ac rei dejectio & pœna, non quidem ad Dei venerationem, ad quam inter Sinas rectà non tendit, sed ad summam, sui ipsius coram Deo depressionem in anticipatam delictorum castigationem, instabant ut id ipsum ex heroico humilitatis sensu observaretur, dum sacram synaxim percipiebant, quoniam privatim tunc fiebat, Europæam hac in parte consuetudinem nonnulli amplexi sunt, alii respuerunt pro vario quisque pietatis affectu, quo ducebantur vel Dei ut infinitis in se perfectionibus emicat, colendi vel sui ipsius coram divino tribunali humillimè abjiciendi.

Digitized by Google

Equidem honor ex philoſopho eſt teſtimonium virtutis, quæ nempe reſideat in eo, cui honos defertur. At ſi cujus divinæ virtutis indirecta teſtificatio eſt hæc pilei depoſitio, non alterius ſanè inter Sinas, quam juſtitiæ vindicativæ quæ ſceleratos plectit. Demus itaque per ipſam coli Deum, ut juſtum vindicem; perbellè: verùm ubi tandem honorifica teſtificatio debita ſupremo cœli ac terræ Monarchæ a ſubditis, præpotenti Domino a ſervis, magnificentiſſimo benefactori a clientibus, obſervantiſſimo parenti a filiis? ergo ne par erit Chriſticolas in templis, abjectâ ſimul cum pileo auguſtiſſimorum ac ſuaviſſimorum titulorum externa veneratione, in ſolâ ſemper tremendi judicis contemplatione quoad exteriorem cultum defixos hærere? ſi exterior dejectionis habitus tantopere arridet ac præponderare debet, quidni catenis quoque oneratos, abjectis calceis ac veſtibus neophytos ſacro intereſſe mandamus, ut pædore obſiti melius ad humilitatem ex Europeo ſimul ac Sinico ſenſu componantur? iſtud nimirum eſt ſpontanea animi demiſſio ac dejectio, externa quidem, quò profundior eſt, hoc Deo acceptior accidit, externa verò niſi cum decoro conjuncta ſit, honeſtæ mediocritatis limites excedit, ſicque virtutis nomen non meretur. Quid in cultu corporis deceat, ex gentis æſtimatione pendet, ſui cuique ſunt non incongrui mores, ſuaque prudentia, quæ exterus homo, irrito conatu evertere nitatur, niſi peculiaris cujuſdam afflatus aut rationis occaſiones admodum raræ

Digitized by Google

ſuadeant nitori ſquallorem & mundiciei ſordes corporis ad miram quamdam animæ pulchritudinem eſſe præferenda; pedum ſanè ac totius corporis lautitia quædam & ornatus honeſtum virum meliùs ſapere & decere Europæis juxta ac Sinis videtur; id ipſum de capite Sinæ cenſent, Europæi non item; apud iſtos depoſitio, apud illos geſtatio pilei, honoris eſt non conſummatio, ſed inchoatio; non faſtigium, ſed fundamentum, quod ſi rite jeceris, *eo altiùs reverentiæ moles cum parietibus ac tecto ſurget, firmiùſque ſtabit*, ut hîc utar metaphorâ ac verbis *ça y*, fol. 12. Quò profundiùs decentiùſque deprimetur. His initiis a capite ductis, cœpta veneratio inter Sinas gradum ſternit ad modeſtam manuum collectis ac non nihil implexis digitis incurvationem, pergit ad inclinationem totius corporis, progreditur ad inflexionem utriuſque poplitis, demiſſiſſimâ in terram proſtratione perficitur, ac demum eodem ex quo cœpit, capite cooperto ter quaterque ſolum fronte percutiendo abſolvitur; qui hæc omnia, nullo prorsùs dempto, ſacri tempore identidem, ut ſolent peregerit, in eâ toga ac pileo, quæ Sinica cum ſint, Sinicæ reverentiæ externæ, regulam ac media idonea declarant, is enimverò coram Ethnicis ipſis pronunciare auſit, ſe Auguſtiſſimum ſacramentum ſummâ veneratione proſequi, neque ullus opinor in rebus Sinicis mediocriter verſatus etiam Europæus quidquam deſiderari conqueratur ad venerationem, non mendici aut facinoroſi, ſed probi & honeſtioris viri in modum exhibitam.

Digitized by Google

Utra ad publicum & ſolemnem Dei cultum præſtet, tantamque majeſtatem coram univerſa apud quam degimus gente, ampliùs extollat, æquus ſtatuat rerum æſtimator, cujuſcunque tandem ille nationis ſit atque indolis, modò præjudicati nihil ad cauſam afferat. Etenim cum honor uti ſuprà ex philoſopho ſumpſimus, ſit teſtimonium alterius virtuti redditum, eò major ampliorque futurus eſt ergà Deum honos, quo teſtimonium divinæ excellentiæ apud plures redditur; at iſtud inter Sinas præſtabit geſtatio pilei, apud Ethnicos pariter & fideles, utroſque nimirum gentilitiæ reverentiæ gnaros; Depoſitio verò pilei coram ſolis fidelibus illius myſtici cultûs peritis debitam ſupremæ virtuti teſtificationem perſolvet, quam eo ipſo tempore atque habitu coram infidelibus ex patrio quod ſolum norunt, inſtituto, rem metientibus denegabit; pars toti & anguſtiæ amplitudini cedant neceſſe eſt.

Quamquam quis externo illo colendi Dei ritu inter eos uti audeat, in quorum maximæ partis, quæ profecto Ethnicorum eſt, conſpectu contemnendi potius numinis Signum habeatur, præſertim cum inviolata Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo reclamet, iſta in hoc ipſo pilei uſu oppoſitos externâ ſpecie tenùs, ſed ejuſdem reverentiæ interioris ex æquo indices ritus, ſuâ univerſalitate complectitur, cum hinc latini ſacerdotes nudo capite, indè cooperto Armenii, Maronitæ & Græci Eccleſiæ Catholicæ in Concilio Florentino aggregati celebrent in oculis ſummi Pontificis, qui utrorum-

Digitized by Google

que eamdem esse Dei summâ cum reverentiâ etiam externâ, ex proprio gentis habitu, venerandi voluntatem novit ac probat. Verùm admodum dubito an probaturus esset nudationem illam capitis inter sacra facienda, participanda, audienda in Sinis quos inter aliam venerandi numinis rationem obtinere nemo dixerit, præter eam quæ reo addicta est; hanc enim rei seu facinorosi rationem si secludas, depositionem pilei coram aliquo defectum honoris, non autem exhibitionem ergà ipsum inter Sinas præferre, lyppis atque tonsoribus notum est. Aliunde verò Ecclesia Catholica nullibi gentium, externum rei cultum, quippe coram hominibus ignominiosum quicunque demum is est ex cujuslibet gentis usu, suis imposuit, quo tempore sacrorum participes aut etiam spectatores intra templi septa adessent, imò qui reorum habitum externum ob enormia scelera olim induebant publici pœnitentes, ij missæ tempore templi aditu intercludebantur; neque ad interiores fidelium synaxes, multò minùs ad sacras epulas sine veste etiam externâ nuptiali admittebantur; uti constat ex epistolis Hieronymi, Augustini, & Optati Milevitani. Ecquis autem nostrûm hâc doctrinâ imbutus fideles tum in Europâ, cum in Asiâ non crebrò hortatus est, ut cum perfectâ munditie animi, mediocrem splendorem corporis pro suo quisque statu ad absolutam suis omnibus numeris augustissimi venerationem mysterii conjungerent. Hanc quasi digressionem amicus lector condonabit, quam integrum oppositoris opusculum

ea

Digitized by Google

ea de re conſcriptum vel ab invito extorſit.

NUMERUS II.

De ſuffituum vel etiam candelarum uſu ad honorem.

ALiud eſt non minùs neceſſarium de odoribus qui cremantur, vel etiam cereis qui accenduntur coram aliquo, honoris causâ, apud nos religioſi cultus perappoſita ſigna ſunt, cum exhalantes odoriferi vapores, flamina luxque ſursùm ad ſuperos evolare videantur, quaſi illius qui ea emittit geſtura vices, piamque per ſemetipſum abſentis clientis mentem cœlitibus coram denuntiatura, nihilo ſeciùs ad politicum illum cultum in Sinis uſui eſſe patet incedenti per plateas, in quibus frequenter ardere cernuntur ejuſmodi luminaria ac ſuffitibus immenſis velut altaribus non modò coram hominum vivorum ſtatuis, ſed etiam coram ipſis ſeu adventantibus, ſeu diſcedentibus præfectis ſibi cariſſimis & colendiſſimis expoſita, nec opus eſt aliò confugere, cùm hìc adſint aliquot è Patribus, quos viri graves amiciſſimi præforibus ædium ſuarum ejuſmodi ſuffitibus accenſis inſtructi præſtolarentur & exciperent, adeò politicæ ſed ſingularis inter Sinas venerationis iſta quoque ſunt argumenta.

Digitized by Google

NUMERUS III.

De corporis inclinatione ad reverentiam.

EAdem, imò potior ratio profundissimarum illarum corporis prostrationum, & capitis percussionum, quas paulò ante retulimus, quibusque nihil frequentius inter famulos coram heris, discipulos coram magistris, filios coram parentibus. Recens testis esto P. Viceprovincialis Felicianus Pachecus, qui nuper à præcipuis hujus Cantonensis Metropoleos coactis Magistratibus accitus ad interpretandas Regis Lusitaniæ litteras ad Sinarum Imperatorem, epistolam conspexit in ornatissimâ mensâ collocatam suffitus inter & cereos accensos, neque thecam, in quâ inclusæ erant epistolæ attingere quisquam ante est ausus, quàm quaternâ corporis inclinatione & capitis percussione humi afflictus ipsas veneratus fuisset. Ne igitur Europæus homo externâ actione ad cultum adhibitâ perturbetur, sed cujus illa cultûs interni Sinas inter, sit protestativa priùs investiget; quo de genere cultûs externi sit, religiosi an politici, vel sanè ad utrumque ex instituto Sinico indifferentis, & ad alterutrum determinandi ex variis circunstantiis, aut ex operantis intentione.

Digitized by Google

NUMERUS IV.

Duplex cultus, alter peregrinus, alter avitus.

COeterùm aliud in Sinico cultu discrimen sedulò observandum, cùm enim Sinica religio universim, uti capite superiore diximus, duplex sit, alia idololatrarum ab Indiis asportata, sicque peregrina, alia priscis Sinis quasi agnata, adeoque avita, hinc & cultus pius ac præsertim religiosus duplex distingui potest, alter peregrinus idololatricarum sectarum proprius, alter avitus ab antiquis inductus Sinis, & ad posteros transmissus. De utroque nobis agendum ut politicas civilesque actiones à religiosis, & religiosas inter, eas quæ verè ab iis quæ falsæ religionis cultus sunt, discernere valeamus; quod perfectè præstari nequit nisi prius objectum ac rationem formalem consideremus, à quâ moralis quælibet actio suam quasi substantiam speciemque desumit; deinde verò circumstantias illas inspiciamus, quæ ad moralitatem præsertim malitiæ pertinent, cùm bonum sit ex integrâ causâ, malum autem ex singulis defectibus.

Digitized by Google

NUMERUS V.

Cultus modernorum ſpirituum eſt per ſe idololatricus.

DIco primò, quoſcunque cultus in Sinis exhibitos ei, de quo conſtet, quod pro moderno ſpiritu, paſſim ab omnibus habeatur, eſſe ſuperſtitioſos per ſe & idololatricos, adeoque planè & univerſis inter Sinas degentibus illicitos.

Probatur. Ille omnis cultus externus eſt idololatricus per ſe in aliqua regione, qui in eadem eſt proteſtativus cultûs interni idolatrici ex communi inſtitutione: atqui omnis cultus externus modernis ſpiritibus exhibitus in Sinis, eſt inter ipſos Sinas proteſtativus idololatriæ internæ ex ſufficienti inſtitutione; ergo eſt per ſe idololatricus & omnino illicitus.

Probatur minor. Cultus exhibitus tanquam voluntas honorandi alicujus propter divinam intrinſecam perfectionem, quæ illis ineſſe fingitur, eſt interna idololatria ex cap. 1. Atqui omnis cultus externus ſpiritui moderno exhibitus in Sinis quicumque demum ille ſit, eſt proteſtativus ex inſtitutione & conceptu communi hominum, ejuſmodi voluntatis, qui enim pro numine paſſim habetur, honorari ſupponitur paſſim ab eis, qui ipſum ut numen cognoſcunt, propter divinas perfectiones, non autem propter alias duntaxat, quæ nempe nullius momenti cen-

Digitized by Google

sentur præ divinis, quæ cœteras in se eminentiori modo continent, ac velut absorbent, ut fusiùs dictum est cap. 1. prænot. 10.

Quocircà si quis invincibiliter nesciens aliquem ex istis spiritibus modernis qui maximam partem insignes olim fuere viri pro numine haberi, illum iis honoribus prosequeretur, qui deferri solent aliis insignibus viris nequaquam inter Deos relatis, iste forsan ob ignorantiam non admitteret idololatriam nisi materialem, quæ à culpâ excusaretur, sed hoc non impedit quominus cultus ab eo exhibitus de se sit idololatricus.

Dixi in assertione, *de quo constat quod pro moderno spiritu habeatur*, nam si ab aliquibus etiam multis de plebe tantùm, non autem ab omnibus passim pro numine haberetur, error illorum non sufficeret ad malitiam idololatriæ tribuendam ei cultui, cui non competit nisi ratione talis objecti, de quo moraliter constet quod passim pro divino habeatur. Quomodo tamen in ejusmodi dubio, ab ipsâ quasi dubiâ idololatria, saltem ratione scandali aut periculi internæ idololatriæ incurrendæ fugiendum sit, alibi tradetur.

Digitized by Google

NUMERUS VI.

Cultus peregrinus bonis ſpiritibus exhiberi nequit in Sinis abſque ſuperſtitione.

DIco 2°. Cultus juxta peregrinum ritum ſuperſtitioſum exhibitos gentilibus ſpiritibus, ipſique Deo de ſe ſuperſtitioſos eſſe.

Probatur. Tum quia quæ actiones de ſe ſunt ſuperſtitioſæ, tametſi in divinum cultum extrinſecùs ordinentur, non amittunt ſuam intrinſecam ſuperſtitionem, quam exuere in eâ regione non poſſunt, in quâ pro ſuperſtitioſis ſeu proteſtativis internæ ſuperſtitionis uſurpantur abſque alio publico ipſarum uſu non malo, tum quia ejuſmodi actio, eſt ſuperſtitioſus Dei v. g. vel angeli cultus cum per ſe ſit honorativa Dei vel angeli modo indebito & inepto ad ipſos honorandos, ſiquidem actio in aliquâ regione de ſe ſuperſtitioſa, & nullâ publicâ authoritate cohoneſtata, ac velut expurgata non eſt accommodata ad debitum Deo vel Angelis cultum exhibendum, ergo ſaltem erit ſuperſtitioſa in modo. Imò duplicem ſuperſtitionem continebit, unam quidem ſibi antecedenter intrinſecam ex proprio objecto malo quod reſpicit, aliam ex indecenti modo, quo in terminum bonum malè fertur, ſcilicet Angelum quaſi Dominum vitæ ac necis, tum ra-

Digitized by Google

tione modi quo religiosè colit per mactationem animalium in lege gratiæ prohibitam.

Nec dicas cultus illos in Sinis superstitiosos duntaxat esse respectu eorum qui sectam peregrinam profitentur, non autem respectu aliorum, qui religioni avitæ affixi hærent. Etenim cum illæ actiones ritu peregrino fiant, qui est proprius sectæ superstitiosæ, ut ab avita distinguitur, quisquis illo ritu istiusmodi actiones edit, hoc ipso talem sectam aliquatenùs profitetur operibus illius sectæ propriis, tâmetsi verbis atque aliis etiam actionibus avito ritu peractis aliud declarare videatur, siquidem iis operibus istud ad summum assequetur, ut religionis utriusque sectatorem se prodat, nam omnes actiones per se religiosæ, & ut tales in aliquâ regione cognitæ inibi sunt per se protestativæ illius religionis, cujus propriæ sunt; quippe aptæ sunt ut circumstantes deducant in cognitionem, quod is qui ipsas edit ejusmodi sectæ nomen dederit, cùm ab alterius sectæ hominibus ad religiosum cultum non soleant adhiberi; aliàs communes essent utriusque sectæ, & non unius alicujus propriæ actiones.

Digitized by Google

NUMERUS VII.

Quid sit tò cì *Sinicum vulgò sacrificii nomine expressum?*

IAm verò potissima difficultas est de cultu exhibito per honorificas quasdam oblationes in Sinis frequentissimas, quas universim & secundum genus omnibus commune designant voce *cy* quam defectu vocis ejusdem planè significationis, vocabularia Europæo-Sinica ab antiquioribus Patribus elaborata latinè reddiderunt *sacrificium*: Istud ita nonnulli arripuerunt, quasi *Tò cy* Sinicum esset strictum ac propriè dictum sacrificium, quod si ita foret nulli planè Christiano cultum etiam politicum mortuis exhibere liceret. Cùm enim ex primo assert. & ex prænot. 10. cap. 1. Nullus cultus exhiberi possit in aliquâ regione, ei qui in illa pro Deo habetur; is verò omnis pro Deo habeatur, cui sacrificatur, uti cap. 2. probatum est, Sinæ qui mortuis omnibus illas oblationes exhibent quæ supponuntur esse stricta sacrificia omnes mortuos pro diis habent, adeoque nullo cultu etiam aliàs politico prosequi sine flagitio possunt, cujus tamen consequentis falsitatem superiori capite demonstratam, nemo non videt: nos autem vitandæ perturbationis causâ *tò cy* Sinicum in genere honorificam vel piam oblationem appellabimus sacrificii verò nomine, sacrificium strictè sumptum designabimus.

Digitized by Google

signabimus. Atque ut a notioribus secundum nos & per cognitionem distinctam juxta Philosophiæ præscriptum assurgamus ad notiora secundum se præcipuè piarum oblationum species inspiciendæ sunt, ex quibus perspectis de illarum genere, quod est pia seu honorifica oblatio ut sic, certiùs statuatur.

At revoca prius in memoriam ex cap. 1. prænot. 2. honorem seu cultum esse testimonium virtutis, adeoque & præmium eidem virtuti debitum, ex aliquâ quidem justitia distributivâ, si superior honoret inferiorem, uti est quæstio, vel aliquomodo ex justitiâ commutativâ, si quis æqualem aut superiorem veneretur; honor superiori debetur cum aliqua subjectione proportionatâ virtuti & excellentiæ, ob quam personæ illi superiori debita est testificatio atque subjectio, atque ejusmodi testificatio vel fit tantummodò per verba honorifica, ac laudes, vel per alias corporis actiones. Quæ aliquando in gestu & corporis compositione sistunt, ut salutationes; aliquando verò ne inanis quædam & vacua testificatio videatur, hæc præstatur per actiones quæ importent, constituantve alicujus rei traditionem, sive res tradita sit moralis, ut officium & dignitas, sive etiam physica, uti contingit dum munus offertur. Nam oblatio est traditio rei oblatæ & cessio juris quod offerens habebat in re, quodque quantum in se est, transfert in eum cui rem offert, hic autem per istiusmodi traditionem cum suâ acceptatione conjunctam,

oblati muneris dominium acquirit. Sinæ itaque mortales inter omnes officiosissimi, quique jactant in secundo prologo *Kia Ly*, *officiorum rationem esse*, *id quo Sinæ a barbaris & homines a brutis differunt*; Sinæ inquam ne ipsorum officia inania videantur, si solis verbis & externâ corporis habitudine constent, frequentissimè res adjungunt, & munera quæ offerant loco cordis & sinceri affectus, quem per hæc oblata innotescere & offerri quoque velint: Hæc munera duplicis sunt generis, alia merè honorifica; que solummodò cedant in illius honorem cui offeruntur, uti patet in oblationibus Deo factis; alia honorifica simul & commoda sunt, ex quibus nempe is cui offeruntur aliquid etiam utilitatis percipiat, uti contingit in muneribus, quibus homines se mutuò venerantur. Oblationes primi generis longe nobiliores altioresque sunt, utpote quibus offerens profiteatur se quasi inutilem ei cui venerationis duntaxat causâ offert; *atque hunc suum animum affectumque, aut etiam cor effectuum omnium radicem, cum tradere non liceat sensibiliter, & unicum multis, loco illius substituuntur res externæ oblatæ, tanquam signa internæ oblationis, quæ fit quasi debita ei cui offertur.*

Hinc vocabularium majus *çú guey* dictum, ita explicat *tò cy* seu oblationem honorificam. *Est examinis summum seu apex, homines quippe ad summum obsequii dum pervenerunt, tunc offerunt cy*, quia nempe ut diximus honos per oblationem rerum exhibitus longè solidior ac præstantior est, quam qui verbis, aut alio

Digitized by Google

duntaxat rerum vacuo cultu defertur. Quam in rem de ſacrificio quod eſt ejuſmodi oblationum præcipua ſpecies ut poſtea conſtabit, recte ſcripſit D. Thomas 3. part. q. 82. a. 9. *Exterius ſacrificium quod offertur ſignum eſt interioris ſacrificii, quo quis ſeipſum offert Deo.* Verum cum iſtiuſmodi honorifica oblatio fiat in ſignum internæ oblationis quaſi debitæ ei cui fit ob virtutem, perfectionem & eminentiam quamdam, quæ in eo recognoſcitur, cuique ſe ſubjicere poteſt, in eo cardo difficultatis vertitur ut ſtatuatur utrum virtus illa ſit terminus formalis religioſi, aut etiam latrici cultus, qui per ſacrificium propriè dictum præſtantiſſimè defertur.

NUMERUS VIII.

Peregrino ritu peractæ oblationes honorificæ multæ, ſunt ſtrictè ſacrificia in Sinis.

Dico 3°. Aliquas oblationes honorificas Sinicas ex iis quæ ſpectatis omnibus circunſtantiis ritu peregrino peraguntur, eſſe ſtricta ſacrificia.

Probatur: illæ oblationes ſunt ſtrictè ſacrificia, quæ ex hominum inſtitutione ſunt oblationes proteſtativæ ſubjectionis & cultus interni Deo debiti, ut primo principio aut certè Domino vitæ ac necis, idque per deſtructionem rei oblatæ, nullus enim Theologorum amplius exigit quidquam, ad eſſen-

Digitized by Google

tiam ſacrificii, proptereaque Idololatrarum oblationes cum victimarum mactatione coram idolis ſunt ſtricta ſacrificia: Atqui multæ ſunt ejuſmodi oblationes in Sinis ritu peregrino peractæ, ut patet accedenti ad Bonziorum fana, in quibus coram idolis jugulantur galli gallinacei, aliæque aves, effuſum in terra vinum libatur in honorem Idoli; cultus autem hic exhibetur juxta ritum peregrinum, inſtitutionemque Indicam, juxta quam non minus illic quam in reliquis occidentalibus partibus eſt proteſtativus ſubjectionis ac reverentiæ, tanquam numini debitæ. Neque refert quod intra Sinas peragatur, ita namque præſtatur inter Sinas, ut omnes intelligant juxta vim ſignificandi moremque Indicum, non autem Sinarum proprium exerceri, cui ſignificationi implicitus tacituſque omnium ac principis ipſius conſenſus ſufficientem vim confert.

NUMERUS IX.

Avito ritu peractæ oblationes non ſunt ex genere ſuo ſacrificia, quippe aliquot ex ipſis fiunt hoſpitibus.

Dico 4°. Oblationes Sinicas avito ritu peractas ex ſuo genere non eſſe ſacrificia.

Probatur. Illæ oblationes ex genere ſuo ſacrificia non ſunt, quarum aliquæ non ſunt ſacrificia, quippe genus de ſpeciebus omnibus

Digitized by Google

& individuis prædicari poteſt : Atqui dantur oblationes aliquæ Sinicæ avito ritu peractæ quæ non ſunt ſacrificia, ea nimirum quæ honeſtioribus viris fiunt, dum convivio excipiuntur, in quo ſanè nullus fingat iis omnibus tanquam numinibus ſacrificari, ergo &c.

Ac de honorificis oblationibus erga hoſpites ſcribitur diſertè, lib. 16. de off. Sinicis fol. 27. ubi inter ritus convivii hic diſtincte affertur, *cy cien, cy cièn, kim ly je, oblatio eduliorum, & oblatio vini eſt honoris exhibendi officium ac ritus qui*, (ex ipſo textu & commentatorum expreſſis verbis) *ſit antequam accumbant menſæ, in cujus occidentali parte minus honorificâ, hoſpes prælibat tantillum de oblatâ ſibi carne, tunc in mediâ eâque honoratiori menſæ parte deguſtat aliquid vini, quod in os immittit, non trajicit ad ſtomachum. Eadem præſtantur ab eo, qui hoſpitem invitavit; ſic declarat exceptus hoſpes, ſe invitantis res & urbanitatem plurimi facere, conſtatque convivium præcipuè ad officia urbanitatis & mutui honoris inſtitutum eſſe, non ad ventrem implendum, ſublatis epulis, aliquid cibi ac vini ſumitur iterum, & ad ſtomachum uſque traducitur, ut conſtet non paratum eſſe convivium ad res pretio æſtimabiles, cujuſmodi ſunt cibus & potus, ſibi vindicandas, ſed iſtas præ urbanitate & honore parvi pendi.* Ita diſerte doctores Sinæ....

Additur lib. 4. de offic. fol. 18. *Adventante hoſpite utendum eſt cubitalium cornuum vacca quæ ſciliset mactata, ei ad honorem offeratur cy.* Sed cum multa ex iſtis vix in uſu ampliùs poſita ſint, ad alia uſitatiſſima accedamus, ſic tamen ut has convivales oblationes, ſummæ

Digitized by Google

erga defunctos venerationis, oblationum quasi normam esse meminerimus mitto dicere de cy quod inter celebrandas nuptias peragitur, de quo ex professo agitur lib. 16. off. fol. 18. ad alia transeamus quæ magis propriè pietatis sunt.

NUMERUS X.

Tò cy *mortuorum non est strictè sacrificium.*

DIco quinto pias oblationes Sinicas antiquo gentis ritu ad hæc usque tempora propagato mortuis exhiberi solitas, non esse propriè sacrificia.

Prabatur 1°. Illæ oblationes non sunt propriè sacrificia, quæ non sunt cultus latriæ erga eum cui offerantur; Atqui oblationes Sinicæ mortuorum prisco ritu peractæ non sunt cultus latriæ erga defunctos quibus exhibentur: ergo non sunt propriè sacrificia.

Patet major, tum quia ex divo Thoma, ac cæteris Theologis, sacrificium est præstantissimus cultus latriæ, tum quia ex sancto Augustino libro 10. de civit. cap. 4. *Quis enim sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit*, Atqui exhibitus cultus alicui ut Deo saltem putato, aut ficto, est cultus latriæ; ergo quæ oblatio non est cultus latriæ illa non est sacrificium.

Jam probatur minor, cultus latriæ ei duntaxat exhibetur, qui colitur ut Deus, in hoc

Digitized By Google

enim differt ab omni alio cultu religioso, qui est duliæ vel hyperduliæ, quod latria exhibeatur soli Deo ut personæ cultum latriæ terminanti per se primò cum alii cultus religiosi inferiores exhibeantur aliis personis ut terminantibus ejusmodi cultum propter peculiarem aliquam relationem, quam ita ad Deum obtineant, ut ipsæ non colantur, quasi instructæ aliquâ perfectione Dei propriâ, uti patet in cultu sanctissimæ Deiparæ, & sanctorum : Atqui per pias oblationes Sinicas non coluntur mortui, ut Dii; ergo non defertur illis cultus latriæ. Probatur hæc minor, coluntur per ejusmodi oblationes juxta eorum vim protestativam interioris cultus ex institutione Sinica (quidquid forte sit de errore aut pravâ intentione operantis, a quâ non dependet natura moralis ejusmodi cultus ut patet ex cap. 1.) Atqui ex vi protestativa juxta institutionem Sinicam non coluntur ut Dii quod probatur, tum quia Sinæ instituentes ejusmodi oblationes defunctorum non eos pro diis habuerunt, ex probatis capite superiori, ergo non instituerunt ad eos pro Diis colendos, tum quia Sinæ ex illo suo axiomate, *oportet servire mortuis quasi viventibus*, venerantur mortuos eodem modo ac vivos, vel sanè ut alii interpretantur perinde ac si etiam nunc viverent. At nemo dixerit eos putasse quod vivi omnes essent Dii, vel quod mortui illi si viverent Dii forent. Ergo non instituerunt cœrimonias ad eos pro Diis colendos nec consequenter ad ipsos cultu latriæ, multò minùs præstantissimo cultu la-

Digitized by Google

triæ, qui est sacrificium, observandos.

Probatur 2. Illa oblatio non est ex naturâ suâ morali sacrificium, imò nec cultus latriæ in eo Regno, in quo passim adhibetur ad cultum eorum qui nunc non habentur pro numinibus, nam licet ex antiquâ institutione supponeretur fuisse cultus latriæ, utpote instituta ad cultum eorum quos olim pro numinibus haberent, tamen delata esset vis ipsius institutionis vetustæ per consensum omnium qui nunc adsunt, & illis oblationibus utuntur ad eos colendos, quos neque pro Diis habent neque instar Deorum colere velint neque enim potest oblatio censeri protestativa cultus exhibiti cuipiam tanquam Deo, dum palam profitentur omnes se istum pro Deo non habere: atqui Sinæ jam passim non habent pro Diis eos quibus cultum piarum oblationum exhibent, quæ erat minor probanda, ac per se patere videtur, cum enim nullus sit mortuus, quem omnes affines & amici piis illis oblationibus non observent, quas si quis omitttit pecuniam illarum loco substituit interroga & statim audies, an ullus cujusvis tandem sectæ Sinicæ, respondeat, se mortuum pro Deo habere, & colere, quin imò cum maxima pars regni incolarum sint idololatræ qui ex suâ sectâ arbitrantur se opem ferre posse mortuis, tum eleemosynis ac jejuniis, tum aliis bonis operibus quibus eos liberent a pœnis quas forte patiantur in inferis, ut de aliis ineptis juvandæ defuncti animæ, quibus utuntur modis fileam; certè non eos ut Deos colunt, quibus

Digitized by Google

quibus se potiùs opitulari posse putent, quàm de eorum ope implorandâ solliciti sint, omnes tamen iisdem externis piarum oblationum ritibus utuntur, quos avitæ religionis sectatores olim exhibebant, & nunc constanter adhibent: ergo isti oblationum ritus, jam non sunt protestativi cultus latriæ, quale est sacrificium, de quo disputatur. Ratio ulterior a priori tradetur sequenti assertione.

NUMERUS XI.

Tò Cy *mortuorum non est cultus religiosus.*

DIco sextò. Pias oblationes Sinicas prisco ritu peractas non esse actiones cultûs religiosi, sed merè politici.

Probatur. Quæ oblationes ex suâ institutione fiunt ad colendum aliquem, non propter virtutem aliquatenùs divinam, & quæ naturalem hominis conditionem excedat, sed ob virtutem naturalem merè humanam quæ in eo agnoscatur, illæ non sunt religiosi sed mere politici cultus ex cap. 1. Atqui piæ oblationes mortuorum sunt ejusmodi, institutæ nimirum in Sinis ad colendos parentes, ut principium productionis atque educationis naturale, ut ex authenticis ipsorum libris constat præsertim de officiis, ubi res ex professo tractatur lib. 8. fol. 63. *Piorum filiorum in obsequendo parentibus datur triplex regula, dum*

Digitized by Google

vivunt parentes, tum illos alunt, dum moriuntur; tum illos sepeliunt, officiis sepulturæ peractis. Tum illis pias oblationes exhibent. In sustentatione cernitur placendi & obsequendi studium, in sepulturâ cernitur commiserationis effectus; in piâ oblatione cernitur reverentia, ad quam statuta sunt certa tempora per annum; ad amussim complere has regulas est pii seu obedientis filii absolutum opus.

Hic vides omnia ista officia in eâdem obligationis radice fundari, quæ est paterna virtus, procreatrix gubernatrixque filiorum, & quæ cum in parentibus vivis resideret ejus memoria ac beneficium, post obitum perseverat, nulla mentio virtutis alicujus divinæ, in parentibus post mortem fictæ, & in cujus venerationem piæ oblationes institutæ sint.

Has oblationes ad præterita beneficia generationis recolenda spectare, clariùs aperitur his sequentibus verbis: *Ne obliviscantur eorum a quibus nati sunt.* Et infra. *Ideò filii dum se impendunt suorum venerationi, exerunt suos animi affectus, & exhauriunt vires, ut illis serviant, ac vices referant suis parentibus, neque audent hæc omnia non implere* & paulo post. *Honorificas oblationes faciant parentibus filii, ut ita in memoriam revocent præterita & longis temporum intervallis jam remota.* Et fol. 62. præmiserat: *Pias oblationes facere parentibus, est id quo filii in memoriam revocant educationis beneficium ac perpetuant filialem suam erga parentes observantiam.* Hic adverte has voces. *Revocare in memoriam ac perpetuare*, quæ denotant ejusdem generis, ac motivi observantiam post mortem, atque dum parentes vivebant, quo tamen tem-

Digitized by Google

pore neque filii in parentibus divinitatem fingebant neque religiosè eos colebant, sed civiliter duntaxat, ergo hæ oblationes ex institutione suâ ad idem venerationis motivum ac fundamentum pertinent.

Unde fol. 50. additur. *Filii dum se venerationi impendunt, exerunt suos affectus gratitudinis, exhauriunt vires ut illis serviant, ad vices referendas suis parentibus*, atque in *Ky a ly*, ubi consequentis etiam ætatis Sinarum finis in oblationibus aperitur, idem planè astruitur in *tum ly* fol. 1. *Hic tractatus in idem conspirat cum tractatu de honorificarum oblationum ritibus, nempe spectat ad persolvenda debita origini, & rem ad primum principium revocandam, avis & illustrioribus proavis, venerationem & reverentiam prabendo.* & fol. 9. *declarat solemnis oblationis finem fuisse ad revocandam memoriam beneficii productionis & educationis.* Et fol. 2. *Dicitur offerri tantummodo ad revocandam in memoriam & remunerandam originem cujus non audet oblivisci.* Clarius in *cy ly.* fol. 11. *omnes qui pias oblationes peragunt, exhauriunt vires ad amoris & reverentiæ significationem atque in eo sistitur.* Et fol. 32. *Ultimus ritus est educationis veneranda ratio.* In oblationibus nempe de quibus ibi agitur.

Digitized by Google

NUMERUS XII.

Sinicæ oblationes ex institutione tam antiqua quam posteriorum temporum non spectat ad petendum a mortuis.

NEc dicas hanc vim procreatricem & gubernatricem filiorum in usum eductam, esse partialem tantummodò formalem terminum oblationis mortuorum, cum quo conjungitur partialis alter, qui sit fundamentum spei in parentibus collocatæ, ex quâ per ejusmodi oblationes Sinæ aliquid petunt à mortuis; hanc verò virtutem humanæ conditionis limites excedere, adeoque cultum ob illam tributum, a civili ad religiosum traduci.

Nam hæc doctrina ingeniosa quidem est, non Sinica.

Primò fingitur ille finis intrinsecus partialis petendi, cujus nulla mentio fit in libris, ubi tantâ diligentiâ affertur finis oblationum erga mortuos, quem velut adæquatum famosissimus interpres, *fam xi* sic tradit: *Sinceritas, fides, fidelitas, reverentia, hæ sunt oblationum quæ fiunt parentibus fundamentum.* Nota, de spe, ac fiducia ne verbum quidem adduci.

Secundò. Illum petendi finem, positivè excludit lib. 7. de offic. fol. 37. & 58. *Non petunt ab illis, & hic est obedientis ac pii filii animus.* Et lib. 5. fol. 11. *Vir sapiens ac perfectus dicere solet, quod in ejusmodi piis oblationibus, haud*

Digitized by Google

quidquam petatur. Atqui si ad petendum essent institutæ, nemo potest ejusmodi oblationes peragere quin hoc ipso per eas peteret, neque vir perfectus vetare posset ne per oblationes petatur, si fuisset iis ex institutione præstitutus a sapientibus petendi finis, quem posteros intendere par est.

Tertiò. Multæ oblationes institutæ sunt ad petendum a Deo atque a sapientibus, ut posteà patebit, nullæ tamen mortuorum oblationes institutæ sunt, quæ sint ad petendum ordinatæ & extrà Imperatorias aulas peragendæ: ergo indicio est quod hunc petendi animum inter mortuorum oblationes instituendas Sinæ nunquam habuerint.

Quartò. Lib. 5. de offic. fol. 76. allatis iis quæ spectanda sunt ut defunctis Imperatoribus perfecta oblatio præstetur, sic concluditur. *Omnibus juxta medium præscriptum per ritus expensis, si hæc quinque ritè peracta fuerint, par est ut supremus Imperator oblationem acceptet.* Igitur ex Sinarum mente non fiunt oblationes defunctis spe auxilii obtinendi ab iis, sed tantum a Deo cujus est acceptare & rata habere, adeoque & remunerare illa pietatis filialis officia lib. 5. ex lib. *chum yum* cap. 7. *In piis oblationibus mortuorum attendenda est dignitas Patris ac filii, & pro majori utriusque dignitate cum debitâ proportione, diversa est ritûs, aut etiam rei oblatæ ratio.* Neque ulla unquam mentio fit virtutis etiam moralis parentum ad hoc oblationum discrimen. Ergo cultus per illas oblationes exhibitus non spectat excellentiam aliquam in defuncto, quæ sit veluti præmium

Digitized by Google

præteriti dum viveret, virtutum exercitii, quod certè majus in plebeio sæpè quam in nobili extitit, sed spectatur beneficium generationis, educationis atque gubernationis, quod crescere censetur ex dignitate patris redundante in filios, & ex dignitate filii orta ex generatione, rectaque parentis gubernatione, tanquam principio & fonte.

Quintò. Vocabularium majus dum explicat litteram *Ti* quæ est pia oblatio solemnis in regiâ avorum aulâ docet in iis oblationibus primum cultum dirigendum esse ad eum, qui fuit caput prosaplæ regiæ, & ita deinceps; atqui fieri potest ut is sit minori dignitate in cœlo, si tamen eò penetrarunt præditus ob minora virtutum merita; sed quoniam est origo totius dignitatis familiæ ab eo derivatæ, ideircò primus spectatur. Ergo propter beneficium ab eo acceptum, non in spem novi cujusdam auxilii.

Sextò. Eadem est vis illius quod refertur in *tum ly* fol. 32. In tabellâ cui progenitorum nomina inscribuntur, aliquando factâ mutatione, tamen semper primum locum ei tribui, primasque inter offerendum deferri, qui primus in familiâ magistratum gessit, cum tamen sæpe accidat, ut iste ab aliis probitate ac virtute superetur.

Denique oblationes ejusmodi cum sint institutæ ad cultum primariò quidem majorum, deinde verò ac secundariò reliquorum omnium defunctorum quibus exhibentur, si essent institutæ ad petendum ab eo cui exhibentur, deberent ex suâ institutione, tùm

Digitized by Google

antiquâ tùm præsenti significare potestatem ac voluntatem subveniendi petentibus, in iis a quibus petitur : atqui potestas hujusmodi non supponitur a Sinis, nedum significetur inesse omnibus defunctis, cum denegetur saltem sceleratis, imò & iis omnibus quos jam vulgus aut in inferno positos putat, aut eo certè in loco, in quo viventium subsidio indigeant.

Dices Confucium in lib. *chum yùm* non semel docere felicitatem iis obventuram, qui suis erga majores oblationibus rite defungantur : ergo oblationes illæ spectant ad felicitatem divinâ quâdam defunctorum parentum virtute obtinendam.

Ego quidem fateor Confucium ac cœteros priscos Sinas tanti filialem obedientiam ac pietatem fecisse, ut qui partes illius omnes obiret, ac præsertim præstantissimam illam, ut putabant, sitam in obsequiis post mortem exhibitis, quæ postrema sunt, diuturniora, & remotiora a spe temporalis emolumenti ex paternâ hæreditate percipiendi, qui, inquam, in hac virtute quoad consanguineos quoque & amicos pertinet eximius esset, Deum ei maximè propitium futurum sperarent, ac præcipuè regibus ad rectam, & quietam Imperii administrationem ; sed eâ spe se sustentabant, dummodò nihil de debitâ erga superos veneratione remitterent, cui semper primas tribuunt, quod eodem recidit ac si quis diceret, qui Deo ac superis necnon omnibus affinitate conjunctis, ac præcipuè parentibus debita obsequia persolvit, is pro-

Digitized by Google

fectò maximâ felicitate perfruetur ; quoad humana fert conditio, & divina quam Sinæ quoque norunt providentia disponit ; quid magis religiosum piumve cogitari possit ? quid perfectæ rationi magis consentaneum hac sententia ex *Ly Ky* lib. 7. fol. 6. *Qui animum ac vota ad superiores spiritus, necnon ad majores defunctos cum veneratione dirigunt, atque explent mutua officia subditi, patris, ac filii, fratris, & consanguinei, superioris, & inferioris, ij dicuntur percipere demissam è cœlo felicitatem.* Et fol 46. *Cum ex veneratione & sincero ac fideli animo oblationes fiunt, res omnes ex voto succedunt.* Et fol. 51. *Recta gubernationis principium est è cœlo, ac descendit ad aulam majorum, & spiritus.* Item fol. 12. *Sapientes reverentur cœlum ac terram una cum spiritibus ad optimum regimen assequendum.* Concludo cum verbis Confucii in *chum yum* fol. 14. & *Ly Ky* lib. 14. fol. 30. *Qui solemnioribus sacrificiis erga supremum cœli ac terræ Imperatorem atque oblationibus erga parentes ritè perfungitur, is rectam Imperii gubernationem quasi in sua manu positam habet.*

Dices 2°. Quamvis antiquitùs sic se haberet, tamen nunc res mutatæ sunt, ac reverâ filii per has oblationes a parentibus petunt, adeoque in ipsis venerantur quidpiam virtutis aliquatenùs divinæ, a quâ subsidium expectant, unde insignis litteratus christianus in suo opere *ta ve ven*, ait nunc pias oblationes mortuorum non posse adhiberi.

R. Non negare me, quod nunc temporis aliqui per errorem, illas oblationes, ad consequendam quasi parentum intercessione temporalem

Digitized by Google

temporalem felicitatem dirigant, ſicque inter illas à parentibus petant. Hinc rectè negat autor citatus eo modo eâque intentione fieri licitè poſſe a Chriſtianis. Verùm idem ipſe in libro qui aſſervatur in Archivio noſtro Hancheano, fusè explicat, quâ ratione ritè præſtari poſſint, abjectâ nimirum pravâ illâ intentione, quæ operantis eſt & non operis; quocirca multi illi (ſi tamen multi ſunt) a priſcorum inſtitutis degeneres abolere non potuerunt primam inſtitutionem piarum oblationum, & novam vim iis indere ſignificandæ hujuſmodi diſtortæ intentionis, tum quia major aut melior certè pars ex merâ gratitudine ac veneratione erga defunctos, oblationes illas peragant, in iſtos autem decepti aliqui non habent poteſtatem, ut cæterorum quoque piis oblationibus hanc pravam ſignificandi vim conferant, tum quia vix ullum tam ſtolidum invenies, ut putet defunctos quoſlibet, tametſi ſceleratos, ſtatim poſt mortem ad Cœlos evolare, vel ad alium locum in quo ſingulari divinâque viventibus opitulandi virtute præditus ſit; nemo tamen eſt qui ejuſmodi oblationibus defunctum parentem aut affinem illicò non proſequatur, pro quo ſæpius eodem tempore, jejunia & elemoſynas ſuſcipit ad opem illi indigenti ferendam, & non ad ſubſidium ab eo poſcendum.

Neque inſtes hanc opem à defunctis implorari oblationibus factis in aulâ majorum, inter quos exiſtiment aliquos eſſe viros ſanctos, aut etiam numina effectos.

Digitized by Google

Etenim quis non videt istud esse subtilius Europæi inventum, & non Sinarum qui hæc discrimina inter suos proavos non constituunt, dum illis oblationes exhibent.

Deinde oblationes fiunt omnibus proavis, quorum singulorum nomina in tabellis descripta sunt; & qui juxta ordinem antiquitatis aut dignitatis politicæ olim gestæ nullâ habitâ ratione virtutis moralis, inibi colluntur.

Denique oblationes in aulâ majorum factæ quoad essentiam ejusdem plane rationis sunt cum iis quæ fiunt cuilibet defuncto statim post mortem in eâdem aulâ, vel etiam extra illam in loco ad id delecto, si vir primarius sit: ergo fingi non potest, quod vim significandi stabilem ex naturâ suâ & institutione duplicem habeant, quarum una honesta sit, alia prava, una grati, altera sordidi, ut Sinæ vocant animi, qui suas quærit utilitates.

Adde quod nemo interrogatus an velit in his parentalibus stare propriis majorum institutis necne, non continuò respondeat id se fixum in animo habere: ergo ne implicitè quidem & tacitè censendi sunt consentire intentioni, vel potiùs opinioni eorum qui ex errore petant.

Ego certè multos interrogavi utrum arbitrarentur parentes eò loci deveniisse, ut filiis possent bona largiri; simpliciores quidem attonitti ac perplexi hæserunt, alii plures responderunt se hactenùs existimasse non defuturam sibi remunerationem operum pie-

Digitized by Google

tatis ; erga parentes , quisquis tandem sit ille remunerator ; unde videntur non sperare aut petere à defunctis , sed ab eo quem pro numine pietatis remuneratore venerantur , falso quidem , si idololatræ , sed verè si avitam religionem sectantur.

De plebe non pauci tamen , etsi confusa admodum instructi sint cognitione numinis , quod *cœlum* , vel *venerandum cœlum* , *thum tien hao tien* , vulgò appellant , & de quo rogati quid sentiant , ac præsertim utrum intelligentiâ sit præditum , nullo negotio annuant , utrum tamen intelligentia illa cœlo aspectabili sit assistens duntaxat , an informans & quasi pars illius totius quod cœlum dicitur , uti in homine conflato ex animâ & corpore , quousque item cœlestis illius potentiæ , sapientiæ ac justitiæ & bonitatis attributa evadant , vix illi examinant. Imperfecta itaque notitia eos ab Atheismo & idololatriâ liberat , non ab aliis multis ignorantiæ potius quam positivi ac multo minùs pertinacis erroris tenebris atque erumpentibus inde sceleribus absolvit.

Ad extremum nolim ego inficias ire , quod constat ex lib. 2. de off. & ex annalibus passim , nonnullos Imperatores , oblationes quasdam peregisse , imò & extraordinariam fortè aliquam instituisse ad deprecandam implorandamque non majorum quorumlibet , sed illorum duntaxat sanctorum , ut putabant , regum , quos distinctè compellabant opem. Verùm hinc nova probatæ hactenùs veritatis confirmatio potiùs quam infirmatio exurgit ,

Digitized by Google

nam cum neque ſtatis temporibus perficiendæ in ipſa majorum aula oblationes, neque peragendæ in cæteris omnibus aulis, deprecationis quidpiam continerent, hinc efficitur illis duntaxat heroibus oblatum quandoque petitionis causâ fuiſſe ex ſingulari quodam Imperatoris affectu, nuſquam verò inſtitutas ad communem avorum cultum oblationes deprecatorias; & verò cum ſæpiùs Imperatores juberent offerri ſpiritibus ad eorum opem expoſcendam, nuſquam indixere, ut idem erga majores præſtaretur, ex *Ly Ky* lib. 5. nec immeritò cum citra regiam nulli ex iis qui paſſim coluntur, defunctis, a Sinis tum antiquioribus tum modernis pro ſancto habitus ſit.

Quod ſi in orationibus panegyricis inter ſolemnes oblationes avorum habitas, de iſtis quandoque loquantur, quaſi in cœlo reſiderent, nemo prudens id vitio vertat filiis ac nepotibus, quibus filialis obſervantia ſuadet ita de progenitoribus opinari, vel certè loqui, quamvis pro indubitato id non habeant, uti ad preces fundendas neceſſe foret. Non abſimilem nos honorem in ſermone familiari quibuslibet probis viris vitâ functis deferimus, neque illos velut ſanctos rogare idcircò auſimus. Certe dum inſtat aut premit Sinas aliqua calamitas, omnes ad eorum quos quiſque colit ſpirituum templa rogaturi confugiunt, nullus autem ad majorum aulam ſupplicaturus. Tunc contendit quod argumento eſt ipſos in ſpirituum non in majorum ope ac virtute ſuam ſpem collocare.

Digitized by Google

NUMERUS XIII.

Oblationes avito ritu ſpiritibus factæ non ſunt ſtricta ſacrificia.

DIco ſeptimò. Pias oblationes Sinicas avito ritu ſpiritibus exhibitas non eſſe ſacrificia.

Probatur: illæ tantum oblationes ſunt ſacrificia quæ ſunt proteſtativæ ſubjectionis ac reverentiæ debitæ alicui ut primo principio, vel ſaltem ut Domino vitæ ac necis ut cap. 1. ex D. Th. ſtatuimus: atqui oblationes Sinicæ priſco ritu ſpiritibus exhibitæ non ſunt ejuſmodi cum ex dictis capite 2. Sinæ numquam ſpiritibus rationem ullam primi principii aut dominii vitæ ae necis aliudve attributum divinum conceſſerint: valet igitur hic Auguſtini dictum 1. de civit. Dei cap. 19. *Qui ergo divinitatem ſibi arrogant ſpiritus, non cujuſlibet corporis fumo, ſed ſupplicantis animo delectantur cui decepto ſubjectoque dominentur, intercludentes iter ad Deum verum.* Atqui ſpiritus veteribus Sinis noti non intercludunt iter ad Deum verum, cui veluti ſupremo Monarchæ ſubjeſtiſſimi ſtatuuntur.

Dices tametſi priſcus ille ritus ex primævâ inſtitutione non eſſet latriæ & ſacrificii ſtrictè ſumpti, eò quod veteres Sinæ ſpiritus pro Diis non haberent, tamen cum jam inter Sinas ſpiritus habeantur pro Diis, ex quo peregrina lex invaluit, priſcus ille ritus

Digitized by Google

qui olim quoad externas actiones & materiam, nunc longè diversus est quoad formam, seu vim protestandi venerationem erga eos qui nunc pro Diis habentur.

Verùm priscus ille ritus quoad vim ipsam significandi non est abolitus nec oppositus alter in ipsius locum successit : Ergo cum olim non esset cultus latriæ nec sacrificium neque nunc ejusmodi cultus rationem obtinet.

Probatur ant. priscus ritus vim suam protestandi sinceram & rectam obtinet ex consensu omnium Sinarum, quorum voluntates inclusæ erant in voluntate Imperatoris illos ritus determinantis, qui secundum ipsam vim significandi longo saltem usu publicati & acceptati censentur : Atqui nullus irrepsit abusus ad primam illam institutionem delendam sufficiens : Ergo eadem etiamnum perseverat.

Probatur minor quamvis permulti sint peregrinæ legis assectæ, atque isti videantur perturbatè spiritus omnes instar Deorum habere, nec in suo proprio cultu distinguere inter spiritus modernos, quibus divinitatem adscribunt, & spiritus antiquis notos, qui sunt Angeli, eò quod nullum supremum in cœlo Imperatorem agnoscere videantur, a quo spiritus potestatem accipiant, attamen litteratorum legis sectatores quidquid in animo ipsi habeant aut in scholis suis disputent, profitentur se priscos illos cultus exhibere spiritibus eâdem mente, & eâdem significandi vi, quam illis imposuerunt antiqui, à

Digitized by Google

quorum institutis se nullatenùs hac in parte discedere jactitant, uti cap. 2. dictum est, præterquam quod ejusmodi homines in Sinis, infiniti sunt, iique notissimi, & maximæ authoritatis, ex quibus conflatur rituum tribunal cui suam autoritatem rex committit quoad rituum illorum procurationem. Isti ipsi antiquæ institutionis tenacissimi videri volunt in hac saltem quasi rituum radice, quæ sita est in notitia spirituum, seu superûm quos procul ab idololatrarum errore colant. Atque rituum illud tribunal nusquam aliam legem positivè seu distinctè probavit præter priscam atque avitam quam suis identidem decretis nomine regio confirmat.

Ac licet quandoque Imperator peregrinis erroribus ex privatâ mente ac personâ addictissimus sit, tamen tanquam persona publica subditorum in se voluntates complexa, peregrinas quidem leges nonnunquam forte permittet, quas ipsas sæpiùs combustis illarum libris aut etiam templis insectatur; at unam avitam legem suis edictis constantissimè hactenùs commendat, quod impedit quominus avitæ institutionis seu legis vim consuetudo quasi plebeia infringat, juxta communem doctrinam ex quâ Layman lib. 1. tract. 4. cap. 24. ait ex abbate: *consuetudo contra legem non valet, si lex resistat, quia legislator prohibet consuetudinem introduci adversus legem.*

Quæ cum ita sint, nullatenùs censeri potest abolitus esse colendorum spirituum priscus ritus ex primæva institutione constitutus, & alia significatio idololatrica iisdem

VILLE DE LYON Google

externis ritibus impoſita, nisi forte quatenùs isti procedent ab idololatris inter se convenientibus de suâ idololatricâ mente per externas ejusmodi actiones significandâ. Verùm cùm ejusmodi conspiratio nullam authoritatem obtineat in reliquos, Sinas inter degentes, quippe quorum voluntates in illorum idololatrarum voluntatibus non contineantur, idcircò ii ritus ad summum per se ex novâ institutione mali dici poterunt, quia ab ejusmodi hominibus prodibunt, non autem quia ab aliis procedunt.

Digitized by Google

NUMERUS XIV.

Variæ ſpecies religioſarum oblationum ſpiritibus factarum.

DIco octavo. Pias oblationes avito ritu ſpiritibus factas ad religioſum cultum pertinere.

Probatur ille cultus religioſus eſt, qui fuit inſtitutus ad reverentiam alicui exhibendam ob excellentiam & virtutem merè naturali & politicâ majorem: atqui priſco ritu factæ ſpiritibus oblationes ſunt ejuſmodi inſtitutæ: nam ſunt partim ad recognoſcenda præterita beneficia, partim ad nova poſtulanda à ſpiritibus velut à præſidibus à Deo conſtitutis partim orbis tum ſuperioris tum inferioris, partim etiam communitatum ac familiarum, quarum gubernationi ex ſupremi Imperatoris præſcripto invigilant. Atque hæc virtus benè hominibus faciendi ex ipsâ mente Sinicâ conceſſa eſt ſpiritibus præter ipſorum naturæ exigentiam, & ſingulari quodam Dei ſupremi Imperatoris beneficio præfecturas illas liberaliter diſtribuentis inter eos, quibus ad univerſi adminiſtrationem ac gubernationem utitur, quæ omnia ad divinam gubernationem religionis objectum particulare pertinent.

Vocabularium majus explicans ex lib. de off. oblationem *cha* per vocem *lo*, ait eſſe inquiſitionem ſpirituum quos *pe xim* vocant.

Digitized by Google

Et ſubdit, *ſapientes viri optando ſe gratos exhibere ſpiritibus benè meritis, propterea quærebant ſcilicet locum idoneum, vel in quo reſiderent vel cui præeſſent, atque ipſis offerebant.* Ex lib. 5. de off. fol. 47. *Imperator qui offerenda ſuo tempore animalia jubebat ali per centum*, ſeu omnes urbes *ſui Imperii, mandabat ut nemo e plebe eſſet qui non exerceret ſuas vires ad honorandum regale cœlum, ſupremum Imperatorem, celebriorum montium ac fluminum, atque quatuor terræ plagarum ſpiritus, & ab iis pro populi incolumitate flagitarent proſperitatem.* In lib. 1. hiſt. *Xu Kim.* Et lib. 3. de off. vocantur ſpiritus pluviæ ac ſiccitatis præſides ij, quibus faciendæ oblationes inducuntur.

In lib. *lim yú* cap. 4. fol. 10. hortantibus diſcipulis ægrotantem graviter Confucium, ut rogaret ſpiritus, quoniam ita uſitatum eſſet, reſpondet, *quod precer eos diu eſt*, quippe qui honorificis illis oblationibus ſummâ cum reverentiâ coram iis defungeretur, uti interpretes explicant. Lib. item 3. de off. fol. 31. *Imperator jubet præfectos pro populo rogare factis oblationibus montium, fluminum atque omnium fontium ſpiritibus.*

Oblatio *yûm* ex lib. *cò chûen fit montium, fluminumque ſpiritibus ad avertendas eas quæ ex ſiccitate, aut niniâ humiditate oriuntur lepræ, ſolutionis viſcerum, aliorumque morborum calamitates.* Item *ſolis luna planetarum ſtellarumque ſpiritibus ad arcendas intempeſtivas pruinas, nivem, ventos, imbres.* Ubi obiter adverte non peti a ſpiritibus niſi tanquam a præſidibus operum illorum ac partium ampliſſimæ ditionis ſupremi

Digitized by Google

Imperatoris, nec eorum auxilium nisi per applicationem causarum secundarum postulari.

Oblatio quoque *Xin* est oblatio carnium facta spiritibus terræ, a quâ discedebatur, & terræ ad quam pergebatur, dictis *Xè* vel *Ky* ad opem illorum implorandam. Imperator cum pergebat ad oppugnandam hostilem terram, oblatione illa venerabatur spiritum præsidem terræ quam occupare in animo habebat, atque hæc oblatio inquit, *cha kia, si fieret ab equitante dicebatur* nia *si a sedente in curru erat* fàn. Utebantur item minori oblatione *y* dictâ ex vocabulario, *quando dux propter hostilis militis pertinacem impetum ad difficilem dubiamque prælii aleam sollicitus erat, de imminente destructione exercitûs, offerebat spiritui ut convenientem felicitatem largiretur, idcircò vocatur conveniens oblatio.*

Ex quibus liquet Sinas in illis oblationibus sollicitos spectare ac venerari spiritus, veluti principia non quidem prima, sed secunda, nempe a supremo Imperatore dependentia, tum productionis, tum gubernationis, ad quam amanter potenterque intrà concessæ sibi administrationis limites concurrant.

Digitized by Google

NUMERUS XV.

Verum ſacrificium Deo offerunt veteres Sinæ.

DIco ultimo inter pias oblationes priſco ritu Deo factas aliquas eſſe vera ac proprie dicta ſacrificia.

Probatur 1°. Quæ gens lumine naturali perfectam adeo numinis notitiam aſſecuta eſt, & tam multis cæremoniis, tantâque diligentiâ inſtituendis ad immortalium cultum vacavit, uti hactenùs vidimus, inferiuſque patebit, non potuit ejuſdem luminis ductu non conſtituere aliqua ſacrificia, nam ut rectè D. Th. relatus cap. 1. *Ex lumine naturali procedit, & ad jus naturale pertinet oblatio ſacrificii.* Quæ ipſa eſt doctrina philoſophi lib. 7. polit. cap. 8. Atqui piæ oblationes priſco ritu peractæ inter antiquas Sinarum obſervationes ac cultus aptiſſimæ ſunt ad ſacrificium : ergo ſaltem aliquibus ex illis oblationibus Deo factis rationem ſacrificii Sinæ tribuerunt.

Probatur 2°. Illud eſt propriè dictum ſacrificium, quod eſt oblatio facta Deo in proteſtationem reverentiæ ac ſubjectionis illi debitæ, ut primo principio, ſupremo cœli & terræ Domino, & rectori, adeoque vitæ ac necis Domino. Atqui inter oblationes Sinicas priſco ritu peractas, aliquæ ſunt ejuſmodi : ergo aliquæ ex illis

Digitized by Google

ſunt propriè dicta ſacrificia major eſt Divi Thomæ ac cæterorum theologorum cap. 1. Probatur minor univerſim ex eo quod Sinæ Deum ut primum principium gubernationis & creationis ſeu productionis, Dominum ac moderatorem cœli & terræ necnon hominis, ipſiuſque vitæ ac necis agnoverunt, aut ſaltem in inſtitutione oblationum cœlo faciendarum, ita ſe geſſerunt, quaſi inſtitutores ipſi numen iſtud noſſent, cujus fidem ac venerationem externis ſignis populo ſubjiciebant. Neque dubium cuiquam eſſe poteſt, quin oblationibus inſtar ſolemniſſimi cultûs Deo factis has in eo excellentias ſaltem confusè & implicitè venerati ſint; imò & explicitè, quippe ſufficienti modo externo ad proteſtationem externam interioris ſubjectionis manifeſtativam, quod clariùs fiet ex brevi relatione ritus aliquarum ex iis oblationibus.

Res imprimis liguet in oblationibus *Xiáo* vel *Kiao Xe* dictis, de quibus tametſi diſſideant Sinici interpretes dubitentque quam multiplicis eſſent ſpeciei, utrum eſſent oblationes adæquatè diſtinctæ, vel tantum duæ quaſi partiales in unum ſolemnis ritus ſacrificium coaleſcentes, adeò ut *Kiao* eſſet oblatio Deo facta, ut Domino cœli, *Xe* verò eſſet oblatio facta eidem ut Domino terræ uti nonnullis placet, vel ut aliis videtur, oblatio facta certo anni tempore vocetur *Kiao* alio verò tempore peracta *Xe* dicatur, in eo tamen omnes conveniunt, quod per *Kiao Xé*, ſic cœlum & terra coleretur, tanquam præ-

Digitized by Google

cipua videlicet loca effectusque gubernationis ac creationis supremi Imperatoris, ut totus cultus in supremum ipsum Imperatorem redundaret cujus majestas, *cum*, per cœlum, fœcunditas ac munificentia, *ly*, per terram ipsiusque ubertatem repræsentata innotescit, uti sæpe in *Ly Ky* inculcatur. Lib. sanè 8. fol. 15. oblatio *Kyao*, quæ nempe solemnior fiebat æstivo solstitio, *est exceptio maximi crescentium dierum magnæ erga cœlum gratiarum actionis præcipuus dies.* Hujus oblationis caput erant aliqua animalia, quæ saltem antequam templa Deo extructa fuissent, offerenda erant, in colle quodam rotundo, vel certè cujus in summitate deligebatur aut efformabatur colliculus seu pars aggerque unus rotundus ad cœlum repræsentandum, & pars quædam quadrata destinabatur ad repræsentandam terram, quam Sinæ quadratam putabant, ut hoc pacto iis in loci circunstantiis oblatio clariùs demonstraret dominium cœli ac terræ, quo pollebat supremus Imperator cui offerebatur: unde constat oblationem hanc ut de cæteris illius circumstantiis minùs exploratis tacuam, fuisse aptam cui Sinæ inderent vim protestandæ subjectionis debitæ Deo ut Domino cœli ac terræ, quod abunde designatur per oblationem quæ in ejusmodi determinato loco ipsi fiat, sicque distinguatur ab aliis oblationibus, quæ licet earumdem rerum essent, carerent tamen hac præscriptâ circumstantiâ loci determinantis, & exteriùs quodammodo dirigentis oblationem ad eum colendum qui cœli & terræ, adeoque rerum

Digitized by Google

omnium in ipsis contentarum Dominus sit.

Deinde honorificæ oblationes duplicis universim sunt generis, aliæ perfectiores, primariæ, & quasi simpliciter dictæ quæ *che cy* in *Ly Ky* fol. 24. & *chim cy* ab interpretibus ibidem & alibi sæpiùs, necnon in *Kya ly* vocantur. Aliæ sunt secundariæ, & quasi secundum quid, quarum præcipuum latiusque patens genus quasi sub alternum, *cien.* priores ex vocabulario majori, *sunt ex quibus rerum offerendarum præcipua & velut caput oblationis est animal integrum, vivum ac perfectum quod nuncupant sem* vel *hy sem*, quasi destinatum ad oblationem; posteriores oblationes sunt eæ, quæ animal ejusmodi offerendum non postulant, sed constant frugibus, oleribus vel carnibus, sive tostis, sive elixis, sive fumosis, sive etiam crudis, sed quæ sint partes animalis quod integrum ad has oblationes non requiritur. At ex eodem vocabulario & lib. 3. de off. atque ex *cy ly* primariæ ac simpliciter dictæ oblationes duplicis iterum sunt generis, aliæ quæ solâ rerum oblatione peraguntur, aliæ verò præter rerum oblationem certa quoque verba & confectam ex iis orationem includunt, quo planiùs offerentis animus aperiatur. Istud autem oblationis genus vocatur *cáo*, vel, ut doctiores pronuntiant, *co* quæ est littera composita ex duabus una quidem *nieú* . . *vacca*, quæ in superiori parte collocata signum est primariæ oblationis ad quam animal exigitur; altera verò littera priori supposita est *Keu* . . os, ex quo nempe prodit oratio, illius oblationis velut altera pars.

Digitized by Google

Jam verò inter oblationes *Kiao* aliquæ ſunt extraordinariæ & eximiæ, quæ præter rerum oblationem actione externâ factam includunt certas voces expreſſivas affectus, exquo ejuſmodi oblationes fiunt : has jam notavimus ex genere ſuo vocari *caò* ſeu *co*; ſed Deo exhibitæ peculiari nomine appellantur *luy* de quo conſule *ly Ky* lib. 4. fol. 10. & 11. & .. atque vocabularium majus ſic de iis decernit. Oblatio *Kiao eſt ordinaria ſeu ſtatis facta temporibus oblatio : extraordinaria oblatio quæ fit offerendo tum verbis tum actione dicta* cáo, *ſi fiat quoque juxta ritus oblationis Kiao*, dicitur *lúy* .. atque iſtiuſmodi oblationis nihil planè deeſt ad ſacrificium, quippe quæ tum actione peractâ juxta ritum *Kiao* ſuprà relatum, tum verbis idoneis clarè ſignificet ac proteſtetur ſubjectionem debitam primo principio cœli & terræ moderatori ac Domino.

Nec dicas voces non pertinere ad vim ſignificativam ſacrificii propriam quæ debet actiones ipſas non verba efficere.

Etenim quamvis voces ſolæ non ſufficiant ad debitam proteſtationem per ſacrificia poſſunt tamen illam perficere atque complere in ratione ſigni ſaltem expreſſioris, ut ritè inter cœteros notavit Card. Delugo de Euchariſtiæ ſacrificio, in quo actio conſecrativa quæ eſt eſſentialis oblatio corporis & ſanguinis Chriſti, vix intelligatur obtinere perfectam rationem ſigni ſenſibilis ad debitam in ſacrificio proteſtationem neceſſarii ſine verbis conſecrationis quæ conjuncta cum ſpeciebus ad perfectam oblationem, tum realem corporis & ſanguinis Chriſti

ſub

Digitized by Google

ſub ſpeciebus latentis, tum repræſentativam ſacrificii crucis cruenti conveniunt.

Tandem ſolemne eſt ſacrificium atque holocauſtum *chay* dictum, de quo aſſeritur lib. 4. de off. fol. 8. *Quantumvis fieri ſolitum ab Imperatore ſecundo menſe dum viſitationem Orientalium partium ad conſervationem Imperii inſtituebat, quo tempore in eodem monte* tay cũm, *ſolemnes quoque oblationes* vám *dictas, peragebat magnorum montium ac fluminum ſpiritibus quos inde ſpectabat aliquatenùs.* Subdit *chu Kiu. Lignorum ſtrue combuſtâ ſacrificatur cœlo. Atque inter oblationes rebus ſimul ac verbis factas hæc ſumma eſt.*

Et lib. 8. fol. 11. deſcribitur iſtius holocauſti ritus his verbis: *Dum lignis crematur victima in culmine alti ac rotundi montis; ſacrificatur cœlo; dum ſepelitur ſimul in quadrato montis res oblata, ſacrificatur terræ.* Cernis itaque, lector, in hoc ſacrificio reperiri animalium ac rerum pretioſiſſimarum conſumptionem, ſeu totalem deſtructionem, in proteſtationem ſubjectionis debitæ cœli terræque Domino, diſtinctè ſignificatæ tum per ipſam deſtructionem tum per accommodatas ad id voces, quas ſcriptas non comperi. Nihil ſanè ampliùs ad perfectum legis naturæ holocauſtum meritò requiras.

Ex his conſtat primariam ac ſimpliciter dictam oblationem ut in aliis minùs perfectis non immorer, eſſe genus quod immediatè dividi poteſt in oblationes religioſas & in merè honorificas ſeu pias ac civiles, iſtæ autem ut miſſas faciam oblationes vivorum convivales, nuptiales, aut etiam militares, de quibus lib. 16. de off. iſtæ, inquam, ſunt

Digitized by Google

piæ mortuorum oblationes, quarum præcipuæ cum in *Ly Ky* lib. 4. fol. 15. *Quatuor numerentur, respondentes totidem anni tempestatibus, tamen revocantur ad duas potissimas* ty & cham. *quarum hæc singulis quinquenniis, illa singulis trienniis in aulâ majorum ab Imperatoribus peragebatur, adeò ut cæteris principibus solius* ty *exhibendi facultas fieret*; adde oblationem *hó*, de quâ distinctissime in *cy ly* fol. 14. scribitur *est oblatio solemnis facta illustrioribus proavis, qui intra principum seu dynastarum* vâm *dignitatem positi sunt.*

Religiosæ oblationes aliæ sunt spiritibus seu angelis factæ, non tamen stricta sacrificia, ut ostendimus, istarum multæ sunt propriis distinctæ nominibus, quorum aliqua jam attigimus, celebriores verò sunt *yn* & *vam*; aliæ sunt Deo factæ, quæ universim *Kiao* vel *Kiao Ké* appellantur, istarum porrò quædam ordinariæ sunt, & sola actione peractæ, quæ peculiari, quod ego sciam, nomine carent sed illis quasi communibus vocibus *Kiao* vel *Kiao Ké* designantur, aliæ extraordinariæ sunt, quæ tum actione tum verbis perfectæ ac præstantiores vocantur *lùy*, inter has denique una est eximia præcellensque species nuncupata *chây*, quæ videtur propriè holocaustum quippe in *Ly Ky* lib. 4. fol. 8. *summa oblatio* nuncupatur.

Oppones 1°. Oblatio illa omnis est strictum sacrificium, quæ est oblatio victimæ seu animalis quod mactatur ad venerationem illius cui offertur, atqui oblationes primariæ ac simpliciter dictæ spiritibus & mortuis factæ, sunt ejusmodi; ergo sunt stricta sacrificia.

Digitized by Google

Resp. 1°. Esto, major propositio vera sit in iis partibus, in quibus vis protestativa subjectionis debitæ Domino vitæ ac necis imposita est omnibus oblationibus animalium cum aliquâ destructione factis, imò & indita est aliis rerum oblationibus peractis cum immutatione, per quam res oblatæ fiant aliquomodo ineptæ ad alios usus ordinarios: ubi tamen talis protestandi vis non omnibus ejusmodi oblationibus est imposita; nego eas omnes oblationes, esse sacrificia formaliter ac propriè dicta, sed ad summum sacrificia materialiter dici poterunt in eâ regione in quâ sint apta ad suscipiendam istiusmodi protestandi vim veluti sacrificii formam, quam in occiduis partibus accepere ex illorum institutione qui sufficienti potestate ibi pollent; non autem istiusmodi formam perceperint in extremo hoc orientis orbe, ad quem uti non pertinet occidentalis authoritas, ita neque significandi vis ex eâ occidentali institutione profecta, sed inter oblationes animalium cum destructione factas illæ tantummodò sunt ejusmodi vi protestativâ affectæ, tanquam primâ sacrificii protestativâ, illæ inquam, quæ ex aliis præterea circumstantiis, putà loci alti, & hinc quidem quadrati, illinc verò rotundi, vel aliis, aptæ visæ sunt Sinis ad istam protestandi vim suscipiendam. Præclarè Eminentissimus Cardinalis Delugo de Eucharistia disput. 19. sect. 1. num. 12. *Dicitur sacrificium esse de jure naturæ, non quia naturaliter significat & independenter ab institutione hominum, sed quia ipso lumine naturæ inclinantur ho-*

Digitized by Google

mines ad assumenda aliqua signa congrua in ordine ad sacrificandum Deo, sicut lumine naturæ monentur ad instituendas voces in signa conceptuum atque ex Aug. lib. 10. de civitate Dei cap. 3. *Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum est, id est, sacrum signum est*; at non est signum ejusmodi interni sacrificii oblati ab iis qui externâ actione suum internum sacrificium significari nesciant ac nolint, sed alium interiorem ex communi gentis institutione exprimant. Confirmatur ex cremations thuris coram aliquo facta, quæ licet inter nos religiosum quemdam cultum indicet, non tamen inter Sinas, uti vidimus sub initium hujus capitis ubi primam illius diversitatis originem annotavimus.

NUMERUS XVI.

Mactatio victimæ non spectat ad essentiam oblationis & sacrificii interni inter Sinas.

Resp. 2°. Quamvis detur majorem propositionem veram esse, si mactatio animalis & actio immutativa rei oblatæ sit ipsa formalis oblatio seu actio oblativa, nihilo minùs si hæc actio immutativa sit tantummodò instar præviæ dispositionis ad oblationem, quæ formaliter fiat per aliam actionem, nego hanc mactationem animalis essentialiter esse sacrificium, at priori modo res se habet in sacrificiis ritu occidentalium peractis, unde

Digitized by Google

Sinas inter idololatras, qui peregrino ritu ex Occidente advecto utuntur, mactationes animalium & littratio seu effusio vini honoris causâ, sunt sacrificia, prisco verò ritu Sinensi tametsi solemnibus oblationibus macterur animal anteà ad id determinatum & post illam determinationem vocatum *sem* vel *hy sem*, unde in vocabulario describitur, istud *sem vivum* animal ante mactationem, tamen oblatio formaliter consistit in consequente actione, per quam ejusmodi animal pridie occisum tunc offertur, sive integrum, sive per partes, in quas sectum sit, lancibus imponatur, uti & aliæ res offerendæ, sive sint fruges, sive olera, aut etiam sericum.

Atque hæc omnia dum utrâque manu operantium illis sacris aliquantulum elevantur, & statim in storeâ, vel mensâ præparatâ deponuntur cum veneratione, tunc sanè censentur offerri non autem anteà dum animal mactatur, uti expressè docetur in *Ly Ky* lib. 8. fol. 34. profectò quæ actio est formalis oblatio, ea fit cum aliquo apparatu vestium, ministrorum, instrumentorum, loci, aliarumve circumstantiarum, quæ & deceant & indicent summam venerationem, cujus est protestativa; atqui inter Sinas hic apparatus comitatur elevationem ac depositionem supra dictam, quæ fit in loco per ritus destinato, scilicet altiori colle, templo vel aulâ, præcipuorum ministrorum, adeoque ipsius Imperatoris manibus, in vasibus certæ figuræ, materiæ, ac numeri, cum mactatio animalis in viciniori atrio vel campo, pro loci opportunitate ab

Digitized by Google

ordinario lanione peragatur. Quin etiam in *Ly Ky* lib. 7. negantur ii *qui victimam secant, debere vestem induere*, nempe rituum propriam. Eadem est ferè ratio oblationis vini, quæ post infusionem ex urnâ determinatâ in certos crateres ab ipso Imperatore in sacrificiis, & præcipuis determinatisque personis in aliis piis oblationibus certo quodam manuum motu in modum offerentis maximâ cum reverentiâ præstatur, de effusione vini in terram si quando intercedit, vel epotatione a circumstantibus posteà commodiùs dicetur.

Præterea illa solùm actio ad oblationis essentiam ex institutione pertinet, quæ ex morali & prudenti hominum æstimatione censetur esse de rei oblatæ traditione, ut suprà explicuimus, atqui inter Sinas, qui oblationes prisco ritu peragunt, traditio non fit per illam mactationem animalis, cui sæpe nec interest quidem ille qui offert seu tradit, quæque solemnem offerendi ritum non rarò præcedit multo tempore: ergo mactatio animalis non pertinet ad essentiam oblationis sinicæ. Excipiendum tamen videtur holocaustum, in quo ut diximus oblatio ac traditio fit per ipsam rerum totalem destructionem maximâ cum veneratione peractam, absque ullâ aliâ actione potiori, cui oblationis traditionisque ratio apud Sinas ac protestandæ subjectionis virtus tribui valeat.

Nec dicas ex vetusto sinicarum oblationum ritu interceſſisse cremationem alicujus partis adipis & intestinorum occisæ victimæ, quod ad stricti sacrificii, imò & holocausti rationem

Digitized by Google

adolendo pertinere videtur. Nam hujus combustionis longè diversam fuisse significandi rationem inter Sinas atque inter nos disertè aperitur in *cy ly*, ubi dicuntur hæc intestina olim cremata fuisse ad captandum ipsorum fumum loco odoriferi vaporis qui tunc inter Sinas exquisitus deerat, & quo postmodùm inducto ejusmodi crematio desiit.

Instabis primò. Quæ oblationes sunt earumdem rerum, & eodem genere actionis fiunt, eæ apud prudentes significare debent ejusdem generis affectum, atqui per illas primarias oblationes sinicas ejusdem generis res & eodem genere actionis offeruntur Deo, spiritibus, ac defunctis. Ergo eumdem latriæ cultum supremum ergà omnes aut ergà nullum ipsorum significare debent.

Resp. primò. Hoc argumento effectum iri, quod thuris, frugum, candelarum, ac similium oblationes, imò corporis inclinationes ac genuflexiones factæ Deo & Angelis in ipsâ urbe Roma, aut omnes aut nullæ sint cultus latriæ, cum res eadem similibus planè actionibus externis offerantur; quæ tamen falsa sunt, quando quidem uti ex Suario explicuimus cap. 1. mens & affectus cultum distinguit.

Resp. secundò. Si agatur de oblationibus ex naturâ suâ morali & institutione communi significativis alicujus certi cultûs veram esse majorem propositionem, sed falsam esse minorem ut constat ex dictis de modò sinico quo sacrificia uni Deo peraguntur; ista quippe semper aliquid includunt vi cujus externa

Digitized by Google

illa actio sit addicta supremo latriæ cultui, qui est sacrificium stricte sumptum ex institutione hominum Sinensium, a quâ obtinet oblatio facta modo proprio *Kiao* ut sit protestativa subjectionis debitæ Deo ut primo principio, Domino ac moderatori cœli & terræ. Quamvis enim circunstantia loci non sit de ratione sacrificii, ut oblatio est, ad illud tamen pertinere potest, ut talis signi rationem habet.

Aliæ actiones quæ in omnibus circumstantiis authoritate publicâ determinatis non sunt magis addictæ cultui divino quam angelico vel humano, eæ stricta sacrificia non sunt, imò nec cultus latriæ ex genere suo ac naturâ morali, sed tantùm ex intentione operantis, ipsas ad præcellentem illam venerationem divinam dirigentis, uti & accidit in plurimarum rerum oblationibus quæ inter nos fiunt aliquando ad cultum divinum, quandoque ad venerationem sanctorum, alias etiam ad honorem mortuis exhibendum uti fusiùs posteà exponetur.

Instabis secundò. Si mactatio victimæ non pertinet ad rationem sacrificii inter Sinas, poterit eâ sublatâ consistere sacrificium, si nempe fiat oblatio vel animalis vivi, quod posteà dimittatur, vel aliarum pretiosarum rerum absque ullo animali.

Resp. vel sermonem esse de eo quod fieri instituique potest, vel de eo quod revera factum institutumque fuit; si secundum nego absolutè sequelam cum ex libris & consuetudine sinicâ constet, vim illam protestativam

Digitized by Google

vam, quæ est formæ instar pertinentis ad essentiam moralem piæ oblationis Sinicæ, fuisse alligatam oblationi animalis integri ante oblationem mactandi, velut materiæ aptæ ad ejusmodi formam pro instituentium Sinarum arbitrio suscipiendam. Quod si de possibili agatur sacrificium Melchisedech in pane & vino ex communiori Theologorum sensu verè peractum, satis superque declarat, animalis mactationem aut etiam oblationem non esse omninò necessariam ad sacrificium. Utrum autem animalis vivi oblatio sine mactatione possit essentiam sacrificii obtinere, videntur negare Theologi, qui ad essentiam sacrificii requirunt destructionem quandam in re oblatâ, tametsi difficulter id probent, in sacrificiis Melchisedech & panum propositionis, multo sanè difficilius probaretur quod in hoc extremo orbe res oblata sine aliquâ sui destructione non sit apta ad vim protestativam sacrificii propriam, velut formam ex institutione Sinensi suscipiendam, cum ejusmodi materiæ aptitudo neque naturali neque divino jure determinata videatur, sed ad summum ex consensu omnium gentium occidentalis orbis qui ab hocce Sinensi adeo avulsus diversusque est, ac planè independens.

Digitized by Google

NUMERUS XVII.

Quam ob causam mactatio animalis intercedat in primariis Sinarum oblationibus.

QUæres qua de causa hanc animalis mactationem saltem præviam in suis primariis oblationibus Sinæ exegerint?

R. In primis, quoniam animal perfectum inter res Dominio humano ex naturâ suâ subjectas, sicque aptas ad oblationem & traditionem, est ex genere suo præstantissimum quid, ac si vivum perstet, commodè ac decenter sine strepitu offerri non potest, opus quippe foret vinculis, quibus constringeretur, deinde res offerenda ad piæ venerationis protestationem, debet, vel ante oblationem, vel per ipsammet constitui in eo statu in quo sit proximè apta, ut ipsius traditione externâ, significetur interna traditio per voluntatem facta ad venerationem, non autem in commodum illius cui offertur, & in quam perpetuò cedit; hæc namque est conditio oblationis puræ honorificæ respectu illius cui fit: ast hujusmodi deesse videtur in animali; quod si vivum perstet post oblationem, poterit debebitque postea ad alios usus adhiberi, cum nihil de pristino statu deperdiderit, sicque poterit iterùm alteri offerri, utpote quod non sit determinatum ut statim consumatur, uti determinatum est dum mactatum fuit, tunc

Digitized by Google

enim non secùs ac vinum e vestigio ebibitur à circumstantibus in eodem loco ad honorem illius cui oblatum est, ita & carnes, reliquæ aliæ reliduæ ex oblatis in ejusdem honorem distribuuntur, quod si integrum foret animal vivum, vix fieri posset, illud quippe tradendum esset unicuipiam qui eo in proprios usus pro arbitrio uteretur: oblatio itaque facta cum aliqua immutatione rei oblatæ, vi cujus ipsa res oblata ad ordinarios usus inepta fiat, aptior est ut per eam offerens demonstret velle se quod res oblata cedat in honorem, non autem in commodum illius cui offertur, ergo ritè in primariis ac perfectioribus honorificis oblationibus aliqua ejusmodi immutatio requiritur. Denique occisio ejusmodi in perfectâ oblatione honorificâ exigi potest in protestationem, quod qui rem istiusmodi offerendam destruit, animalque occidit, is paratus sit vitam ac sanguinem in illius honorem profundere, cui ea offert, non necessariò quidem ut vitæ suæ Domino, sed ut principio sive primo sive secundo, cui eam se debere acceptamque referre profiteatur; sicque mactatio illa animalis inter Sinas erit quasi proprium non quarto, sed secundo modo sacrificii strictè sumpti, cui scilicet omni, sed non soli conveniat; oblatio porrò in modum holocausti per totalem destructionem rei oblatæ ne Sinis quidem visa est apta ad aliam protestationem quam sacrificii strictè sumpti propriam, eò quod uni Deo cui sacrificatur sit debita protestatio perfectæ servitutis, ut Domino totius hominis, quoad ipsam quo-

que animam ; cujus uti ſolus creator eſt, ita ſolus plenum in eam dominium obtinet, ſoluſque dignus exiſtit, cui per totalem rei oblatæ conſumptionem declaretur affectus hominis ſe integrè & quoad utramque ſui partem, quantum in ſe eſt, reſtituentis ſupremo ac legitimo proprietatis & juriſdictionis Domino.

NUMERUS XVIII.

Triplex genus oblationum Sinicarum ex triplici ratione principii productionis & conſervationis in eo cui offertur inter Sinas.

OPpones ſecundò. Quæ oblationes tantam diverſitatem habent, quanta intercedit inter ſacrificia ſtrictè ſumpta & pias oblationes mortuorum merè civiles, eæ nonniſi ineptè peragi poſſunt cum tantâ illâ ſimilitudine tùm rerum oblatarum, tùm modi ipſas offerendi quanta in oblationibus factis Deo, angelis, ac ſpiritibus mortuorum reperitur.

Reſp. Si omnes ejuſmodi oblationes non habeant ſimilitudinem in ipſâ quoque virtute & excellentiâ perſonæ, quæ per illas colitur, concedo ; ſin aliquam ſimilitudinem licet imperfectiorem in ejuſmodi virtute obtineant, nego ; atque ut rem penitùs exhaurias adverte, quod cum oblationes munerum aptæ ſint ad ſolidam ſignificationem interioris obla-

Digitized by Google

tionis, quæ ipsis respondeat tunc sanè sunt aptissimæ, quando per illas testimonium redditur virtuti seu excellentiæ, in cujus recognitionem oblationes peraguntur. At recognitio hujusmodi quod huc spectat, duobus modis præstari potest, primò quasi debitæ titulo gratitudinis ergà eum, in quo veneramur virtutem quæ prodiit in actum benè de nobis merendo. 2. Quasi debita titulo strictioris aliquando justitiæ rem oblatam pendendo velut tributum ei, cui illam offerimus, ut debitam ratione dominii, quod in offerentem habet.

Priori modo fiunt oblationes merè honorificæ si fiant alicui, ut principio productionis & gubernationis; quæ ad conservationem spectat; posterioris generis erunt si fiant alicui tanquam Domino. Verùm ista ratio Domini simpliciter ac naturalis fundatur in ratione primi principii productionis ac gubernationis, quam D. Thom. suprà laudatus pro religionis objecto primario attributionis affert. Idcirco enim Deus est simpliciter Dominus vitæ humanæ, quia est primum principium illius productionis per se unum, infundendo animam, ad cujus creationem causæ secundæ sive universales, quæ sunt cœlestes, sive particulares quæ sunt progenitores, non concurrunt nisi dispositivè, & uniendo animam cum corpore, atque ipsius quoque corporis productio a Deo sic procedit, ut illud ipsemet regat ac conservet; quisquis autem quidpiam primò produxit, illudque regit ac conservat, jus acquirit ut de eo disponere possit sine al-

Digitized by Google

terius injuriâ, adeoque ut illius ſimpliciter Dominus ſit, atque ita exigit utis quem produxit ac gubernat, & cujus conſequenter eſt Dominus, ipſi quidpiam offerat, tum titulo gratitudinis in teſtificationem ac recognitionem accepti à principio productivo ac gubernativo beneficii, tum titulo ſervitutis exhibitæ per tributi ſolutionem naturali Domino factam. Ergo cum Sinæ offerant Deo ut ei quem norunt eſſe primum principium, originem & radicem rerum omnium, atque Dominum tam proprietatis *chu*, quam juriſdictionis *cay*, ſummum rectorem totius uniuerſi *xam ty* : (uti optabat ad ſacrificium D. Th. citatus cap. 1.) necnon animarum creatorem & ultimum finem, quippe qui eas è cœlo ſic emiſit per creationem, ut ad ſe ipſum in cœleſti palatio tanquam ultimum quietis ac perennis gloriæ terminum per mortem revocet, de hominis vitâ pro arbitratu diſponendo. Cum, inquam, hæc ita ſe habeant, nemo jure dubitare poteſt, quin primariæ oblationes Deo a Sinis ex propriâ inſtitutione factæ omnia ad ſtrictam ſacrificii rationem, requiſita obtineant.

Iidem vero Sinæ agnoſcunt ſpiritus tanquam principium productionis & gubernationis, univerſale quidem, ſed ſecundum dumtaxat, idque non ex naturâ ſuâ, ſed potiùs ex divinâ commiſſione, ac mediantibus aliquibus orbis partibus quibus præſunt cum dependentiâ a primo principio, & abſque proprio dominio, quod nempe ex ejuſmodi ſecundi principii ratione non fluit, imò

Digitized by Google

illi rationi aliquatenùs repugnat, uti cap. 2. diximus. Nam ſecundum principium per commiſſionem de rebus quarum gubernationi præpoſitum eſt, diſponere nequit pro arbitrio ſine injuriâ proprii Domini cujus ſunt, quique illas ipſi credidit conſervandas, non pro arbitratu deſtruendas permiſit; hinc fit ut oblationes ſpiritibus factæ in recognitionem beneficii productionis & gubernationis, atque in teſtificationem, iſtiuſmodi principii nempe ſecundi ac dependentis, non ſint inſtar tributi ac in recognitionem Dominii; quare multum a ſacrificio differunt, quamvis ſint oblationes religioſæ, uti explicuimus, utpote quæ ratione termini objectique formalis includant vim productricem ac conſervatricem ipſis ultrò a Deo conceſſam in finem ſupernaturalem, quam tamen ſupernaturalitatis rationem Sinæ non attendunt, ſed ſolummodo confusè ordinem quemdam ſuperiorem humano, quippe à ſupremo & inviſibili Monarchâ conſtitutum. Parentibus demum factæ piæ oblationes ſunt teſtes gratitudinis ergà ipſos, ut principium ſecundum & particulare naturale productionis, gubernationis & cujuſdam conſervationis per rectam educationem, quoniam iſtæ non fiunt progenitoribus neque ut primo principio neque ut Domino, a ſtricti ſacrificii naturâ longius abſunt, imò nec ſunt religioſæ cum ea, quâ nituntur, quamque ſpectant, principiandi ac gubernandi vis, merè naturalis ſit, non autem derivata a peculiari quâdam diſpoſitione ſupremi Imperatoris, eam ad ſuos proprios

Digitized by Google

altioresque fines dirigentis, sicque in celsiori gradu collocantis quam humana conditio postulet. Quamvis autem parentes, dum vivunt, præditi videantur dominio aliquo secundo vitæ ac necis in filios ob istorum generationem nativâ virtute factam, tamen post solutionem animæ à corpore desiit ejusmodi dominium fundatum in corporis parte à progenitoribus traditâ per potentiam generativam, quasi virtutem morte extinctam, quo fit ut non possint censeri oblationes defuncto factæ per modum solutionis tributi & hoc dominium respicere. Idcircò Sinæ non tribuunt Domini nomen spiritibus, nec mortuis quibus oblationes exhibent, nisi cum aliquo additamento, de quo capite sequenti dicetur.

NUMERUS XIX.

Quâ de causâ tò cy *in genere, latinè reddiderunt per vocem*, sacrificium, *latè & analogicè?*

COlliges primò. Quâ de causâ in vocabulariis Sinico Europæis, vox, *cy*, latinè reddatur per vocem, *sacrificium*, seu *sacrificare*, Etenim voces Sinicæ omnes monosyllabæ, simplissimæ ac planè immutabiles quoad sonum cum præ nostris vocibus admodùm paucæ sint, tamen res per illas significatæ longé plures sunt, quamque nostris significantur, quippe multas sæpe actiones ac passiones

Digitized by Google

passiones unâ duntaxat voce genericâ significamus, cum desint aliæ voces propriæ pro variis speciebus sub illo genere contentis; Sinæ verò præter nomen genericum nostro respondens, alia quædam adhibent inferiorum sub genere contentorum propria. Sic mors est dissolutio animæ a corpore in quibuscunque viventibus, Sinæ vocant *sú*; at Regis unius propria mors appellant *pûm*, gubernatio apud ipsos in genere est *chy*, at gubernationis Imperatoris propria est *cay*; recipere universim est *xen*, at recipere cum aliquâ reverentiâ, est *sim*, recipere autem cum summâ veneratione est *mûm*, offerre cuicumque & quâcumque ratione offeratur est *sûm*, offerre inferiori est *xám*, offerre superiori cum maximâ reverentiâ est *hien*, offerre merè ad honorem est *cy*. Antiquiores igitur patres destituti propriâ voce latinâ ad explicandam oblationem purè honorificam in genere, quamque Sinæ exprimunt voce *cy*, usi sunt voce *sacrificium*, quæ majorem habere videbatur affinitatem, etsi non identitatem cum *cy* Sinico quoad significatum, adeò ut *tò sacrificium* non sumatur tunc strictè, pro supremo cultu latriæ, sed latè, uti & nos vocem *adorationis*, quandoque stricte usurpamus pro cultu latriæ, aliàs latiùs acceptam extendimus ad quemlibet religiosum cultum, & nonnunquam ad ipsam eximiam positivam venerationem. Atque lata quædam vocis *sacrificii* significatio, & acceptio in nostrâ quoque Europâ & ipsis sacris codicibus non est insolens, neque in SS. PP. audi Augustinum libro 11, de civit. cap. 5. in

Digitized by Google

epiſtola quæ *inſcribitur ad hebreos benefacere*, inquit, *& communicatores eſſe nolite oblivisci, talibus enim ſacrificiis placatur Deus* & infra, *porrò autem miſericordia verum ſacrificium eſt.*

Sacrificium latè dici poteſt de iis oblationibus quæ cum oblatione perfecti ſacrificii ſimilitudinem aliquam habent, ſive ex parte materiæ, ſive ex parte formæ, non omnimodam quidem, perfectam, ac planè eamdem ſed imperfectam quæ partim eadem, partim diverſa dicitur a philoſophis. Unde ſacrificium ſtrictè dictum eſt univocum reſpectu variorum ſacrificiorum ſtricte ſumptorum, in quibus omnibus e ſingulis habet rationem communem ſacrificii penitùs eamdem : ſacrificium autem latè acceptum non eſt merè æquivocum, neque univocum, ſed analogum reſpectu ſibi ſubjectarum quaſi ſpecierum, in quibus rationem eo nomine ſignificatam communem habet partim eamdem, ac partim diverſam, ut vulgo aiunt, de voce *entis*. Sacrificium igitur latè, prout reſpondet *cy* Sinico eſt oblatio honorifica, ſeu oblatio facta ſolummodo ad venerationem proteſtandam erga eum cui fit : hæc verò in triplex quaſi genus ſubalternum dividitur ratione perſonarum triplicis generis, quæ per illud genus ſupremum oblationis coluntur, nempe Deus, ſpiritus, ac mortui, nam vivos illos hoſpites non attendo, erga quos oblationes ejuſmodi primariæ, imo & præcipuæ è ſecundariis jam pridem ceſſarunt, ita tamen ut ad earum inſtar iſtæ fiant, ex illo trito apud Sinas axiomate, *ſervire mortuis ut vivis*. Tres

Digitized by Google

iſtæ oblationis honorificæ ſpecies inter ſe conveniunt in materiâ proximâ, etiam præcipuâ, quæ eſt animal mactandum ad oblationem ipſius faciendam, modo ſupra inſinuato, qui in tribus illis fere idem eſt exteriùs, uti cap. ſeq. clarius fiet. Differunt tamen penes aliquam ſaltem circunſtantiam, quæ in ſacrificio quidem ſtrictè ſumpto, quod eſt inſtar primarii analogati reperitur, non autem in aliis oblationibus, quæ ſunt quaſi ſecundaria analogata ſacrificii latè ſumpti. Ratione formæ quæ eſt vis proteſtativa interioris reverentiæ, aliquatenùs quoque conveniunt, in eo nempe quod omnia ſint proteſtativa reverentiæ & ſubjectionis debitæ principio gubernationis ac productionis; at plurimum differunt, quoniam hæc gubernandi principiandique virtus, quæ eſt terminus formalis prædictæ ſubjectionis, in Deo tanquam primario analogato ſimpliciter ac ſine addito utpote in primo principio gubernationis ac productionis reſidet, in ſpiritibus verò ac mortuis tanquam in ſecundariis analogatis non invenitur niſi ſecundum quid & dependenter ab illâ divinâ eximiaque virtute primarii analogati. Inſuper forma ſacrificii Sinici adæquata præter vim proteſtativam ſubjectionis debitæ primo principio gubernationis ac productionis quaſi partialem, includit aliam præcipuam ſitam in ſubjectione exhibitâ Domino per modum penſitationis tributi, atque hæc in ſecundariis analogatis ſacrificii latè ſumpti, quæ ſunt piæ ſpirituum ac mortuorum oblationes, nullatenùs reperitur.

Digitized by Google

Sic igitur ratio ſacrificii latè ſumpti in iſtis tribus ſpeciebus tam ratione materiæ, quam ratione formæ, eſt partim eadem, partim diverſa maximam verò ratione formæ diverſitatem habet; quo fit ut propriè ſit analogia attributionis non mera æquivocatio nec univocatio. Sinæ ab his ſe tricis nullo negotio expediunt in ſuâ linguâ, quæ ſacrificii latè ſumpti proprium nomen ipſis ſuppeditat *tò cy*, & aliud præterea planè diverſum ſtricti ſacrificii nomen ſubminiſtrat, quod genericè eſt *Kiao*; aliud item inſignis ſpeciei ſub illo genere contentæ quæ eſt *luy* aliud denique proprium nomen holaucauſti, quod eſt *chay*, nos tamen tribus iſtis nominibus non utimur ad ſacrificium ſtrictè ſumptum exprimendum, quoniam illa ſunt inſtituta a Sinis ad ſignificandam ſtricti ſacrificii eſſentiam, unà cum modo ipſius proprio inter Sinas, qui modus non idem eſt in aliarum gentium ſtrictis ſacrificiis, multo minùs in auguſtiſſimo novæ legis ſacrificio.

Tutius ergo ſatiuſque viſum eſt uti communi voce ſacrificii latè ſumpti, quæ per aliam vocem *tien chu* ad ſacrificium ſtrictè ſumptum & verum determinetur, quamvis & iſtud quandoque per antonomaſiam & brevitatis cauſâ, *cy* ſine addito nuncupemus; cæterùm ex Sinico etiam conceptu ſacrificium ſtrictè ſumptum eſt perfectiſſimus latriæ cultus, cum ſit cultus immediatè ſpectans divina attributa primi principii ac ſupremi Domini, *xi puèn chù cay*, ut vocant, idque per modum oblationis ſeu traditionis externæ re-

Digitized by Google

tum, loco sui ipsius affectus, imo cordis ac personæ, ut cap. 4. manifestius evadet, qui est perfectissimus modus reverendi, ac testificandæ eximiæ virtutis illius personæ cui oblatio exhibetur; unde in *Ly Ky* lib. 7. fol. 46. *Oblatum supremo Imperatori sacrificium Kiao, est venerationis summum & apex* kiao kim chy chi yè. *De piâ vero mortuorum oblatione subdit, quod sit duntaxat pietatis erga homines*; cum miao chy cy gin chy yè atque lib. 8. fol. 13. *sacrificium supremo Imperatori factum seu oblatio* kiao *est maxima gratitudinis significatio & conversio ad suum principium* kiao chy cy yé, tá páo puèn fan xy yè.

Colliges secundò. Quâ de causâ peculiares oblationes honorificas sanctis viris Sinæ non constituerint, quod nempe nullam in iis virtutem peculiarem principii productionis ac gubernationis distinctam agnoverint ab eâ, quam liberos procreando & sustentando exeruerunt dum viverent, imò principium conservationis ac gubernationis dici ex officio nequeunt, uti de spiritibus asseritur sed tantum meri intercessores appellari apud supremum Imperatorem cui carissimi sunt tanquam aulici Regi assistentes, sine peculiari munere, quod gerant, requiem duntaxat captantes ob ritè perfunctum munus quod in corpore habuerunt, tunc quidem *chum chiu*, fideles subditi; nunc autem, *chum chin* subditi amantissimi.

Digitized by Google

NUMERUS XX.

Quam ob causam honorificæ Oblationes Sinicæ piæ vocentur ex genere suo.

COlliges tertiò. Quam justâ de causâ honorificas oblationes nomine *cy* significatas nos pias vocaverimus; nam ex cap. 1. pietatis proprium est colere parentes & consanguineos quos inter primum locum obtinet Deus, solus animæ creator qui vitam nobis per productionem impendit, ac per gubernationem conservat; angeli verò secundas tenent velut secundum principium universale productionis ac gubernationis, in tertio loco progenitores consistunt, atque alii cum debita proportione & ordine mortui, quasi consanguinei & affines quibus sua aliqua principii particularis gubernationis ratio non deest. Per ejusmodi oblationes, honorifica pietatis officia Deo spiritibus ac defunctis exhiberi non obscure declaratur lib. 4. de off. fol. 7. dum jubentur homines *servire cœlo uti serviunt parentibus, & servire parentibus uti serviunt cœlo*, utrisque nimirum ex proprio filialis amoris ac pietatis sensu. Et in *Ly Ky ta cuên* lib. 7. fol. 6. *calendorum mortuorum ritus extensus fuit ad cultum spirituum velut cognitione conjunctorum*, & fol. 19. *Pietatis soliditas consistit in parentum obsequio.* Spiritus præsides corporibus universalibus, cœlestibus, plantis, quatuor anni tempestatibus ac similibus sunt parentum loco respectu omnium

Digitized by Google

hominum, quorum productioni ac gubernationi vacant: præsides verò partium mundi minùs universalium, putà montium ac fluminum sunt instar parentum, respectu hominum in iis plagis degentium; at respectu aliorum qui in diversis regionibus versantur, videntur quasi affines ob naturale moraleque vinculum, quod inter ipsos & alios vicinarum terrarum præsides spiritus intercedit, quod nemo dubitet planè accommodatè dici ad mentem Sinarum qui spiritus illos cum Sinis Mandarinis comparant; imò & Mandarini, ut vidimus, nomine appellant, cum istos continuò ac præcipuè oppidi præfectum, utriusque parentis *fú mím* appellatione insigniant. In ipso certè textu lib. 8. fol. 27. *distinctè affertur duplex universim pietatis genus, unum erga numen ac spiritus, alterum erga defunctos qui convivalibus oblationibus instar hospitum honorarentur.*

Quoniam tamen singularum familiarum quasi tutelares quinque spiritus, *ù fú*, dicti sunt particularia duntaxat gubernationis principia non universalia, uti reliqui spiritus, idcircò dum ritus ordinant veteres Sinæ, ejusmodi spiritus constanter postponunt manibus progenitorum quibus nempe potiores in ratione particularis principii gubernationis partes deferunt. Consule lib. 5. de off. fol. 41. & seq.

Digitized by Google

NUMERUS XXI.

Piæ oblationes Sinicæ omnes Eucharisticæ sunt deprecatoriæ Deo & spiritibus fiunt; propitiatoriæ soli Deo exhibentur.

COlliges quartò. Pias illas oblationes ex genere suo videri Eucharisticas, seu institutas ad referendas grates principio productionis ac gubernationis, vel primo vel secundo universali, vel demum particulari; omnes item oblationes ejusmodi ad cultum mortuorum determinatas esse merè Eucharisticas, non autem deprecatorias aut propitiatorias ex institutione suâ, cum nihil per eas, ut ostendimus, petatur sed in panegyricis illis orationibus inter offerendum usitatis, de quibus nos infra perpetuò utantur voce *pao* quæ tota remunerationis est.

Quod adtinet ad pias spirituum oblationes constat ex dictis cap. 2. non esse propitiatorias cum remittendorum peccatorum potestatem uni supremo Imperatori, non aliis quibuslibet spiritibus genuini Sinæ tribuant. Multæ tamen uti suprà retulimus deprecatoriæ sunt, quippe ad avertendas calamitates, & conciliandam spirituum adminiculo prosperitatem institutæ.

Denique sacrificia propriè dicta cùm omnia per se primò Eucharistica sint, nonnulla quoque etiam ordinaria in modum deprecationis institutæ fuisse ex prædictis patet. Illorum

Digitized by Google

rum præterea nonnulla propitiatoria seu expiatoria in remissionem delictorum instituta fuisse, saltem extraordinaria, non obscurum videtur ex relato superiùs dicto & facto Regis *tam*, qui nigrum taurum adhibebat in victimam ad expiationem, tum suorum si quæ essent peccatorum, tum execrandorum flagitiorum impii prædecessoris *Kie*. Tres illæ species oblationis deprecatoriæ scilicet, Eucharisticæ, & expiatoriæ disertè proponuntur in *Ly Ky* lib. 8. fol. 2. *Honorificæ oblationes vel sunt deprecatoriæ vel Eucharisticæ vel ad scelerum condonationem.*

Quamvis porrò Sinæ formalitates istas principii gubernationis ac productionis, benefactoris, parentis & consequenter virtutis religionis, gratitudinis, ac pietatis quæ ab illis rationibus velut terminis formalibus specificantur non manifestè assequantur ac distinguant, istud tamen abundè nobis est quod oblationes ejusmodi ergà eos instituerint, quos istiusmodi dotibus instructos norunt, extollunt, ac per illas ipsas oblationes venerari se professi sunt.

NUM. XXII ET ULTIMUS.

Piæ oblationes Sinicæ ex objecto suo formali non sunt superstitiosæ.

COlliges ultimò. Pias illas oblationes Sinicas non esse superstitiosas, nedum idololatricas quoad substantiam, quam actiones

Digitized by Google

morales petunt ex objecto formali seu fine *qui* & *cui* intrinseco, ad quem ex naturâ suâ tendunt, nam sacrificia simpliciter dicta soli Deo fiunt per oblationes primo principio gubernationis & productionis ac Domino vitæ & necis, sacrificia latè sumpta & per analogiam exhibentur spiritibus tanquam principio secundo universali gubernationis & productionis, quatenus isti constituti sunt præsides, non Domini, aliquarum orbis partium a Deo, a quo determinatam hanc præfecturam obtinent. Hic ipsorum cultus religiosus est, quo digni existunt, non tamen latriæ, sed duliæ, cum ipsis deferatur, non quasi divinâ perfectione præditis, sed velut extrinsecâ divinâ commissione affectis & instructis.

Sacrificia latè dicta seu piæ oblationes fiunt demortuis parentibus tanquam primario cuidam analogato, inter eos homines quibus oblationes purè honorificæ exhibentur, eò quod isti magis strictè ac propriè sint naturale principium productionis ac gubernationis, verum merè politicæ sunt, nullatenus religiosæ aut cultus latriæ, multoque minus stricta sacrificia, cum sint cultus qui pro termino formali spectant homines ut instructos olim naturali virtute producendi ac gubernandi, quam ex sincero legitimoque erga filios, propinquos, aut amicos amore exeruisse supponitur. Nunc examinandum restat, utrum ejusmodi oblationes, aliivè cultus Sinici præsertim erga mortuos ex aliquibus circumstantiis superstitionem contrahant.

Finis Cap. tertii.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De circumſtantiis cultus Sinici ac præſertim piarum oblationum.

NUMERUS I.

Solemnis cultus mortuorum confertur cum eo qui vivis exhibetur.

DIfficili in loco multiſque tricarum ſpinis conſito verſatur diſputatio noſtra: in maximas redacta eſt anguſtias Sinica pietas, præſertim erga defunctos, adverſus quam teſtis omni exceptione major inſurgit, quippe Miſſionarius Apoſtolicus in utraque Hiſpaniâ ac Philippinis inſulis percelebris, oculatus teſtis eorum prodit, quibus cum Patres Societatis intereſſe nunquam auſi ſint, ſpectator ipſe & ſagaciſſimus ex inſidiis explorator adfuit, acutiſſimam & in ſuperſtitionem maxime intentam aciem ac memoriam nihil circumſtantiarum ſubterfugit, quæ inſpexit ac pervidit ea meminit ac recitat. Quid porro? Vidit honoratiores unius familiæ viros non paucos ac mulieres, quos inter nonnulli propriâ litteratorum togâ induti eminebant: ſpatioſam omnes in aulam convenire, cujus in medio juxta parietatem oblonga

Digitized by Google

mensa lignea vel lateritia affabile facta extabat: huic imposita visebatur statua venerandi senis, qui totius stirpis truncus perhibebatur, aliæ erant ad latera dispositæ mensæ cum tabellis ligneis ferè sesqui pedalibus, in quibus variorum ex eâdem gente illustrium virorum nomina, obtenta olim dignitas, ortus obitusque annus, mensis ac dies inscripta cernebantur: singulas mensas geminum ornabat candelabrum cum cereis accensis & vase ad cremandos odores Idoneo. Ii ex astantibus qui primas ac secundas tenere ratione ætatis aut dignitatis videbantur, aliquid vini ex urna hausti in cratere accipiunt, ac nonnihil coram statua ac tabellis in modum offerentium sic attollunt, ut statim ipsi vel ebibant, vel in mensâ deponant: oblationem præcedit ac sequitur moderata corporis inclinatio, cujus præstandæ admonet offerentes ac circumstantes altiori voce, is è parentibus vel affinibus cui hæc cura eo die incumbit; succedit caput porci vel capræ impositum disco, quod familiæ caput simili cum veneratione offert, atque in mensa reponit, donec omnes discedant: discedunt verò statim atque singuli coram defunctorum majorum statuâ vel tabellis aliquid suffitus incendérunt, sibi invicem ac toti familiæ felicitatem gratulati, majorem deinceps ac perennem apprecantur.

Absolvat, obsecro neque veritatis indagandæ cupidissimos quidquam præ verecundiâ cetet. Quid præterea gestum? nihil omnino; omnes illicò pransum abierunt.

Nunc ego pium ac prudentem lectorem

Digitized by Google

interrogare non verebor, utrum hîc recenſita ejuſmodi ſint, ad quorum expoſitionem expediat liceatve non modo deridiculè uſurpare anguſta *ſacerdotis*, *diaconi*, *ſubdiaconi*, *acolythi*, *altaris* nomina, verum etiam, (horreſco referens) comparationem inſtituere cum ſanctiſſimæ hoſtiæ ac ſacro ſancti calicis elevatione, adeoque & cum profundiſſimâ adoratione, quæ quot annis tot intercepta ſingultibus & rigata lachrimis pretioſiſſimo ſalutis noſtræ inſtrumento ac vexillo ipſiuſque ex eo pendentis ſervatoris imagini exhibetur; judicium eſto penes ſacræ Inquiſitionis tribunal, attamen ut ſanius judicium de rebus Sinicis feratur, liceat mihi quoque breviter referre, quod ipſemet conſpexi.

Canckum civitas eſt inter urbes quidem provinciæ *kiam ſy* ſecunda, ſed inter munitiones totius Imperii facilè prima, in quâ ſedem figit potentiſſimus Prorex, quo cum ego familiariſſime uterer, Sinicæ urbanitatis leges non ſinebant natalem ipſius diem quotannis recurrentem præterire, quin ad ipſum ſalutaturus, gratulaturuſque accederem; aderant in hoſpitum anteriori aulâ, quatuor provinciarum, ad quarum partem ipſius ditio protenditur, nobiliſſimi quique viri, civici ac militares præfecti, ſplendidioribus quas cuique geſtare fas eſt togis vel ſagis induti ingreſſum præſtolabantur, cum ecce buccinnarum clangor, numeroſi exercitus præfecti adventum prænuntiat, illicò explodunturbombardæ, inflantur tubæ, tympana perſonant, ingentes valvæ pateſcunt. In

Digitized by Google

ampliſſimæ interioris aulæ remotiori parte theatri in modum aſſurgente, throno non abſimile conſpiciebatur, ex auro & ebore elaboratum ſubſellium, quod purpureâ, & auro ac ſerico intextâ veſte ſuperbus Prorex immotus occupabat, caput tegebat leonina pellis in rotundum efformata pileum, cujus in ſummitate eminebat aurea turricula gemmis unionibuſque coruſcans; utrumque latus ſtipabant varii ordinis nobiles ac miniſtri ſuis quique inſignibus, coloribus, & inſtrumentis, quæ manu prendebant, diſtincti, arrectis omnes auribus, intentiſque oculis ad Domini nutum expediti ſtabant; ſexaginta & amplius menſæ ſpeculo terſiores, hinc inde aulæis veſtitæ, omnis generis carnibus, vinis, cereis, ſuffitibus onuſtæ, non injucunda fragrantiâ ac venuſtate oculos nareſque recreabant, aures potiùs obtundebant quam mulcerent hinc inſtrumentorum bellicorum cum muſicis permixtorum continuus, nobiſque tam inſulſus, quam Sinis jucundus fragor, inde verò in exteriori atrio mugientium vaccarum, balantium ovium, & caprarum, grunnientium porcorum, cantantium, ſtridentium, gementium multiplicis generis altilium confuſi clamores.

Exſcendit ex inauratâ ſellâ geſtatoriâ octo ſplendidis bajulis vectâ præfectus militiæ procerâ corporis ſaturâ, ac decorâ canitie venerandus, necnon Regio paludamento, quod nuper ex ipſius Imperatoris manu maximorum in rempublicam tartaricam meritorum ſingulare monimentum acceperat. Grandævus

Digitized by Google

ac vegetus ſenex plurimâ ducum coronâ cinctus ſubit, præunt quatuor ſupra viginti honoratiores famuli qui odores, & ſexdecim qui cereos, ſingulis ſingulos ac diverſi generis deferant, non pauciores penè ſequuntur, qui eduſia ac vina geſtent, adeò ut hæc cereis, illa odoribus ex æquo reſpondeant; ad numeros gradientem diceres, ea erat inceſſus majeſtas, is inſtrumentorum nunc bellicorum nunc muſicorum alternatim concentus, qui nobis inconditus fragor videtur. Vix pedem in aula poſuerat, cum profundè primùm inclinato corpore, mox flexo utroque poplite proſtratus, ſolum ter capite ferit, atque cærimoniarum magiſtro ne quidquam ex ſolitæ comitatis legibus inclamante ac rogante ne eò ſe abjiciat, iterùm ac tertiò pronus adorat, interpolatas ſalutationes feſtivis clamoribus cominùs circumſtantes, & eminùs reboantia tormenta bellica per totam viciniam circumferunt.

Tum certatim omnes accurrunt, primores quidem debito ordine, reliqui verò turmatim, pro ſe quiſque inſtat, offert, adorat. Annon tolerabilius hic foret quam in obſequiis mortuorum, *altaria*, *diaconos*, *ſubdiaconos*, adeoque *ſacrorum antiſtitem* appellitando fingere? non dubito quin olim aliquo ſimili, viſi forte minùs illuſtri ſpectaculo perterrefactus aliquis mercator exterus in Europam aufugerit, & ea P. Joan. Petro Maffeo renuntiavit, quorum novitate perculſus, hiſtoriæ Indicæ lib. 6. Sinis abſurdiſſima multa, ſed hic prorsùs inaudita adſcribit inter quæ ait; *non pauci muta*

Digitized by Google

ſimulacra vel etiam informes adorant lapides, namque ii Dii gentium ſunt; ad hæc artis cujuſlibet inventores alioſque privatim, aut publicè benemeritos, quidam etiam parentes caroſve in numina referunt, iiſque ſtatuas ponunt & vota faciunt, & adolent thura non vivis modò, ſed interdum etiam, quod magis deteſtere, viventibus.

Nobis nihilominùs res ipſas palpantibus exploratum omninò eſt, nullum e Sinis quantumlibet rudibus aut adulandi cupidis eſſe qui de divinis honoribus aut etiam religioſis alicui mortalium deferendis cogitet, quos nimirùm plerumque poſt aliquod tempus exauthorari, & quandoque catenis onerari cernunt, ſi Imperatorem excipias, quem tenuem ipſum, quamdiu ſaltem infirmitatis humanæ miſeriis mortique obnoxium ſpectant, procul eſſe intelligunt a numinis prærogativis, quas illorum ipſorum nemo ſibi unquam arrogavit. Et vero quem anteà vidimus, Proregem proprii natalis feſtivo die, humillima magnatum officia tantâ cum majeſtate excipientem, is ipſe paucis poſt diebus in eodem paludamento, eademque Sinicâ cydari redimitus, nec abſimili tam nobilium ac ſatellitum apparatu, quam bombardarum ac tympanorum ſtrepitu in Societatis templum invectus eſt; ac primum quidem ad Chriſti naſcentis, tum ad Deiparæ, & demum ad Principis Angelorum pedes toto corpore in terram proſtratus quater accidit. Frendebat intereà dæmon, ſtupebant Ethnici, verum Neophyti, plaudentibus cœlitibus triumphabant.

Superiùs

Digitized by Google

Superiùs recenſita proculdubio merè politica, velim ſedato animo conferantur cum iis quæ religioſiſſimus vir in aulâ majorum diſpexit, ut diſcernatur ſpecie externâ cultuum religioſorum, ab ipſis cultibus religioſis inter Sinas. Quod ut ſolidiùs præſtetur, ſingulas circunſtantias actionis moralis hoc verſiculo comprehenſas percurramus.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

NUMERUS II.

Honorificarum oblationum adminiſtri.

PRima denotat perſonam & principium effectivum actionis moralis, quæ in hoc noſtro negotio, eſt oblatio; principium autem illud eſt offerens, nempe cum authoritate, aut ſaltem publicâ veluti deputatione, quando fit oblatio nomine & in gratiam communitatis.

Quod ſi agatur de oblationibus Deo factis, quæ ſolæ ſunt propriè ſacrificium, illarum peragendarum poteſtas, ſemper uni Imperatori conceſſa fuit in Sinis, unde cum ante tres annos, [a] tam ſcrupulosè omnia divinæ legis inſtituta in ſupremo Regiæ tribunali examinarentur, ab amicis magiſtratibus moniti ſunt Patres, ne ſe Deo ſacrificandi *cy tien* poteſtate præditos dicerent, ſed tantum offerendi Deo *hién*, quod latius inter Sinas patet, cum ad offerendos odores, aliave quaſi priva-

[a] *anno 1665.*

Digitized by Google

ta minoraque munera se extendat. Quod autem in Imperatore, sacerdotalem ac Pontificiam dignitatem Sinæ venerentur, nemini mirum videri debet, cum in lege naturæ, ex quâ res suas metiuntur Sinæ, id omnibus populis commune esset, sive ex jure gentium, sive ex jure naturali oriretur, ut constat de Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, ne gentes commemorem, visumque fuit Hieronymo ep. 126. ad Evagrium, & Ruperto. lib. 5. in Genes. cap. 12. Quod primo geniti & regni hæredes essent simul sacerdotes cujus rei rationem Papa Nicolaus ad Nicolaum Imperatorem ex eo repetit, quod essent typus Christi Regis simul ac sacerdotis, unde post abolitas figuras utraque dignitas debuit separari.

Verum Anacletus Papa cap. 2. negat in iis sacerdotibus simul ac regibus extitisse *sacrificandi sacerdotalem autoritatem*, nempe a Deo institutam. Id peculiare fuit Sinis ut in suo Imperatore sacerdotalem dignitatem simul cum regiâ non tam ex hominum quam ex divinâ institutione suspicerent, eò quod suum Monarcham ex peculiari Dei seu cœli mandato, *mim* vocant, delectum & creatum putarint, sine cujus mandati manifestis signis Imperii habenas capessere nefas ducebant, ac propterea priscis temporibus non semper succedebat patri filius, sed is qui magis acceptus videbatur invisibili Cœlo seu Deo, quem pro parente Imperator agnoscebat, atque adeò hodiernâ die successio in Imperio non est addicta primogenito, sed ei quem pater digniorem

Digitized by Google

judicarit, quâ in re nihil nisi rectissimæ rationi, sanctissimæque religioni conforme statutum esse per se patet, quamquam nulla, fateor, hujus Sinicæ existimationis firma fundamenta suppetunt.

Imperatori sacrificanti aderant principes, seu reges tributarii, non quasi sacerdotes, quippe qui immediatè ab Imperatore, non autem à Cœlo constituti essent, sed tanquam illustres ministri, ut fusiùs narratur ex libris de officiis, ubi & aliqui alii, ex optimatibus adjutores in sacrificio velut inferioris ordinis ministri commemorantur, nobiles passim ac plebeii non adhibebant nisi remotum quemdam concursum, conferendâ scilicet ope in alendis animalibus ad sacrificium destinatis: videtur tamen illustrioribus quibusdam viris licuisse Deum aliquibus eduliorum oblationibus colere, sed dubium est utrum publicâ autoritate, an privatim duntaxat & sine solemnitate, cum scribatur in *ye kim: sapientes offerunt supremo Imperatori*, *pum*, vel *hem*; est autem *pum* ex vocabulario *muen my cy*, *honorifice offerre intra domesticos parietes.* Certe hæ oblationes non erant de genere primariarum *chim cy*, quæ solæ sacrificia propriè apud Sinas videntur.

Oblationum spiritibus faciendarum potestatem a cœlo una cum sacerdotio acceptam sic obtinebat Imperator, ut hanc regibus aliquatenùs communicaret, cum aliquâ Imperii sui portione, necnon majoribus quibusdam aulæ vel provinciarum præfectis, qui omnes spirituum solemnes oblationes autoritate publicâ peragere valerent ipsis etiam nobiliori-

Digitized by Google

bus ſpiritibus præcipuis cæli, terræque partium præſidibus. Nec immeritò propter ſimilitudinem quamdam adminiſtrationis, quæ intercederet inter optimates ejuſmodi ac ſpiritus, cum publicum orbis in certas partes diviſi regimen, iſte inviſibiliter acceptum cum ſolâ dependentiâ ab Imperatore cœleſti; illi viſibiliter, cum debita terreſtri Imperatori ſubjectione procurarent, utrique ex ſui Monarchæ conceſſione & deputatione, perpetuâ tamen in regibus ſeu dynaſtis, ſed limitatâ, neutri verò ex ſuâ propriâ naturâ.

Secundarias oblationes privatim minoribus ac Domeſticis præcipuè ſpiritibus exhibere licitum erat privato cuique familiæ capiti; idque jure quaſi naturæ, ac cœleſti quodam illius mandato, qui dum appoſuit familiæ cuſtodes, eos ſincera ac ſolida oblationum veneratione a propriis clientibus affici poſſe debere annuit.

Ex eodem jure profectam exiſtimarunt piarum oblationum etiam ſolemnium majoribus faciendarum propriis in aulis proteſtatem, quæ totius familiæ ac ſtirpis capiti ſic inerat, ut *chym cy* oblationis Dominus ſeu præpoſitus diceretur, alioſque duos ex ejuſdem familiæ primariis peritioribuſque officiorum viris ſibi adſciſceret, alterum dictum *fú cy*, adjutorem oblationis alterum *ly ſem* cærimoniarum magiſtrum ſeu baccalaureum, iſte verò geſtu ac voce monet quis cultus ab omnibus quaſi ſimul ex condicto exhibendus ſit, ne inconditè & perturbatè procederetur, adeò tamen ut citra Imperatoriam familiam poſſit abſentis

Digitized by Google

patris-familias vices alius quidam ex honoratioribus ejuſdem familiæ ſupplere. Conſule lib. *chum jum* cap. 17. & 18.

Sacerdotis nomen ritè tribuitur Imperatori, utpote ſacri ſimpliciter dicti ſeu ſacrificii peragendi poteſtate prædito, atque ex ipſâ, ut putant, deputatione divinâ. Verum regibus qui ſuæ ditioni præſidibus ſpiritibus duntaxat offerre per ſe & non tantum adjutorum inſtar, poterant, nulla ſacerdotalis poteſtas aut dignitas competebat, cum hæc ſtrictè loquendo ſpectet ad ſacrum ſimpliciter ſeu ſacrificium velut primarium & immediatum ſuæ functionis terminum. Neque ſufficit quod ad ſacrificium mediatè, & ad alias ſacras functiones inferiores immediatè poteſtas aliqua ordinetur, ut patet in diaconis & ſubdiaconis, qui tamen ſacerdotes non ſunt, atque iſtis ipſis nominibus compellari non debent Dynaſtæ, aliique optimates Sinici, niſi admodùm impropriè, cum ex inſtitutione eccleſiaſticâ ejuſmodi nominibus deſignetur ea ſacra poteſtas, quæ per conſecrationem quamdam collata ſpiritualem caracterem imprimat, quod in ſuis magnatibus nuſquam Sinæ ſomniarunt, multò verò minùs iſtiuſmodi nominibus inſigniri poſſunt præpoſitus vel adjutores piæ mortuorum oblationis : quoniam iſtorum poteſtas nullatenùs ſacra eſt, quippe neque tradita per conſecrationem, neque ad munus ſacrum ſeu religioſum, nedum ad ſacrificium ordinata ſed merè civilis pietatis eſt, quæ intra humanæ conditionis terminos coercetur, quibus nempe deffinitur virtus illa de-

Digitized by Google

functorum quondam procreatrix & conservatrix, ob quam illæ fiunt oblationes quæ in ipsâ velut in termino venerationis formali conquiescunt. Nomina certè quibus in *Kia Ly* passim ii designantur qui prædictas functiones in oblationibus mortuorum obeunt, & merè politica sunt, & eadem planè cum illis quæ in *cay* fol. 22. Inter honorificas vivarum convivantium oblationes imponuntur, nimirum qui præest honorificæ oblationi sivæ piæ ac funebri, sive convivali *chu gin* Dominus domus; qui hinc in oblatione faciendâ juvat, *che fu che*, quasi prendens ac porrigens offerenda; qui ritibus moderatur *can che*, quasi præco officiorum, suæ quoque fœminis sunt partes, etiam primæ in oblationibus mortuorum, in quibus mater familias non minus offert defunctæ matri, *py chù* vel *py xin* dictæ, quam pater familias defuncto patri *cao* vel *xin chù* appellato, illaque est *chù fú*, uti hic *chù gin* ex *cy ly* fol. 5. atque fol. asseritur filius loco patris & frater natu minor loco natu majoris ægroti, aut absentes ob negotia publica posse oblationi præesse, ubi & præco oblationum ex iis deligitur, qui peritiores sunt cærimoniarum, quæ omnia merè politicæ esse institutionis, non autem religiosæ ex sacrâ ordinatione prodeuntis, nemo non intelligit.

Digitized by Google

NUMERUS III.

De rebus quæ offeruntur.

SEcunda circumſtantia, *quid* res offerendas continet, de quibus univerſim dici poteſt in omnibus triplicis generis oblationibus, eſſe res ſolidiores, & in genere ſuo præſtantiores ad ſuſtentationem & conſervationem vitæ ex communi uſu adhiberi ſolitas.

Probatur. Tum quia res ejuſmodi omnes & ſolæ ſunt aptæ ad formam piæ oblationis ex prudentum inſtitutione ſuſcipiendam: cum enim hæc forma ſit vis ſignificandæ ſubjectionis debitæ Deo, ſpiritibus, aut parentibus tanquam principiis gubernationis in ordine ad conſervationem aut etiam productionem exhibitæ, oblatio eorum quibus uti conſuevimus ad vitam conſervandam eſt apta ad hanc proteſtationem non autem oblatio aliorum, tametſi hæc magnifiant, ut Elephantes, Cameli, & ſimilia; tum quia non aliâ de cauſâ, cerei & odores non ſunt materia idonea ſacrificio Sinico etiam latè ſumpto, quam quod licet res ſint aptiſſimæ ad cultum exhibendum illi, cui ſive per combuſtionem ſive aliâ ratione offerantur, non ea tamen ſunt, quibus homines uti ſoleant ad ſuſtentationem & conſervationem vitæ, ſed potiùs ad oblectationem juvamenque ſenſuum, quorum ſunt objectum ex naturâ ſuâ, & ſi forte per accidens nonnunquam curationi morborum inſerviant.

Digitized by Google

Dixi, *res praſtantiores ex genere ſuo*, cujuſmodi ſunt in genere animalis quadrupedia perfectiora, cerui, tauri, capræ, &c. nam minùs perfectis animalibus non utuntur in ſuis primariis oblationibus, tanquam victimâ, quæ integra offerri queat, atque iſtiuſmodi imperfectioribus, inter illos priſco ritu de quo hic agimus, accenſentur volatilia, aquatilia, *Ly Ky* lib. 1. fol. 26. multò magis inſecta aliaque immunda, aut ad eſum paſſim non adhibita, in conviviis tamen apponi ſolita ad paſcendos hoſpites; adhibent iſta quoque velut primariæ oblationis munera, ut patet ex *cy ly* fol. 2. ubi inter offerenda proavis numerantur anſeres, gallinæ, anates, fumoſa caro, piſces. Utrum porrò animal integrum ad oblationem deſtinatum mactandumque dici victima debeat, lis eſt de nomine, quæ ſic dirimenda videtur, ut dicatur victima latè, ſumpta nimirum pro quocunque animali, quo vivum anteà determinetur ac poſt occiſionem offeratur alicui integrum ad honorem dumtaxat ipſi exhibendum; at extra divinam oblationem dici nequit victima ſtrictè ſumpta, hæc enim eſt animal mactatum in proteſtationem ſubjectionis debitæ ei cui mactatur offerturque, tanquam numini. In genere viventium vitâ dumtaxat vegetativâ præditorum reponunt fruges & olera multiplicis generis; in genere liquorum, vinum quod in ſacrificio propriè dicto pretioſum erat & confectum *ipſa manu Imperatoris, qui ipſe arabat terram, quæ tantum ferret frugum quantum capiebant vaſa ſacrificii; ex milio & herbis odoriferis vinum ipſe conficiebat*,

Digitized by Google

tiebat. ut his serviret supremo Imperatori. Ita diserte scribitur lib. 14. offic. fol. 39 addit Mencius. *Reguli item arabant terram, & adjuvabant Imperatorem ut una simul offerrent frugum vasa in sacrificiis.* Hæc materia ita communis erat triplicis generis oblationibus ut ex his rebus non quælibet temerè offerri possent, sed certa quædam ac determinata pro majori præstantiâ ac solemnitate oblationis, habitâ ratione finis peculiaris ob quem offerebantur ac personæ, cui & à quâ offerebantur.

In oblationibus mortuorum offerebatur etiam quandoque sericum, utpote pretiosissimum, inter ea quibus homines uti solent ad vitæ conservationem vestibus procurandam, ne tamen ad hunc vestiendi usum, & non purè ad honorem offerri videretur, sub finem cærimoniæ igne assumebatur. In holocausto *chay* gemmæ & sericum consumenda offerebantur Deo, ut quod natura arsque præstantius homini suppeditant, totum se Deo acceptum referre hoc saltem sacrificio testarentur, atque ita Deo non tantum gratias ut vitæ suæ principio, sed etiam tributum ut universorum Domino persolverent, sic tamen ut ista ad vitæ sustentationem per seſe non spectantia nusquam solitariè offerrentur tanquam piæ oblationis materia quoad substantiam, sed potiùs adventitium quoddam essent, hodieque sint oblationis ornamentum aut complementum. Denique ex *Ly Ky* lib. 14. fol. 5. *Quidquid a cœlo procreatur, & in terra crescit, aliquando secundaria oblationis materia esse potest.* In oblationibus exquisito ritu peractis offertur aliquid

Digitized by Google

ad veneratiónem antiquiſſimi ritûs illius temporis, quo vinum nondum confectum fuerat quod offerretur; in oblationibus mortuorum ordinariis additur *chu* à matre familias, nec omittuntur alia eſculenta inferiùs recenſenda. Imo ex *tum ly* fol. 17. fiebat quandoque ſecundaria lignorum oblatio, quam fieri ſolis, lunæ, ac cæterorum planetarum, necnon ignis ſpiritibus, per lignorum ipſorum combuſtionem, ait interpres *Ly Ky* lib. 7. fol. 38.

Ac de illis quidem prædictis animalibus, frugibus, ac vino dubitet nullus, quin juxta naturæ lumen ac legem apta ſint, quæ ad religioſas oblationes adhibeantur, cùm præſertim in lege naturæ ac ſcriptâ, à Patriarchis & Prophetis, ipſo Deo ſæpiùs jubente vel approbante uſurpata fuerint. Quia tamen antiqua omnia ſacrificia typica erant, & figura ſacrificii à Chriſto in cruce vel cœnaculo offerendi, idcircò lux umbris, & figura rei ac veritati figuratæ cedere debet, quò fit ut cæteris omnibus ſacrificiis à morte Chriſti Domini ſublatis, nunc aliis rebus ad ſacrificium uti non liceat, quàm pane ac vino in Chriſti ſanguinem convertendis.

Difficultas ſolummodò poteſt moveri de cultu mortuorum ad quem ejuſmodi res adhibeantur. Verùm ex allatâ ratione conſtat iſtud luminis naturalis dictamini non adverſari, neque aliundè uſum extat divinum præceptum vel Eccleſiaſticum, ſive mandatum ſive conſuetudo generalis, iſtud prohibens. Quamvis enim id vetuerit olim D. Ambroſius Mediolani, necnon alii ſancti Antiſtites

Digitized by Google

in Eccleſiis ſuæ ditionis ob peculiares cauſas; numquam tamen univerſalis fuit hæc prohibitio, cum teſte Auguſtino lib. 6. confeſſ. cap. 21. iſtud ipſum eodem tempore permitteretur in Affrica & aliis partibus, atque iſtis eduliis ad cultum mortuorum utuntur in multis Hiſpaniæ Regnis, & in aliquibus Germaniæ Galliæque Provinciis. At quo pacto nullam ex pravo fine notitiam in Sinis, ejuſmodi rerum oblatio contrahat, commodiùs infrà oſtendetur, cùm de circumſtantiâ finis agemus, nunc ad circumſtantiam loci tranſeamus.

Prius tamen moneo nihil eſſe quod quemquam exterreat ſupra memoratum porci caput in aulâ majorum à coactis ejuſdem familiæ conſanguineis oblatum, juxta ritum videlicet familiæ *yn*, apud quam caput animalis primas inter offerenda obtinebat ex *Ly Ky* lib. 7. Nam ejuſmodi caput, una cum vino, ſuffitibus & candelis portatili menſæ impoſitis, recens adventanti magiſtratui à plebe in ſingularis venerationis teſtificationem, per fæpe offertur.

Verùm cave exiſtimes avitos verorum ac rectorum ſpirituum cultus per victimarum oblationes Chriſtianis licitos eſſe; prorsùs vetantur, tum quod ab univerſalis Eccleſiæ conſuetudinibus abhorreant, tum quod ſcandalo ſuperſtitioniſque periculo obnoxii ſint ob affinitatem ac ſimilitudinem quam cum ſuperſtitioſo novorum ſpirituum cultu nacti fuere.

Digitized by Google

NUMERUS IV.

Vbinam Deo inter Sinas ſacrificatur.

DEo cujus eſt orbis terrarum ſacrificandi non erat olim determinatus locus in modum ædificii ſeu templi fixi ad eam rem deſtinati, uti nec in tota lege naturæ, atque adeo in moſaica uſque ad tempora Salomonis qui primus templum Deo vero poſuit. Extra urbis mœnia ſacrificabat Imperator ut plurimum quaſi in ſuburbiis *Kiao* dictis unde nomen *Kiao* ordinario ſacrificio tributum eſt, ibi vel tumulum quemdam terræ *Tan* appellatum conflabat, vel certè in præſtantiſſimo ſacrificio ſolum duntaxat verrebat, appoſitum ex *Ly Ky* lin. 8. fol. 18. Neque erectio lapidum quaſi in titulum inſtar Patriarcharum quandoque defuit.

Primus autem inter Sinicos Imperatores templum ſupremo Imperatori erexiſſe memoratur in animalibus Imperator *Hoâm ti* nomine *cao* anno ante Chriſtum 2684. Quem poſteà ſic imitati ſunt ut nulla in iis templis effigies extet, ſed tantum appenſæ vel inſcriptæ parieti hæ duæ litteræ *xam ti* ſupremo Imperatori. Situm eſt extra urbis regiæ mœnia, neque in eo vel potius juxta illud alius quiſquam præter Imperatorem ſacrificare poteſt; atque hocce anno paulo poſt ſuſceptam Imperii adminiſtrationem junior Imperator ſolemne in eo ſacrificium obtulit, quod eodem tempore ad repræſentandam ſupremi illius

Digitized by Google

Imperatoris clementiam de more majorem reis per totum Imperium graviſſima etiam ſcelera pauciſſimis demptis ampliſſimè remiſit, veteri ſolemniſſimoque ritu *Kiao Ke* perfunctus de quo ſuprà diximus.

NUMERUS V.

Vbinam ſpiritibus religiosè offerant Sinæ.

SPiritibus ſeu Angelis templa non poſuerunt Sinæ, propterea quod templum ad eorum cultum ſatis determinatum eſſe putarent in montibus & fluviis ex indè erumpentibus, quibus ſingulis tanquam ſpectatiſſimis orbis partibus ſinguli ſpiritus præſident, reliquis quos vocabant *pe kim* centum ſpiritibus, ſeu turbam inferiorum ſpirituum, in ſuis quiſque ædibus decenter ac ſine ſolemni ritu oblationes offerebat, uti inſinuatur in lib. 3. & 9. de off. ubi clariùs declaratur familiæ cuilibet præfectos eſſe ad illius cuſtodiam ſpiritus quinque, quorum maxime notus eſt *cao*, ad cujus oblationes certi dies aſſignantur in Kalendario, eſt autem ſpiritus præſes foci culinæ maximè neceſſarii ad parandum cibum & potum quibus vita ſuſtentatur, hic autem ſpiritus exprimitur nomine foci uti ſpiritus montium & fluminum nomine *xan chuen* atque in lib. *kia ly* diſertè vocetur *cao xin* quem oblationis tempore ita compellant fol. 30. *Præſes focis domeſtici ſpiri-*

Digitized by Google

tus, totum illud nititur tua ope & subsidio, tibi ad remunerationem servio tantummodo, o spiritus spectes benignè hanc oblationem.

Verum tamen ante aliquot sæcula singulis in urbibus & oppidis extructum est templum spiritui tutelari illius loci quem vocant *chim hoâm*, & muros & fossas, nempe civitatis cui præsidet ex usitatâ locutione gentis, qui locorum præsides sive spiritus sive magistratus nomine ipsiusmet cui præsunt loci appellare solet ut cap. 2. vidimus.

In hoc templo Mandarini sacrificia etiam latè sumpta non peragunt, sed ceram duntaxat, & odores certis diebus offerunt ac juramento fidelitatis Imperatori se obstringunt, dum magistratum ineunt; illius curam demandant curandique stipendium iis persolvunt, qui magis arrident, & quamvis isti sint graviores quidam *Tao su*, istis tamen nullum suæ idololatricæ sectæ simulacrum aut cærimonias in ejusmodi templum inferre licet, sed in ipso omnia ex prisco, vel sanè communi & superstitioni idololatricæ minimè addicto ritu præstantur erga unum ex illis spiritibus, quos cum debitâ supremo Imperatore dependentiâ antiqui venerabantur. Sinæ ad fana idolorum passim pergunt de rebus futuris sciscitaturi, eos nempe interrogant quibus futurorum notitiam quasi nativam ac propriam deferunt, quod solius divinitatis attributum est, at nihil ejusmodi sit in templo tutelaris, quippe de quo à priscis usque temporibus sciunt ac testantur inferiorem esse Deo, qui solus omnia planè providet nec spi-

Digitized by Google

ritus omnium ſuorum arcanorum participes facit, ſed variis duntaxat orbis partibus velut ſui regiminis adminiſtros præficit ſtatuam ſpiritui illi collocarunt, ne rarius aut minori tum veneratione frequentaretur hoc templum & ſpiritus à vulgo coleretur, ex quo plebs quæ ſenſu plurimum ducitur, aſſueta eſt fanis idolorum plenis ſimulacrorum, ad quorum conſpectum excitatur circumſtantium religio, falſa quidem ac ſuperſtitioſa, ſi feratur circa perſonam indignam cultu, qui ei in propoſitâ ipſius ſtatuâ exhibetur; vera autem fuerit religio, ſi eo quo convenit modo ſpiritus angelicus in ſuâ effigie colatur, uti & olim angelis propitiatorium tegentibus in lege veteri, & angelis cuſtodibus in novâ, ſuæ imagines ac ſancta veneratio non deſunt.

NUMERUS VI.

de imagine Chim Hoam, *& ſacramento fidelitatis.*

PAter Franciſcus Futardo in manuſcripto narrat ſe à Doctore Michaëlo audiviſſe quod olim in templo *chim hoam* loco ſtatuæ extabant in altari deſcriptæ litteræ *chim hoam xin* ſed per ignorantiam plebis omnia ad inſtar idololatrarum peragentis in aliquibus locis celebratum feſtum *chim hoam* in modum nativitatis, ac licet Imperatoris mandato ſemel atque iterum ejuſmodi ſtatuæ ſublatæ ſint poſtea per abuſum denuò reſtitutas ut

Digitized by Google

craſſioris plebis oculis ſerviatur, atque hic natalis *chim hoam* alicubi celebrandi abuſus inde originem traxit, quod cum eſſet humanâ propriâque figurâ deſtitutus exhibendi ejuſdem cauſa plebs variorum in variis urbibus magni nominis virorum imagines mutuata eſt ad ſpiritum illum tutelarem decentiùs exprimendum cui & virorum illorum appellationem & feſtivum natalem attribuit.

Colliges nihil de ſe ſuperſtitionis includere ſacramentum fidelitatis ſupra relatum, quod à Mandarinis coram illâ ſpiritus tutelaris ſtatuâ præſtatur. Superſtitioſum, inquam, non eſt neque ratione ſtatuæ vero angelo poſitæ, neque ratione ſpiritus repræſentati qui teſtis invocatur ſinceritatis cum quâ fidem ſuam regi ad munus politicum juxta æquas regni leges rite obeundum obſtringit; attamen cum in tantâ ignaræ plebis perturbatione & ſtatuarum externâ ſimilitudine ſuperſtitionem redolere videatur, juramentum factum coram tutelaris ſpiritus ſtatuâ, idcirco Societatis Patres ſemper Mandarinis Chriſtianis denuntiarunt, ut quantum fieri poſſit ab illius templi ſolemni ingreſſu abſtinerent; nonnulli addidere, ſi mandata regia ipſos ad ejuſmodi templum, vel ſacramenti vel alicujus religioſi cultus cauſâ adeundum cogerent, tunc omninò ſecum crucem deferrent, quam in ſuffituum menſâ honoricè collocatâm cum candelis hinc & inde accenſis unicè & palam venerarentur, quo peracto tametſi aſtantes aliqui ſtatuam illam tutelaris pro idolo haberent, nemo tamen non intelligat

Digitized by Google

intelligat Mandarinum procul abesse à voluntate illius colendi, quem vel contemnere vel certè nullatenùs tunc temporis honorare velle declaret. Etenim si quis Ethnicus Dei templum solemni apparatu ingressus jubeat secum deferri idolum, quod in altari repositum pronus adoret, nemo sit quin existimet Christum cujus imago inibi perstat, potiùs injuriâ quàm veneratione ab Ethnico affectum esse, quia nimirum actio externa est venerativa ac protestativa cultûs interioris erga personam illam; quæ spectatis omnibus circumstantiis judicatur a prudentibus honore externo affecta ex amino illius venerandæ, neque verò Imperatoris mandatum aliò pertinet quam ad cultum Deo & spiritibus ex majorum sensu exhibendum, cum ipsemet Imperator ac rituum tribunal præse ferant exteriùs avitæ religionis observationem, & idololatricæ contemptum, quidquid habeant in animo qui per edicta non manifestatur, cujus rei illustre exemplum edidere quo tempore in divinam legem severiùs inquirebatur; cum enim adversarius inter præcipua accusationis capita recenseret sententiam ex uno è nostris libris depromptam, quâ *Foe* caput idolorum Sinicorum in inferis cruciari affirmabatur, minutissima quæque accusationis capita scrupulosiùs persecuti sunt, de hoc tamen quod multi gravissimum futurum arbitrabantur, ne verbum quidem fecere, usque adeò constat cultus religiosos externos ex præscripto Imperatoris ac tribunalis exhibitos, vi Regii mandati ad idololatricæ su-

Digitized by Google

perſtitionis proteſtationem nihil prorſus attinere, ac nominatim de fidelitatis ſacramento ante paucos annos potuit in obitu *xin cei*, quo tempore cum omnes regni proceres in palatio convocarentur ad fidem de more novo Imperatori jurejurando obſtringendam, adfuit cum reliquis P. Joannes Adamus ob eam quam tunc gerebat mathematicæ præfecturam atque cum negaret ſe coram ullo idolo, ſed tantum coram Deo optimo, maximo, juramentum præſtare poſſe, annuerunt omnes, imò præſtabilius illud eſſe permulti exclamarunt.

NUMERUS VII.

De avorum aulis.

DEnique apud Sinas in qualibet non ignobili familia ſuæ ſunt progenitorum aulæ, ſed quæ templa ſtrictè ac propriè appellari non poſſunt, ſive aularum formam moralem ſpectes ſitam in deſtinatione ad proprium finem & uſum, ſive materiam illius formæ proximam conſideres, quæ in peculiari ſtructurâ & conformatione ædificii conſiſtit, ſive demùm nominis Sinici, quo exprimitur primævam impoſitionem ac præſentem acceptationem attendas. Templum ſtrictè & propriè loquendo eſt ædificium deſtinatum ad ſacros ſeu religioſos cultus ei exhibendos, cui templum ponitur; atqui avorum aulæ ſunt deſtinatæ ad cultum progenitorum majorumque omnium unius familiæ,

Digitized by Google

qui neque ob divinitatem quæ ipsis affingatur, neque ob virtutem supra humanæ conditionis fastigium eminentem coluntur, sed ob communem omnibus ac merè naturalem producendi, gubernandique virtutem, ut supradiximus, ac præsertim eò pertinet solemnis oblationum cultus, ad quem sunt per se primò institutæ ejusmodi aulæ, in quibus certis anni diebus, præcipui quique ex eâdem familiâ conveniunt, atque cereis, odoribus, frugum & nonnumquam eduliorum oblationibus, memoriam defunctorum parentum recolunt veneratione merè politicâ, ut fusiùs explicuimus; neque materia illorum ædificiorum proxima seu structura & configuratio cultum aliquem religiosum tanquam proprium illorum finem indicat quippe ædificium est sine ullâ superiori contignatione, quæ tecti conspectum intra ipsum stantibus prohibeat, magis latum seu longum est quam profundum, atque ita exporrectum ut valuæ omnes ac fenestræ in medio apertæ prospectum versus meridiem habeant, duplici columnarum ordine, intres veluti partes distinguitur, quarum media laxior sit; idem præterea tectum ac parietes, hinc inde ad orsum & occasum aliquantulùm protenduntur, ad duo quasi cubicula conficienda *siam fam*, vocant, seu connexas ædiculas, quamvis alii putent, per *siam fam* designari ædiculas alias paulò demissiores in ipso atrio, hinc inde sibi invicem è regione oppositas, quod parum refert, hæc quidem aularum majorum illustriorumque constructio: quod

ſi laterales illæ ædiculæ ſint ; de minorum aularum numero ſunt. Atque ejuſmodi fabricæ apud Sinas extant deſtinatæ non modò ad religioſum Dei aut ſpirituum cultum, ſed etiam ad venerationem inſignium virorum benè meritorum de republica, ac ſuperſtitum in ſummis quandoque miſeriis & ſqualore carceris, uti ego ipſe vidi ; imò ad excipiendos hoſpites in Principum ac magiſtratuum etiam exauctoratorum palatiis patent. Igitur hæc ſtructura in Sinis indifferens eſt ad finem tam ſacrum quàm politicum, neutri verò addicta. Porrò avorum aulæ ſi majores fuerint vocantur *cum miao*, ſi minores *ſin tam*, vel *cu tam*, quæ nomina ex primâ ſuâ impoſitione, ſignificant nomen explicatæ ſupra ſtructuræ de ſe indifferentis ad uſum ſacrum vel civilem, ut patet ex vocabulario minore quod ita deſcribit *miao*, ædes cum collateralibus ædiculis ad ortum & occaſum ; certè in *Ly Ky* lib. 5. de offic. fol. 18. 28. 30. 42. commemorantur quatuor *miao* in quibus Imperator variis anni tempeſtatibus habitet, quæ ad quatuor mundi plagas diſpoſitæ ſunt.

Prima *mim tam tay miao* auſtralis : Secunda eſt orientalis *tay miao tay ye* : Tertia occidentalis *chum chum tay miao* : Quarta ſeptentrionalis *hiven tay miao tay ye*. At præter viventis & mortuorum Imperatorum aulas, aliæ quoque illuſtriorum virorum aulæ, avorum in libris Sinicis paſſim vocantur, *cum miao*. Hæc itaque vox *miao* in ſuâ ſigninificandi vi imitatur latitudinem vocis *ci*, atque uti *tò ci* de ſe abſtrahit à præſtantiſſimo cultu honorificarum

Digitized by Google

oblationum, tum ſtrictè divinarum quæ ſunt ſacrificia, tum purè religioſarum quæ fiunt ſpiritibus, tum etiam merè politicarum quæ mortuis hominibus & quandoque vivis exhibentur, ita *miao* eſt ædes ad præſtantiſſimos illos cultus deſtinata, atque uti per adiunctam vocem *xam ty* vel *xin* vel *cum*, determinatur oblatio ut ſignificetur divina, vel ſpirituum, vel merè politica avorum, ita dum ad vocem *miao* accedit alia vox ſignificans perſonam, cujus cultui ædes deſtjnata eſt, tunc determinatur ad ſignificandum templum ſtrictè ac propriè ſumptum, ſi perſona hujuſmodi in Sinis habeatur pro numine, vel vero ut *xam ti*, vel fictitio ut *fe* & *pû ſa*, aut ſaltem pro ſpiritu tutelari ut *chim hoâm miao*; quando verò additur nomen perſonæ, quæ nullo cultu religioſo digna vulgò habetur ut *cum miao*, avorum *miao* & *tien ſu miao* Imperatoris *miao*, tunc determinatur ad excludendam rationem templi propriè dicti, & deſignandam rationem ædis amplioris ad cultus merè politicos deſtinatæ, ſive aulam latinè reddere placet, ſive templum late acceptum pro ædificio deſtinato ad honorificos cultus, ſeu religioſi ſint illi, ſeu merè politicæ pietatis, eo fere modo quo Tullius pro domo ſua ad pontifices dixit de curiâ Romanâ, *curia eſt ſedes ac templum publici concilii*, ſed vox templum uſurpari non debebit niſi cum addito avorum vel benefactorum, uti & Sinæ aiunt *cum miao*, *tien ſic miao*. Idem cum proportione dicendum de voce *ſû* quæ minus ædificium ſupra deſcriptum ſignificat, & de ſe a ſacrâ

Digitized by Google

vel profanâ seu civili æde abstrahit.

Quod ad præsentem vocis acceptionem attinet, usus invaluit ut nomen *miao* non tribuatur, nisi ædibus destinatis vel ad religionem numinis, ac spirituum sive priscorum sive modernorum venerationem, vel certè ad politicum piumque cultum erga eos defunctos qui regio titulo gaudent; quo circa neque aula Imperatoris vivi, neque ipsorum magnatum defunctorum aulæ nunc vocantur *miao*. Quo pacto nomen *miao* aulæ Confucii competat postea tradetur; omnes verò defunctorum subditorum Regi honorificæ aulæ vocantur *su tam* vel *sù tam* quod si quæ unius hominis extruantur aulæ ad honores, eæ quoque *su tam* appellantur, ac sæpe docet *ven cum* præcipuè in *tum ci* fol. 31. & 34. jampridem non licere aliis quam principibus uti *cum miao*, sed reliquos contentos esse debere ad cultum majorem *sù tam* inferioris ordinis aula, cui nempe desunt collaterales ædiculæ; imo addit vulgus uti minoribus aulis, quæ nullâ columnarum serie intùs distinctæ sint, unde eas appellat *ye kin chi*, *cu tam* vel *nyan*, cùm ampliores aulas appellet *san kien chy chu tam*, quamquam in usu communi voces *nyam* & *cû* sine additamento *cù* vel *cù cum*, usurpantur pro minori æde dicatâ religioso cultui seu spirituum, quâ de causâ vocabularium minus *cû* descripsit *xin hò kiu*, quasi locus quem spiritus incolunt, quod nempe in eo ipsorum simulachra colantur.

Adverte hic obiter illas majorum aulas seu templa latè accepta, fuisse quoque dicta *sû*,

Digitized by Google

quasi oblationum domesticarum ædes; atque lib. 3. off. fol. 69. vox & littera *sú* pertinet ad oblationes pias quæ domi fiunt, unde & traducta est ad significandos spiritus tutelares & quasi penates domesticos, quos Sinæ quinque enumerant qui videlicet quinque Sinicis elementis respondent, eosque vocant *u sú* & *vai xin*, seu *quei xin vai*, spiritus externos ut ab animabus, quæ sunt quasi intrinseci, defunctorum parentum spiritus illos discernant, & quinarium numerum certum pro incerto commodius apponant; avorum templa ex *Ly Ky* lib. 4. fol. 18. sive ad splendorem decusque ædificantis, sive in gratiam populi ab Imperatore extruebantur septem, & præfectis primi ordinis *tà sú* dictis tria, à Doctoribus *sú* appellatis duo, à litteratis ordinariis & quasi plebeiis unum; plebs autem nullam ne suis quidem avis aulam exædificabat, neque pro avis solemnes præstabat oblationes in ampliori præcipuâ & quasi inferiore communi aulâ, sed in alia anteriori instar porticus, dicta *cin*, inter quam & majorem aulam atriolum quoddam interjacebat, atque istius structuræ veluti duplicata connexaque ædificia cum ejusmodi intercapedine visuntur etiamnum plurima vetusta, quorum alia ad cultum idolorum, alia ad honoratiorum virorum habitationem pertinent, cæterùm in prima trium illarum aularum *cào miáo* dictâ colebatur uterque parens; in secundâ *vaû caò miaó* offerebatur avis; in tertia *huâm cao miao* proavis debitus cultus exhibebatur; non desunt tamen qui negent

aulas fuisse publicas ad usum populi, sed plebeios atriolum quoddam seu porticum *cin* dictum domi sine aulâ habuisse, in quo oblationum obsequia quisque majoribus præstaret.

NUMERUS VIII.

De Mensâ in modum altaris positâ.

IN illarum aularum medio juxta parietem ut plurimùm cernitur arte factum aliquod oblongum in modum mensæ vel altaris, alias ex ligno, alias ex lateribus calce oblitis confectum, in quo thus & candelæ reponuntur; istud verò nullatenùs vocari potest *altare* strictè & propriè dictum, inprimis, quoniam juxta Divum Aug. lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum sacrificamus, quamvis in memorias martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit offerimus tibi Petre aut Paule aut Cypriane, sed quod offertur, offertur Deo.* Altare igitur est arte factum ad sacrificia & sacras oblationes vel faciendas, vel saltem ad oblata religiosè collocanda destinatum, tanquam ad finem proprium, atqui arte factum positum in aulis avorum non est ejusmodi, cum nullæ in eo religiosæ oblationes fiant, sed ad summum ex civili naturalique pietate oblata in eo posteà reponantur non in ipso consumenda, sed inde mox ad vulgares usus aliò deportanda, deinde tametsi materiæ sit

ac

Digitized by Google

ac ſtructuræ ſolidioris ad majorem firmitatem ac diuturnitatem, tamen iſtud ipſum reperitur in aliis arte factis planè quoad figuram ac ſitum ſimilibus, putà in aulis publicis, quæ ponuntur illuſtrioribus ac bene meritis viris ſuperſtitibus, quibus etiam abſentibus aulæ ac ſuffitus ad honorem accenduntur ſine ullâ religionis ſpecie, ergo hæc compoſitio & configuratio abſtrahens a politico & religioſo cultu ac uſu, nullum determinatè indicat religioſum uſum ad quem ex eſſentiâ ſuâ morali altare propriè dictum tendit; neque Sinica vox peculiaris eſt inſtituta ad ejuſmodi arte facta denotanda; cujus rei cauſa hinc petenda eſt, quod actiones illas oblationis conſtitutivas in ipſis etiam ſacrificiis non peragebant in menſâ ad id præparatâ ac dedicatâ; ad perfectionem enim oblationis parùm conducere putabant cujuſmodi eſſet illa menſa, modò in promptu eſſet aliquid arte factum accommodatum ad decenter reponendas res quaſlibet uſui futuras ad cultum illius cui fiebat oblatio; unde nos ad explicandum altare cogimur uti voce *tai*, quæ generalis eſt & quodcumque altius ac ſolidum arte factum, etiam, turrim & propugnaculum ſignificat, addimus itaque litteram *ci* ad *tai*, quaſi diceres altior machina ſacrificii. Verum neque res oblatæ neque ipſa repreſentatio ſeu tabella illius, cui offertur in fixâ illâ menſâ tempore ſolemnis oblationis reponuntur, ſed in aliquâ è quatuor uſualibus menſis quæ aliquantò ante oblationem in aulam vel porticum inferuntur, & qua-

rum alteram sæpiùs assumunt ad præstandum *hiam ngam* seu *hiam Ki* mensam odorum, in quâ odores in suâ capsulâ, vas in quo cremandi sunt, cerei aliaque nonnulla, coram ipsis vivis aut eorum sanè statuis adhiberi solita, collocantur, uti videre est in *cili* fol. 2. & sequentibus, ubi inter vasa seu instrumenta inter oblationem adhibenda, quæ omnia enumerantur, ne verbum quidem de illâ stabili machinâ, quasi nullius planè ad piam oblationem usûs nedum altare censeri possit, sed in *tum ly* vocatur *ço* quasi sustentaculum tabellæ scilicet, vel imaginis, quæ ipsi extra tempus oblationis incumbit.

Quamvis autem peregrini ritus sacrificuli, similibus machinis utantur in suis fanis ad impia sacrificia ex proprio ritu in ipsismet peragenda, illæ tamen uti nec illarum constructio ac figura sunt ab idololatris invecta, sed potiùs peregrini idololatræ, Sinicis tum ædificiis tum mensis ad justas vereque pias oblationes excogitatis ad sua profana sacra abusi sunt, parùm aut nihil in exterioribus illis immutando, ne Sinarum animos exterorum rituum contemptores ac domesticorum tenacissimos abalienarent a suâ pestiferâ doctrinâ, cujus virus faciliùs instillaretur si sub consuetâ exteriori specie de se ad bonum ac malum indiferente latitaret. Quam ex voto res eis successerit, fatalis experientia demonstrat, ex quâ tamen minimè effectum est, ut ædificia ac mensæ antiquæ polluerentur, nisi ubi perversa significandi vis aut potius usus eis accedit ex peculiari ac prævia determina-

Digitized by Google

tione factâ per inductionem alicujus nefarii ſimulacri ſeu Idoli quod in idololatrarum templis nunquam deeſt.

In avorum aulis aliquibus licet paucis extat ſtatua illius è proavis, qui primus honorem in familiam intulit, hæcque effigies vel in prædictâ mensâ vel in loculo, intra ipſum parietem idoneo locatur; verum iſtud ad venerationem religioſam adeoque ad ſuperſtitioſam non attinet, nam ex mente veterum Sinarum, teſte Confucio ſupra citato ex lib. *Kia yu* imagines ejuſmodi in aulâ majorum ita diſponebantur ut malorum effigies è regione proborum collocarentur. *Boni & mali in ſpeculum poſteris offeruntur, ut illorum virtutes, cum horum vitiis collatæ magis eluceſcant.* Nunc autem iis imaginibus utuntur ad faciliorem recordationem illius quem repreſentant, & ad quem per ſe primò honores diriguntur, non autem ob virtutem ac præſtantiam quæ divinum quid ſapiat, cum ſæpè caput pro ſapiæ cujus ſtatua perſtat, vix mediocris virtutis moralis vir habeatur, ſed titulos illos refert ac dignitatem civilem, quæ ab ipſo velut nativo fonte ad poſteros dimanavit.

NUMERUS IX.

De tabella avorum.

ALiud eſt quod ex veteri inſtituto, & inviolabiliter hactenùs obſervato numquam deeſt in ejuſmodi aulis, imò neque privatis ipſorum plebeiorum ædibus tabella

Digitized by Google

nempe lignea, cujus altitudo duodecim digitorum geometricorum, latitudo octo digitorum est. Huic defunctorum nomina debito antiquitatis ordine cum eo quem obtinuerunt, honoris gradu inscribuntur, servatur in arculâ seu capsulâ ligneâ aliquantò majore affabre factâ, & quæ rudem quemdam imperfectamque corporis humani ac præsertim capitis in superiori parte delineationem præse ferat, istud verò totum superstitiosum Europei nonnulli sustinent, & protestativum erroris, exquo Sinæ credant animas defunctorum inibi vel semper, vel certè identidem ventitantes considere, quod se ab aliquibus de plebe accepisse aiunt, ac designari tam nominibus quam figura tabellæ.

Istam opinionem hoc argumento universim convello. Hæc tabella neque ex primævâ institutione neque ex præsenti abusu est protestativa illius erroris qui contrarius est tum veterum instituentium placitis, tum modernorum omnium pravis dogmatibus, contraria quippe judicia in eodem intellectu, non consistunt, nec una voluntas eodem signo apposita significare intendit nisi secum ipsa stolide pugnet. Atqui præfatus error tum veterum tabellam instituentium, tum modernorum eâ utentium, placitis adversatur, veterum quidem ut cap. 2. vidimus sentientium animas a corpore solutas sursùm omnes ascendere, ergo nullas in hac tabella residere, præsertim verò proborum virorum, quos ad supremi Imperatoris excelsissimum palatium ac solium euehi judicabant, neque

Digitized by Google

ad nos usquam remigrare, sed precibus mortalium interpellatos ipsorum vota Deo coram offerre, suisque supplicationibus corroborare; ac si quibus sedes præpararetur in tabella, istis certè eximiis majoribus quorum nomina nunquam in eadem desiderantur.

De Sinis recentioribus scisitor, quinam censeant animas defunctorum tabellæ insidere? non germani litterati qui nempe avitæ religionis cultores, idem cum veteribus sentiunt: non spurii & athei, cum enim isti putent, aut animam unà cum corpore penitùs extingui aut in vapores subitò resolvi & evanescere, aut conflatam esse ex cœlesti æthere qui ad superas plagas post dissolutionem a corpore revolet, aut tandem in alia hominum vel brutorum corpora transmigrare, à quibus ante novam dissolutionem expedire se nequeat, istorum profectò nullus censere potest in tabella quietam perpetuò considere, aut ad tabellam quandoque divertere, animam quæ vel prorsùs deleta sit, vel ad supera sic apte nativa levitate conscenderit, vel alteri corpori alligata detineatur.

Neque magis hæc opinio cum idololatrarum erroribus cohæret, juxta quos alii spurcarum, alii defæcatarum hortum vel citra vel ultra gangem suæ legis sectatoribus, quasi probis viris constitutum fingunt, necnon terrimum inferorum specum ad improbos suarum legum violatores constringendos ac torquendos. Quid isti porro imaginentur? in multis simul locis animam residere? id pro-

Digitized by Google

fectò neceſſe fuerit, cum ſedes eidem animæ, & iſtis ipſis caracteribus *xin quey ſedes ſpiritus*, tum tabellæ tum feretro inſcriptis duplex aſſignata deprehendatur.

An ſubinde evocatæ a ſuis propinquis animæ, aliæ quidem ſui illius amæniſſimi paradiſi fragrantiam, cum fumoſæ nec rarò male olentis tabellæ nidore ultrò commutent, aliæ verò tenebricoſi carceris repagula & vincula potenter abrumpant? at quid faciat miſerandum in modum diſtracta anima, hinc illi ſedes domi privata & commoda, inde communis & honorificentior in aula majorum ſternitur, ad utramque piis oblationibus invitatur, feretrum tumulo mandatum eſt inſcriptum litteris *xin quey*, has quoque tabella exaratas præfert, iſtic ad honorem, illic ad quietem meliuſculè habebit. Confucii animæ tot ſedes extant, quot aulæ in ſingulis civitatibus & oppidis, eas omnes niſi ſemper occupet, ſaltem prima & quindecima cujuſque menſis eò ſe ſiſtat oportet, illâ ipſâ conſtitutâ horâ, quâ eâdem ubique celebriori aliquanto colitur. Quis tam inepta, & cum patriis ac peregrinis inſtitutis atque adeò inter ſe tam manifeſte pugnantia Sinas ſibi perſuadere credat?

Quò verò clariùs innoteſcat quam longè hæc à primâ tabellæ impoſitione ſint aliena, paulo altiùs res repetenda eſt, & colenda ipſius origo ex lib. præſertim 4. off. fol. 22. & lib. 8. fol. 26. ubi refertur veterum Sinarum magnificentiſſima conſuetudo non abſimilis ei, quæ in Gallia noſtris etiamnum tempo-

Digitized by Google

ribus in solemnioribus Regis ac Regiæ stirpis Principum funeribus observatur. Post eductum ex aulâ necdum tamen elatum funere demortui cadaver, in illius locum succedebat nepos, aut aliquis alius ex eâdem familiâ quasi postremus, quem si infans esset, ulnis complectebantur, horum defectum in obitus Imperatoris primus Colaus supplebat, uti in morte Regum seu Dynastarum aliquis ex majoribus præfectis, hincque substitutum seu rem vicariam litterâ ac voce *xy* quæ & cadaver significat, exprimebant. Hic igitur substitutus in aulâ majorum deferri solitos Imperatori honores percipiebat ab optimatibus, atque ab ipso novo Imperatore vel Rege, quos ipsi honores tanquam filius patri, & subditus principi exhibebat. Rationem hujus substituti constituendi reddit Confucius, *ad repræsentandam spiritus gravitatem*, ac ne putes repræsentari spiritus huic substituto insidentis aut assistentis majestatem, sed hominis ipsius èmortui, cujus spiritus dumtaxat vivus supereſt, additur in textu, *si junior puerque obierit, non adhiberi substitutum ejusmodi animatum, eo quod*, inquit interpres, *junior princeps nondum eâ pollebat majestate, quæ in perfecto viro augustam speciem exhibet.* Et posteà de eodem substituto scribit, *repræsentat Regis & patris dignitatem ac gravitatem.*

Consule *Ly Ky* lib. 1. fol. 30. lib. 2. fol. 15. lib. 6. fol. 21. non me latet interpretem quemdam libri tertii *Ly Ky* scripsisse, quod inter oblationes ipsi Cœlo ac spiritibus faciendas adhiberetur quoque *xy* quasi vivum spiritus

Digitized by Google

ſimulacrum, ſed cum in textu & reliquis expoſitoribus nullum hujus dicti fundamentum extet, videtur ab homine idololatrarum erroribus infecto monſtrum hoc fabricatum fuiſſe, tolerabilius dixiſſet poſitam quandoque fuiſſe ſpirituum tabellam vel aliud ſimile quidpiam extra majorum aulam, ubi ipſis ſuo quoque tempore offerebatur ex *Ly Ky* lib. 13. fol. 61. Ut ſit eâ de re poſt abſolutum funus, in aulâ majorum loco diſcedentis ſubſtituti collocabatur tabella lignea, quæ in illâ perpetuò aſſervaretur, procedente verò tempore hac unâ tabellâ contenti Sinæ de inducendo ſubſtituto vivo jampridem non agunt amplius, ex quo conſtat quod quemadmodum defuncti ſpiritum non exiſtimabant inſidere ſubſtituto humano vivo niſi per repræſentationem ita neque ſubſtituto ligneo, quod eſt ipſa tabella quam iiſdem proſequuntur honoribus, eodemque animo in aulâ majorum ubi eam ſervant, ad perpetuandam ſuis erga defunctos parentes obſequiis filialem obedientiam, uti habetur lib. 9. de officiis fol. 28. ſubdit comment. conſtituebatur ſubſtitutum ad repræſentandam præteritam parentum vitam, adhibent tabellam fixam ad figurandam ſimilitudine quâdam conſervationem ſpiritus qui diſceſſit. Sicque ait referari arcana celebris illius Sinici dicti Sinicæ pietatis, *ſú vâm jû ſú cûm*, ſervire iis qui abierunt è vivis ut ſeruitur iis qui conſervantur. Littera quippe *vam* ſignificat abeſſe, abire ac valedicere, nempe ratione ſpiritus ſeu animæ quæ conſervatur extra corpus, a quo exceſſit,

notatu

Digitized by Google

notatu sanè dignum, quod omnes fere Sinicæ ad mortem designandam locutiones discessum ejusmodi denotent, *Kiu Xy*, abire è sæculo, seu mundo inferiori; *sú xy cú xy* valedicere mundo, *guey tien*, redire ad cælum, *cú* ad superiora conscendere.

Certè quidem nomina prædictæ tabellæ indita, non realem, ut oppositores jactant spiritus in eâ residentis præsentiam, sed figurativam duntaxat, moralem ac repræsentativam declarant, primum esto nomen *mo chù*, ligneus Dominus, quoniam enim parentes vivi vocantur *chù Kia* & *chù gîn*. Domini domus, idcircò post mortem Domini nomine ipsos quoque cohonestant, at nemo dixerit ligneum Dominum appellari hanc tabellam realiter, sed repræsentativè duntaxat, uti & Cæsaris lignea statua diceretur ligneus Cæsar. Eadem est ratio nominis *xin chù* spiritalis Dominus & *xin* spiritus, ideò autem adhibetur vox *xin* spiritus, ut denotetur in hac repræsentatione præcipuè attendi & excitari memoriam animæ seu spiritus Domini defuncti, qui nunc quoad solam animam est superstes, unde vocabularium explicat istam literam *chù Dominus* per literam *tam*, quæ significat substitutum loco alterius, ut intelligamus tabellam substitui loco spiritus absentis, non autem eum præsentem sistere, idem vocabularium explicat istam literam *chù* Dominus per aliam literam *chù*, quæ recordationem significat *y sò chù yè*, id quo *meminerunt*, veteris scilicet Domini, hoc quoque *chù* significat *elabi*, quasi per cogitationem ab

Digitized by Google

objectâ memorativâ tabellâ ortam revocatus aliquatenùs sisteretur præsens defunctus, cujus spiritus è corpore exiens quodammodo currit & elabitur, *suy him* cum præteritis meritis quorum memoria oblivioni tradita facilè effluat.

Eodem redeunt nomina *xan pay* spiritus arcus quasi triumphalis: quæ repræsentativè, non autem realiter accipienda esse & spectare ad figurandum definitum, à quo metaphora illius sedis *ço quey* desumpta est, non obscurè tradit *fam Ky* ad lib. 3. de off. fol. 61. *Spiritus caret dimensionibus, cum dimensionibus seu quantitate careat non habet sedem, sedes illa quæ dicitur spiritus est sedes hominis:* Nimirum repræsentativè, cùm constet hominem anteà vivum in hac tabellâ numquam consedisse. Suffragatur *chu kia*: *Spiritus sedes, est hominis ipsius sedes.* Hinc rectè addit: *intuentur in illam sedem quasi viderent parentes suos in tabella adesse*, dicitur ergo tabella spiritus sedes, vel quasi arcualis Thronus, quatenùs est fixa ac permanens repræsentatio spiritus qui est sola hominis de mortui pars quæ post obitum perstet, apparatus verò ille qui disponitur in itinere per quod funus effertur, dicitur *xin tao* spiritus seu spiritalis via, quoniam est spiritus repræsentatio fluxa & quasi in via nec permanens instar tabellæ, vel certè quoniam via est per quam spiritus fixa quædam repræsentatio transire debet, feretrum scilicet cum incluso cadavere quod ipsum *xin quey* quoque inscribitur, hincque accidit ut uni de Patribus interroganti de significatione litteræ *xin* eò

Digitized by Google

loci, respondent insignis litteratus idem ac *xin* corpus, quia videlicet tam cadaver quam tabella, sint hominis defuncti & ipsius animæ memorativa quædam repræsentatio.

Certè cum in decreto *hum vu* postea adducendo & in *Kyaly* ipsoque *Ly Ky* sæpiùs tabella vocetur *xin* spiritus sine ullo additamento, patet appellationem spiritus non illi tribui quoad substantiam à quâ sanè frustum ligni procul abest, sed quoad solam repræsentandi vim ipsi à Sinis impositam, præclarè itaque *chim cù* in *cy ly* fol. 19. de ejusmodi tabella *efformans imaginem sui principii ac prosapiæ, illi piè* offert. & vero in *cy ly* fol. 15. permittitur usus *papyracei* arcus, loco tabellæ, quando hæc deest tempore oblationis. Ecquis autem Sinas usque adeo ineptire dicat ut existiment animam conscendere hujusmodi papyraceum arcum velut triumphalem, aut ei tanquam throno innixam perpetuò affixam insidere. Denique in funeribus eadem est acceptio vocis *lim intelligens*, & *xin* spiritus quâ utrâque promiscuè utuntur Sinæ ad animam præsertim separatam exprimendam: Atqui vox *lim* in omnibus ad funus spectantibus significat figurativè duntaxat, non autem realem quamdam animæ præsentiam; *lim y* est vestis funebris; *Lim Kieù* lignea capsa cadaveris; *lim gin* vectores illius; *Lim Kia* currus ad feretrum deportandum; *lim chè* sarcophagus cum incluso cadavere, quæ omnia per se patet pertinere ad repræsentationem, non autem ad inexistentiam illius *lim* seu spiritus, qui includatur, carpento imponatur & à vectoribus deferatur.

Digitized by Google

Cæterùm noli duabus litteris tituli ſic affigi, ut oculos animumque non adjicias ad alias, quæ in tabellâ eâdem exaratæ ſunt bene multæ, cunctæ verò cùm referant nomina ac dignitates, quas olim vivi conſecuti ſunt ii, quibus mortuis hæc memorativa tabella ponitur, declarant profectò rationem formalem ob quam coluntur, eſſe quid ſpectans ad vitam præteritam quam geſſere, nequaquam verò additum quid eſſe illi tabellæ, in quâ nunc commorentur, aut ad quam ſubinde rogati convolent.

Neque te perturbet ritus adhibitus in principio oblationis dictus *Kiam xin*, quaſi invitatio ſpiritus ad deſcenſum; iſtud metaphoricè pariter dici vel ex eo patet quod iiſdem verbis ducatur initium oblationis quæ fit ſpiritibus, quos tamen non putant Sinæ moveri loco ſibi præſtituto. Hæc itaque verba ſunt optantis ſpiritus vel animas defunctorum ſuis oblationibus intereſſe, ſaltem affectu & attentione, quoad ipſorum conditio patitur, uti nos in orationibus funebribus non abſimiles uſurpamus invitationes defunctorum, de quibus tamen nolimus affirmare quod votis noſtris adventantes obſecuturi ſint, vel etiam ea certo cognituri. Pars eſt ratio vocum *cu xin* quaſi *valedicere ſpiritui*, quibus & paſſim utuntur chriſtiani dum è templo diſceſſuri aiunt ſe prius velle *çû xin mú valedicere Deiparæ*, ex quibus verbis nemo colligat eos arbitrari virginem aliâ ratione quam in ſuâ imagine inibi reſidere. Unde in *cy ly* fol. 31. *quaſi videres, ipſis* (nempe mortuorum ſpiritibus) *offerre*

Digitized by Google

hæc eſt fidelitas. Et in *cai y* fol. 50. *Objicio me coram benefactoris intelligentiâ, quaſi hic adeſſet, utinam ſpectet hujus compaſſionis perfectionem.* & in ipſo *Ly Ky* lib. 7. fol. 46. *Offerendum eſt defunctis in aula quaſi ipſorum ſpiritus ibi adeſſent yn Ky yn cay chy xin.*

Verùm quid dicimus de rudioribus illis quorum ex ore docti viri acceperunt animas defunctorum tabellæ inſidere? Non examino utrum anterioribus interrogationibus perterriti, aut multiplicibus vexati ſimpliciores hæc effutirent, utrum ſui compotes an temulenti, ferìò item an joco, utrum veritatis ſtudio vel potiùs vitandæ diſputationis cauſâ ut ſolent, iſta protulerint, neque inveſtigo quos & cujus notæ homines; demus permultos ita ſentire & loqui ac repugnare illius ipſius, quam profitentur, religionis inſtitutis. At nullus opinor ſuprà relatas ineptias, ac adeò craſſam propriæ legis ac conſuetudinis ignorantiam pene omnibus & meliori & majori parti imputabit, quod tamen neceſſe foret ad infringendam purioris primæ inſtitutionis vim, & novam ac per ſe ſuperſtitioſam ſignificationem loco veteris imponendam, ob quam nempè nemo deinceps ſine culpâ poſſet eâ tabellâ uti etiam optimo animo, & ad patefaciendam filialis obedientiæ toties commendatæ perpetuitatem.

Equidem vix ullus eſt de ipſâ infimâ plebe, cui millies à teneris unguiculis decantatum non fuerit, *ſerviendum mortuis quaſi viverent, & iis qui è vita exceſſerunt, quaſi ſuperſtites eſſent,* ergo uti nemo eſt qui non intelligat mortuos

Digitized by Google

non reipsâ, sed in sui tantum repræsentatione ac memoriâ superstites degere, ita & eodem pacto adesse atque adstare.

NUMERUS X.

Tabellæ antiqua significatio perseverat.

NEque dicas antiquam illam significationem ex vetustis codicibus erutam paucis nunc manifestam esse. Sit ita planè; verùm & inter nos tum sacrorum tum civilium officiorum rationes paucis de vulgo perspectæ sunt, imò sæpè de illis inter eruditos non constat, neque tamen illud impedit quominùs primæva illa significandi vis perseveret, quandiu ei non derogatur publicâ authoritate, quæ minor non sit priori per quam olim inducta fuit, quoniam implicitè confusèque corroboratur in dies ab iis ipsis qui interrogati, quid sibi velint ejusmodi actiones in usu positæ, si ingenuè loquantur candidè respondent, id in more positum esse & ex præclaris majorum institutis, atque hæc eo majorem in Sinis vim obtinent quod isti præ cæteris gentibus *se majorum exemplis ac sanctionibus summâ cum veneratione obsequentes adhæresecere profitentur.* Ex veteri more tradito in *Ly Ky* lib. 7. fol. 49. & 50. Quemque etiamnum vigere interprètes affirmant. Pagos Europæos adi, à rusticis aut etiam clericis nonnullis de cœrimoniis aliisque ad cultum Dei ac mortuorum spectantibus percontare, videbis quam multi obmutescant; nec deerunt qui

Digitized by Google

interrogatione perstricti & fatendæ ignorantiæ pudore suffusi absurdissima proferant; an continuò sacris piisve rebus pristinam reverentiam deneges, aut superstitionis labem, vel rebus ipsis jam quasi insitam, vel etiam homini insulsum responsum danti imputes? an non potius illorum te miseratio capiat; qui cùm præclarè instituta non malè ex virtuali implicitaque intentione exerceant, ineptè potiùs quàm impiè garriunt? hæc si ad Sinas traduxeris, id certè ages, quod, nisi manifestus cæteroquin in eâ ipsa quæ tractatur materia error inhibeat, charitas in meliorem partem actiones proximi interpretata, ratio ac prudentia jubent, atque ipsa lex civilis hac suâ regulâ, *quisque agendo præsumitur bonus, nisi probetur malus.*

Ignoti sceleris reum sine accusatore & absque probatis testibus dicere atque damnare summæ iniquitatis est, de quâ eò potiori jure conquerantur Sinæ, quod voluminibus benè magnis suarum habitandi, vestiendi, convivandi, vivos ac mortuos honorandi rationum causas depromunt, non ex diabolicâ vel inani superstitione, sed ex subtilissimis philosophiæ naturalis ac moralis præceptionibus, uti evolventi doctrinam & interpretes, librorum de officiis & transmutatione constabit. Ac ne latiùs extra subjectam materiam vagemur in lib. *xy fa* & in *Kia li*, *hanc tabellam effici ex ligno, utpote apto ad designandum mortem hominis antèa vivi non secus ac lignum ex viva & florescente arbore refectum est.* Et in *Kia ly* lib. 1. fol. 37. dicitur tabella inferior pars ac veluti basis in quadrum efformari,

Digitized by Google

ut quatuor anni tempestates exhibeat ; tabellâ tota ad duodecim digitos geometricos Sinicos nostris ferè duplò majores assurgere, ut totidem mensium anni aptior figura existat, latitudinem esse triginta, & crassitiem duodecim digitorum, ut illa triginta diebus unius mensis, hæc autem duodecim horis unius diei respondeat (unica enim hora Sinica octo nostris quadrantibus constat) de totâ verò tabellæ conformatione docet, tabellæ memorativæ quam *xin chù* spiritum Dominum vocat, conficiendæ methodum ex tempore in annos, menses, dies, horas, distributo repetendam esse, de arculâ seu capsulâ, in quâ includitur tabella, non est quod admodùm solliciti simus cùm nihil de illa inter Sinas præscriptum sit, aut in libris traditum, imò *chù cié* in *tum ly* eam planè respuit. Ecquid ergo hanc superstitiosam esse nonnulli Europæi suspicantur ?

In tot minutiis diutiùs immorari pudet ; hoc unum moneo, quod tametsi fortè contingeret, aliquem ex Atheis interpretibus quidpiam suis commentis admiscere, quod vel populari cuidam errori favere, vel blandiri, vel suæ ipsius impietati obtemperare videretur, illud sanè ad rectam institutionem evertendam, fidemque illi tam multiplicis autoritatis ac rationis momento firmatæ derogandam non sufficeret.

NUM

Digitized by Google

NUMERUS XI.

De absolutione litteræ .. chù.

UNum supereſt quod dubium ac ſcrupulum Europæis movet, quod nempe funebribus obſequiis ultima quaſi manus adhibetur expoſitione illius tabellæ, in quâ depicta eſt litera .. *vam* atro colore, & rogatur qui honoratior eſt ex adſtantibus ut penicilli minio imbuti ductu punctum unum in ſuperiori parte ſic adjiciat ut jam exiſtat littera .. *chù*, rerum Sinicarum parum periti aut amantes audacter exclamant, appage ſuperſtitionem homine Chriſtiano planè indignam. Bona verba, quæſo, quò te ardentior zelus abripit? quod quo conſilio fiat, neſcis, actutum ſuperſtitionis notas? Quæ lex charitatis aut prudentiæ ſuadet, pietatis atque urbanitatis officia ſine graviſſimo fundamento ſuperſtitionis damnare? Cujus ſpeciei ſuperſtitio ſit, cujus erroris contra fidem, aut religionem ſignificativa ediſſere? nullius planè. Ante abſolutum funus tabella ſuperius memorata domi collocari non poteſt, cùm iſta in locum cadaveris quod nondum tumulo mandatum eſt ſubſtituenda ſit. Ipſa eſt *mo chù* ſeu monumentum ad memoriam defuncti refricandam ac perpetuandam, quandiu feretrum eâdem litterâ *mo chù* inſcriptum, unà cum cadavere incluſo conſpiciendum adeſt, tabellam. quæ vanum ejuſmodi corpore monumentum eſt, officio ſuo fungi non decet: præparatur per

Digitized by Google

descriptionem majoris partis quam efficit littera .. *vam*, sed quasi casu, cùm aliò non spectet quam ut sit inchoatio litteræ *chù*, quæ post absolutam funebrem cærimoniam absolvitur per additionem commatis; ac confestim domum defertur, ubi in suo loco reponatur, unde in *xi fa* in funebribus hanc litteram *vam* quæ vulgò Regem significat æquivalere ait litteræ *vâm*, quæ significat ire, ut intelligatur res esse in viâ & progressu, à quo ad statum ac finem absoluto tum funere, tum littera *chù* deveniatur; neque aliud indicat rubeus ille color; atque honoratioris viri delectus præter lætitiam quamdam ob funebria ritè peracta, & perfectionem operis, cui par est extremam manum à clarissimo viro adhiberi, non secùs ac inter nos primum jacti fundamenti lapidem honoris causâ locari, litteras sanè majoris ponderis solent aliquo saltem ductu penicilli minio infecti notare Sinæ. Consideret prudens lector, quænam hic superstitionis suspicio, quæ solida itaque scrupuli Neophytis injiciendi & rixarum inter ethnicos suæ antiquæ nec inhonestæ consuetudinis tenacissimos suscitandarum ratio suppetat.

NUMERUS XII.

De vestibus afferentium.

QUæ de statuis ac tabellâ dicta sunt, ad quartam quoque circumstantiam attinent, *quibus auxiliis*, de quâ nihil magni ad

Digitized by Google

rem noſtram momenti amplius occurrit. Certas veſtes ad ſacrificium ſtrictè ſumptum determinatas fuiſſe conſtat ex *Ly Ky* lib. 6. Et alibi, necnon à Mencio refertur, quo pacto Matronæ regiæ alebant bombyces, colligebant ſericum, ut conficerent veſtes ſacrificii. In piis defunctorum, ſaltem extra familiam regiam, ſolemnioribus oblationibus, non aliis utuntur veſtibus, quam quæ litteratorum vel mandarinorum propriæ ſunt, pro eo ad quem promoti ſunt gradu vel ordine, quæ profectò civilis ſunt non religioſi muneris inſignia, ac licet diſtinctæ quædam eſſent veſtes, non continuò religioſum ritum arguerent, niſi eum aliunde indicarent, ut in iis videre eſt quæ paſſim in occiduis partibus tanto cum apparatu geruntur, ubi nec deſunt vaſa aliqua aliaque inſtrumenta propria, cultui ſacro ſive politico addicta, cujuſmodi & ſua quondam habuere Sinenſes, maximè Imperatores pro variis oblationibus varia ſive numerum, ſive amplitudinem, ſive figuram attendas ut paſſim in *Ly Ky* & in *ci li* præſertim fol. 33. obſervatur.

NUMERUS XIII.

Non offerunt Sinæ cibum ad paſcendas animas defunctorum.

ALiquantò diligentiorem indagationem poſtulat quinta circumſtantia, *Cur*, quæ finis eſt non intrinſecus operis, de quo ſu-

Digitized by Google

periori capite actum est, sed extrinsecus, non enim desunt inter Europæos qui censere videantur in piis mortuorum oblationibus superstitiosum operantis finem in finem operis commutatum degenerasse, hunc autem duplicem afferunt, alium quidem quasi Sinæ his oblationibus cibum ac potum ad reficiendos mortuos parent; alium verò quasi felicitatem sibi ipsis ab ejusmodi oblationibus affuturam procurent.

Quod ad primum attinet, miror equidem tum quod hactenùs nullum Sinam offenderim qui se id in animo habere significaret, tum quod in Sinicis libris etiam recentioribus atheorum vel idololatrarum, nullum de istiusmodi figmento verbum hactenùs nobis objectum est; tum quod illa ipsa ratio quâ solent edulia offerre, hanc opinionem confutet; nam solemnior oblatio fit cum modicâ elevatione atque inclinatione poculi, quod ipsi offerentes statim ebibunt, eâdem ratione oblatæ carnes crudæ statim colliguntur, & inter amicos domi absumendæ honoris causâ distribuuntur, quæ privatim offeruntur, certè deponuntur in mensa è regione tabellæ, & ab aliquo vigili custode observantur, nequid ex iis furtim surripiatur, istud profectò est quod viderunt vel audierunt ab aliarum partium infidelibus ex perversâ aliquâ opinione & fine factitatum.

Illud eodem consilio à Sinis usurpari autumant, perinde quasi omnium errorum colluvies in hoc Imperium velut centrum ac sentinam mundi confluxisset, *non omnis fert*

Digitized by Google

omnia tellus, monstrorum ac belluarum feraciſſima Lybia, non tamen urſos alit, infidelitas cerberus eſt qui non eadem ubique gentium capita exerit. Dæmon errores per orbem ſparſit, non congeſſit, atque eos inter, quos Sinis obtruſit, hic ſanè pauciorum animis adhæſit. Sinici litterati ſi athei ſunt, animas in ventos evâneſcere credunt, non à mortalibus paſcendas permanere; ſin avitæ religionis cultores perſtant, animas ſpiritalibus dapibus à ſupremo Imperatore in cæleſti curiâ reficiendas venerantur, non autem pinguioribus ac craſſioribus ferculis oblectare ſatagunt.

Sinici idololatræ defunctos progenitores jejuniis atque orationibus, quas Bonzii extollunt, juvare nituntur, non eſcâ & potu quæ ad tartara penetrare non valent, ad indicum verò prandium deportata nullius ſunt pretii. Nihil igitur eſt quod metuamus, ne oblationibus Sinicis tam ſtolidus error præſertim ex communi omnium conſpiratione, quæ ad primævam & ſanam inſtitutionem abolendam neceſſaria eſſet, neque ratio occurrit ob quam hic parentum cultus Sinis interdicatur, apud quos non modo ſuperſtitioſus non eſt, ſed ne ſuperſtitionem quidem redolet, quàm licet in iis redoleret partibus, in quibus plerique hoc errore imbuti ſunt, Inter quos maximam affinitatem moralem haberet cum oblationibus materialiter, & quoad externam ſpeciem ſimilibus iis, quæ proteſtativæ ſunt erroris inibi longè latèque diſſeminati; in Sinis

Digitized by Google

tamen non valet, ubi error hujuſmodi non ita pullulavit.

Atque ob eam affinitatem imò & ob intrinſecam fortè ex inſtitutione malitiam in aliquot locis à ſanctis præſulibus, uti ab Ambroſio Mediolani prohibitæ ſunt, vel ſanè ex eo quod eâdem, quâ gentiles mente, nonnulli chriſtiani illud præſtarent, ut inſinuare videtur ſanctus Aug. ſerm. 5. de ſanctis, dum eos tanquam infideles compellat, *miror cur tam pernicioſus error apud infideles quoſdam increverit.* Quæ omnia cum procul à Sinis abſint multò faciliùs inter eos toleranda ſunt hæc pietatis officia, ad quæ Tobias Senior cap. 4. filium inter idololatras degentem hortabatur, ut inquit Sanchez, *quod faciebant aſſyrii ſtultè ac impiè, id meliori mente ac ſtudio in ſepulchris juſtorum apponeret*, quâ porro de cauſâ edulia, Sinæ mortuis offerant, intelligi poteſt ex dictis capite ſuperiori de præcipuo convivii fine, qui eſt veneratio non ſaginatio hoſpitis, cùm enim Sinæ quidquid eximii honoris exhibetur vivis, idem quoque mortuis delatum velint *ſù ſù jù ſii ſem*, parata vivis ad honorem convivia quæ tanti faciunt, mortuis etiam ad cultum deeſſe non debere putarunt, fercula tamen, ut dixi, mox ſubſtrahunt ne hæc ad aliquos quoque mortuorum puta paſcendorum uſus deſtinata videantur.

Quod ad felicitatem attinet, hæc finis alius eſt qui piis oblationibus præſtitutus, videtur à multis Sinis, & exprimitur per vocem *fo* in ore Sinarum frequentiſſimam,

Digitized by Google

quam singulis ferè ædium portis inscriptam præferunt, atque ut plurimum interrogati de ratione, ob quam res consuetas præstant, quando aliud nihil occurrit tum vocem *fo* velut præclarum suæ ignorantiæ integumentum objiciunt, quâ auditâ nonnulli Europæi percelluntur & excandescunt, rati hac voce quoddam ineluctabile fatum significari, quasi existimarent Sinæ suas illas actiones certam & indeclinabilem prosperitatis consecutionem secum trahere; qui error ne temerè latiùs serpat, diligenter investiganda est significatio vocis *fo* cui è diametro opponitur altera *hò*; utrumque vocabularium quæstionem definit, *fo xen yè bien yè bien yè pe ye* istud *fo* idem est ac probitas seu bonum morale & honestas, vel quies, vel adjumentum, vel cum debita præparatione perfectum, idem nempe de *fo*, quod nos de prosperitate; idem de *ho* quod nos de calamitate sentiunt.

Prosperitas est universim assecutio alicujus boni, vel honesti, vel jucundi in quibus conquiescitur, vel utilis, quod ad utrumque conducat, velut idoneum medium ad finem, ad cujus assecutionem aliquatenùs juvat, unde cui ex propriâ operatione aliquod bonum ex voto obvenit, is felix; cui aliquod malum præter spem, infelix dicitur: At quoniam mortales bona honesta vulgò vix magni faciunt præ jucundis, & utilibus ad ea, quibus sensus delectatur, inde fit ut fortunatus vulgò non censeatur, nisi cui temporalia ex voto cedant, quidquid sit de honestis. Sicque prosperitatis & calamitatis nomen ex vulgari

Digitized by Google

sermone honorum bonorumque temporalium limitibus circumscribitur. Hanc disertè doctrinam tradunt Sinæ in *Ly Ky ci tum* libro 14. fol. 2. Ubi duplex *fo* seu prosperitas distinguitur, alia sæculi quam nempe homines sæcularis fastûs & jucunditatis studiosi deamant, quæ sita est in divitiis, honoribus, oblectationibus sensuum & similibus, alia est probi viri qui in facti debitâ cum præparatione & apparatu operis perfectione consistit. Atque hæc, inquiunt, felicitas est, ad quam piæ oblationes sive cœlestibus sive progenitoribus exhibitæ spectant, verba fideliter refero: *Sapientum virorum piæ oblationes, omninò suam obtinent felicitatem: hæc autem non illa est, quam sæculi hujus filii vocant felicitatem, felicitas est perfectio: perfecta verò res omnes secundæ appellantur, quando omnia secunda sunt tunc simpliciter perfectum est. Verba interius sunt planè conformia cum mente, exteriùs congruunt rectæ rationi, eadem ratio radix est obsequiorum, quæ fideles subditi principibus obediemes, filii parentibus exhibent. Supra, hoc est de iis agendo quæ humanam conditionem excedunt, seu superioris ordinis sunt obsequi spiritibus, seu cœlitibus ac superis: extra, hoc est de iis agendo, quæ extra domesticos parietes geruntur, obsequi regi ac magistratibus: intra, quod ad ea spectat, quæ intra domesticos parietes fiunt, obedire parentibus, ista demum perfectio est; tantum modò sapiens ac probus potest hanc perfectionem assequi. Qui hanc perfectionem assequi potuit, postea potest pias oblationes, ut par est offerre, propterea sapientis viri piæ oblationes pertingunt ad summam ipsius soliditatem ac fidem, necnon ad sinceritatem ac venerationem. Sapiens res quidem*

Digitized by Google

quidem offert sed ex regula rationis ac rituum præscriptorum, eas musica harmonia temperat ac suis quæque temporibus componit, palam tempestivos ad venerationem fructus offert, nihil petit suas quæritans utilitates: iste nimirum est obedientis filii animus ac mens. Addit interpres *jum xi nihil petere suæ utilitatis declarat nullum esse petendæ felicitatis consilium, quia piæ oblationes non sunt preces.*

Ex quibus planus est sensus illarum vocum *fo cieù*, quibus honestatur illud vinum, quod solemni ritu mortuis offertur, ac postea inter consanguineos vel amicos cum ipsis oblatis carnibus distribuitur, quod nempe sint res cum perfectæ pietatis cultu oblatæ, hinc fit ut Sinæ sub finem ejusmodi oblationum expetere soleant *ù fo*, quinque felicitates, quæ nimirum sint absolutio virtutum quas velut cardinales numerant, unde vocabulum minus literâ ly, *id quod præstatur obsequium spiritibus est summa felicitas.* Egregiè hanc in rem *clin cù* indagans rationem ob quam *Ly Ky* lib. 7. fol. 17. dicatur homo *cor terræ ac cœli*, hanc offert, *quod iuxta cœlestem regulam probitas est felicitas, improbitas est infelicitas, omnes amantes probitatis hac ipsâ sunt felices, improbitatis autem cupidi infelices existunt.* Eodem spectat illud dictum *Ly Ky* lib. 8. fol. 10. *In sacrificio percipio felicitatem, quoniam illius regulam observo.* In eodem, lib. 7. fol. 8. interpres addit. *Verborum & operum recta regula est felicitas naturalis, hæc ipsorum felicitas magna est.* In ipso vero textu lib. 14. fol. 38. scribitur, *vir vere sù, servit parentibus quasi Cœlo, & servit cœlo ut parentibus, hac ratione obediens filius propriam personam perficit, si juxta hoc dictum se gerat Princeps;*

Digitized by Google

ſubditus felix erit. Quænam hic obſecro ſuperſtitionis ex fatalis neceſſitatis errore procedentis umbra apparet?

Dices ita quidem rem habere ex veteri inſtituto, ſed juxta præſentem ſignificationem aliud ſonare, fatalem nempe felicitatem ab illis oblationibus certè obventuram; at in primis mira eſt ſignificatio vocis, cujus nullam mentionem vocabularia faciunt, cùm hæc novas quoque & per abuſum introductas vocum acceptiones non omittant: deinde iſtud manifeſtæ falſitatis arguitur ex communi Sinarum loquendi uſu, ex quo urbanitatis gratiâ, illius cum quo agunt, felicitati omnia ſua proſpera accepta referre ſe dicunt, dum de valetudine interrogantur, optimâ ſe uti reſpondent, ſed quæ interrogantis felicitate nitatur; quis putet eos ita inſanire, ut ſuas res ſecundas cum cujuſlibet ſibi noti hominis felicitate fataliter connexas judicet? inter oblata die natali recurrente quotannis honoratiorum virorum, nunquam deeſt vini lagena dicta *fo cicu* vel *xeu cieù* & *hi cieù*, ut de reliquorum mortuorum oblationibus taceam, in quibus non deſideratur *fo cieù*, quare iſtud *fo* inter Sinas idem eſt, ac proſperum, felix, fortunatumque inter nos, quod quidem de ſecundis & juxta votum ſuccedentibus rebus dicitur, adeò ut viri perfecti qui pauci ſunt, honeſta præcipuè in proſperis numerent, quæ ſcilicet præ cæteris in voto habeant, vulgus autem ſecunda proſperaque appellet fortunæ bona, quæ præſertim ob oculos & in optatis habet, non nego Sinas in ſuis piis oblationibus iſto-

Digitized by Google

rum caducorum desiderio teneri ac spe duci, non quasi eam in avorum suorum divinitate quadam aut sanctitate collocent vel infallibilem fingant, sed quam reponant in præstantiâ piarum illarum oblationum, quas gratissimas putant superis, quos quisque eorum seu veros seu fictos colit, & à quibus eximiæ pietatis mercedem temporalem quo vehementiùs desiderat, eo faciliùs certiusque sperat. Experientiâ verò quotidianâ compertum habent, nihil in istis certi nedum ineluctabilis fati esse.

Fateor tamen complures esse qui actionibus nonnullis, certo loco vel tempore peractis fatalem quamdam felicitatem aut infelicitatem alligatam esse existiment, sed hæc ad communem piarum oblationum rationem institutionemque non pertinent, cùm ea non omnibus piis oblationibus addicta credant, atque hic deflendus error non litteris *fo ho* dedesignatur, sed aliis *Kie hium*, quarum neque in antiquis neque in recentibus piarum oblationum obsequiis usus unquam fuit, quo circa de vocibus *fo ho* non est quod scrupulus Neophytis Sinis injiciatur, nisi forte vocibus quoque prosperitatis, felicitatis, secundæ fortunæ, infausti Europæis Christianis interdictum jubeamus, quibus si qui fortè rudiores ex ignorantiâ abutantur, edocendi sunt isti, non autem cæteri in cordis ambages & angustias præ vocum penuriâ conjiciendi.

Digitized by Google

NUMERUS XV.

Rectè Pater Martinius negavit Sinas petere.

EX his atque ex dictis capite ſuperiori tandem colliges, quam verè cautè & doctè P. Martinius ultimo quæſito ad ſacram Congregationem retulerit *Sinas neque ſacrificia offerre mortuis, neque ab iis ſperare vel petere*, piis nimirum illis oblationibus, de quibus dubitatio erat, quæque nec ſacrificia ſunt, nec ad quidquam ſperandum vel petendum ſpectant ex naturâ ſuâ morali & Sinenſi tàm antiquâ quam præſenti inſtitutione, quod ipſum jam pridem ſcripſerat P. Trigautius de expedit. Sinica lib. 1. cap. 4. *Nec à mortuis quidquam petunt vel ſperant.* Quod ſi qui inter oblationes faciendas felicitatem operantibus poſcant, aut expectent, hic privatus eſt ipſorum error & prava operantis intentio, quæ oblationes ejuſmodi intrinſecè non contaminat, nec illicitas reddit iis qui in piâ illarum intentione operando conquieſcunt, vel ipſam altius ad Deum evehunt. Audi *vencum* de recentiori quoque inſtitutione differentem in *ca y* fol. 18. *Probus parentes vivos colit & alit, mortuos colit impenſiùs honorificis oblationibus, reverentia eſt apex ipſius intentionis; neque audet vires exerere ad ſui ipſius privatum commodum*, deſumpſit ex *Ly Ky cy ly.*

Digitized by Google

NUMERUS XVI.

De vini piè offerendi modo.

QUomodo piæ illæ triplicis generis oblationes fiant, ex iis abunde constat quæ cap. 3. diximus, dùm varias illarum species explicuimus, unum breviter addo de vini offerendi modo qui non unus fuit. Vocabularium majus de oblatione *quon* sic scribit. *Infunditur vinum in poculum ut offeratur substituto, qui vinum acceptum non bibit, sed effundit in terram* (non quidem quod oblationem quam excipit, non probet, ne illius demortui vices non supplere videatur, utpote cui vinum offeratur non ad potum, sed ad meram venerationem) *hæc irrigatio fit in aulis defunctorum non in sacrificiis cæli, terræ & majorum spirituum.* Id ipsum in *Ly Ky* lib. 3. additur in *cy ly* & *ca y*, illum offerendi vini modum per effusionem in terram usitatum fuisse in oblationibus inferioribus spirituum ac mortuorum, hæc porrò oblatio honorifica seu *ci* vini describitur in *quon li* fol. 11. *levis effusio pauxilli vini in terram*, quâ nempe declarant se vinum non afferre ad usum, sed in honorem duntaxat illius quem venerantur ut præsidem terræ, si agatur de spiritibus, vel cujus corpus terræ mandatum est, si de mortuis.

Hic ergo vini offerendi ritus de se abstrahit à religioso & politico, præsertim cum in ipsis quoque conviviis adhibeatur, ad honorandum hospitem aut patrem familias. Verùm

Digitized by Google

cùm in oblationibus cœli & terræ factis supremo Imperatori quæ solæ sunt sacrificia, non adhibeatur vini effusio, constat apud Sinas ad externum latriæ nullominus adstricti sacrificii cultum per se & quasi ex suo genere non attinere.

NUMERUS XVII.

De prævia oblationi abstinentia.

DE externa corporis compositione ad gravitatem & modestiam necnon de prævia abstinentia, tùm à vegetioribus cibis & vino, tùm à consortio mulierum per aliquot dies plures vel pauciores in solemnioribus oblationibus, præsertim supremo Imperatori exhibitis; de lotione item corporis ad perfectiorem nitorem, non est quod fusiùs agamus, cùm ista sint non idololatricæ superstitionis, sed eximiæ & integerrimæ pietatis optima argumenta, de abstinentia illâ vocibus *kiai chai*: expressâ scribit *ven cum ci li* fol. 23. & *ea y* fol. 19. *caveant*, inquit, *ab omni re turpi, refrenent cupiditates potus ac veneris, aures ipsas occludendo ludicris, item & os, ne cor dissipetur & obfuscetur, cùm debeat esse purissimum ac clarissimum ad imitationem spiritum quibus oblatio præparatur.* De fine præparationum ejusmodi subdit illas omnes eodem spectare, *ut perveniatur ad fastigium obedientiæ ac reverentiæ.*

Digitized by Google

NUMERUS XVIII.

De tempore faciendarum oblationum.

DEnique circumſtantia temporis ſuſpectam Sinicarum oblationum pietatem reddere non debet, extraordinariæ quippe oblationes pro opportunitate rerum & temporum difficiliorum ac majoris momenti fiebant ab Imperatore, principibus & optimatibus, qui nullam expeditionem ad conſervationem propagationemque rei publicæ, imò nec longius iter inſtituebant ſine prævia Deo, ſpiritibus ac parentibus oblatione, ut his pietatis officiis muniti, Deo ſuperiſque faventibus ipſi alacriùs ac tutiùs incederent, ut ſileam de publicis calamitatibus avertendis ſive intentarentur illæ, ſive deſævirent.

Ad aulam majorum in procinctu ad iter faciendum, ac poſt reditum ſe conferebant, quod vocant cao miao *quaſi itineris ſuſcipiendi vel confecti rationem progenitoribus reddituri, ne viderentur erga defunctos, deeſſe illis officiis quæ obedienti filio erga parentes vivos uſitatiſſima ſunt.* Sú hù ju ſú ſem, *iſtud verò ad majorem venerationem præſtabant illâ præſtanti oblatione dictâ, cáo ſen co*, uti ſcribit *fam Ky* in *Ly Ky ta civen* lib. 5. fol. 22. Ordinariis oblationibus præcipuè aſſignatum erat tempus anni ineuntis, & medius menſis ſingularum è quatuor tempeſtatibus in quas annus dividitur, necnon quotannis recurrens inſignis cujuſdam cœleſtis beneficii gratâ cum memoriâ recolendi dies.

Digitized by Google

Verùm hic adverte ſolemnes quatuor anni tempeſtatum oblationes ſic fuiſſe conſtitutas, ut vernæ & æſtivæ tempeſtatis oblationes eſſent lætæ, & inaſtar excipientis obviamque euntis *im xin tai*, hybernæ autem & autumnales eſſent mœſtæ inſtar deducentis *ſum xin vàm* ex *Ly Ky ci ſa*. Interprete *fam xi* lib. 8. fol. 32. & 38. ratio repetitur ex calore & frigore; *quia calidior tempeſtas ad vitæ parentum lætam memoriam, frigidior ad mortis & quaſi excedentis è vivis mæſtam recordationem exhibendam aptior eſt* & fol. 41. de *ven vàm*, aſſeritur eos affectus pietatis erga parentes in oblationibus habuiſſe, quaſi præſentes eos cerneret, unde interpres ait: *lætabatur quaſi obviam ipſis procederet, mœrebat quaſi abeuntes comitaretur.*

Certe ſi exiſtimarent Sinæ animos progenitorum adventare, quando oblationes fiunt, iſtæ omnes eſſent tum ad excipiendos ſub initium tum ad deducendos ſub finem oblationis deſtinatæ. Neque excipi poſſent per æſtivam oblationem, qui per vernam tribus ante menſibus jam excepti ſunt; qui pariter per autumnalem ſunt deducti quo pacto per hybernam iterùm deducerentur? Rectè in *cy ly* fol. 19. *Veris & rerum producendarum initio revocatur longinqua & perpetua memoria in remunerationem beneficii ab origine accepti.* Neque refert, quod intra medium menſem ſeligendus dies per ſortes exquirendus dicatur. Nam ſortes iſtæ pravæ non ſunt, cùm cœlum unum indagando ſpectent, ne ſcilicet ut habetur in *ci li* fol. 14. deſit aliquid venerationis erga ſupremum numen, ſi ad ſpectatiſſima pietatis officia

Digitized by Google

officia potiùs ex privato affectu quam ex divino nutu se accingant : præterquam quod minimè opus est diem per sortes deligere si quis nolit. Imò ex communi usu præclarè assumitur in quatuor punctis cardinalibus zodiaci a sole ipso determinatis, in gemino solstitio, & gemino æquinoctio, uti traditur expressè in eodem *cili*, fol. 1. & 2. quod desumpsit ex *Ly Ky* lib. 1. fol. 68. rectè verò asserit *ven cum* in *tum li* fol. 17. *iter facturos filios exponere tabellam progenitorum ac salutare, quasi longiùs ab invicem discessuri essent. In siam yven Kiú ce Ke quei van pai* : constat igitur hæc omnia ad repræsentandos pios ac sinceros filiorum affectus instituta esse ingeniosè & nonnunquam figurativè dicta ut meliùs tùm verbis tùm temporibus cum re ipsa bellè coherentibus exprimantur, sed absque ullâ superstitionis suspicione apud prudentes, qui ad res per verba & officiosos ritus expressas attendunt, neque in solo vocum exteriùs non ita perspectarum sono sic conquiescunt, ut pleraque perturbent.

NUMERUS XIX.

Ritus Sinici erga defunctos sunt interioris reverentiæ & amoris accommodata Signa.

IN cujus rei argumentum hic meritò intexi posset magna pars sexdecim seu decem juxta diversas editiones authenticorum librorum

Digitized by Google

de officiis Sinicis : pauca quædam ſelegi, ex quibus abundè conſtet quidquid in obſequiis erga defunctos adhibetur actionum aut verborum, cum vultu, voce, corporiſque habitu, nunc ad mœrorem, tunc ad alacritatem, ſemper autem ad demiſſionem ac modeſtiam compoſitis, totum illud aliò non pertinere, quam ad manifeſtandum perfectum filii obedientis animum, qui in gratiâ & amoris juxtâ ac reverentiæ plenâ recordatione conſiſtit, quique in tenerrimæ compaſſionis ſigna erumpat, atque altam, quoad fieri poteſt de defuncto conceptam æſtimationem declaret, ſic tamen ut idem valdè remotus ſit ab omni ſpe adipiſcendi cujuſdam privati commodi vel ejuſdem amittendi metu, quod hæc abjecti cupidique hominis, non autem filii generoſo altoque animo obedientis propria eſſe Sinæ ducant.

Lib. 7. fol. 5. *Narratur quo pacto poſt parentis obitum ſtatim ſuperiora domus conſcendunt, & defunctum proprio nomine appellitando clamant, ſuſcitare, ſeu redi; poſtmodum offertur aliquid cruda vel aſſa coctæve carnis ad memoriam priſca vel mediæ antiquitatis, quo tempore iſtis vivi veſcebantur, quibus appoſitis deinceps honorantur mortui* (inquit interpres) *tum verò cœlum ſuſpiciunt quaſi ſpei pleni, necnon terram deſtinatam ſepeliendo corpori, quod quidem in eam deſcendendo vergit, cum ſapiens halitus ſpirituſque ſupernè exiſtat, utrumque juxta ſuam originem*, ſubdit interpres, *idcircò ſuperiora conſcendunt, quoniam anima ſupra exiſtit, idcircò mortuum proprio nomine compellant, quoniam optarent eo*, ſi nempe ita fieri poſſet, *animam revocare abeuntem, ut corpori denuò uniretur*, cum

Digitized by Google

autem *ne sic quidem defuncto vita restituatur, ad funeris officia pergunt.* Hinc lib. 15. fol. 21. scribitur: *Ploratus cœrimoniæ fiunt, quasi* (sû nola) *mortuus esset ad vitam rediturus.* Clariùs additur lib. 7. fol. 5. *Ritus revocandi mortui est summi amoris demonstrandi regula, atque includit inquirendæ defuncti voluntatis rationem oculos in eum versus septentrionem intendendo: quoniam*, inquit interpres, *plaga septentrionalis cum sit obscurior habetur locus spirituum, qui aciem nostram fugiunt, quamvis porrò quis roget domesticos quinque spiritus, non tamen hi efficient ut mortuus resurgat.* Verum ex lib. 2. fol. 11. *Ad ejusmodi evocationem quandoque utuntur sagittâ, quam præco manu gestet, nimirum*, inquit interpres, *ad demonstrandum sincerum amorem erga eum qui sagittâ confossus interiit, quis enim fingat armorum vi peremptos ad vitam remigrare? ad hanc verò suscitationem procurandam an non sagitta potiùs in occisi ludibrium adhiberetur?*

Inter officia funeris ex amoris reverentiæque affectu exhibenda recensetur lib. 3. fol. 7. *Mos inserendi nonnihil orizæ mundæ in os defuncti, eo quod gravatè ferant os ipsius vacuum relinqui, istud autem non ad mortuum pascendum, sed ad munditiem & aliqualem venustatem spectat. Quâ de causâ magnates in locum orizæ gemmas & uniones plerumque sufficiunt.*

Posteà verò quam corpus tumulo mandatum est, multiplices complorationis cœrimoniæ succedunt, lib. 15. fol. 41. & 42. eo modo peractæ iisque descriptæ vocibus, quasi defunctum ipsum oculis gestu ac voce indagarent, seque ipsum inventuros sperarent,

Digitized by Google

modò in atrio ac porticu, modò in aula, atque interioribus ipsis ædibus. Ac tandem concluditur *hæc fieri ex institutis obedientis filii, qui cogitatione ac reverentiâ parentes amanter complexus sinceritatem ac soliditatem suorum affectuum demonstrat.* Eodem recidit quod scribitur libro secundo fol. 11. *Cum reverentiali metu circunspicit, quasi investigaret quod nondum invenit.*

Quoniam autem præcipuus defunctorum cultus in oblationibus spectatur, idcircò lib. 1. fol. 9. refertur varius gestus & incessus illius, *qui mortuis parentibus oblaturus est in eorum representatione, quasi ipsos cerneret atque audiret, aures ei admovet qui voce caret, intendit oculos in eum qui caret figura.* (quâ nempe conspici queat) interpres subdit. *Quamvis auscultet, neque tamen percipiat parentum vocem; quamvis spectet neque tamen videat parentum figuram, nihilominùs cùm in corde semper cogitando depingat parentum imaginem, videtur sibi cogitando cernere parentum figurum, & audire parentum vocem sic dicitur paratum se exhibere ad mandata illorum excipienda.*

Quod attinet ad oblata ex lib. 3. fol. 8. *reponuntur aliqua in vulgaribus vasis ex compassionis ac doloris affectu in vivente qui offert & offerendi ritus observat, ut recti sui animi vires exhauriat.*

De modo oblationis in aulâ majorum, qui præcipua quæque complectitur, fusè agitur & egregiè lib. 13. fol. 39. *Ipso die oblationis majorum aulam ingreditur representatio certè quædam seu imago extat*, nempe defuncti, *intuetur ipsius tabellam*, addit interpres, *intuetur tabellam quasi*, jû, *parentes in ea existerent par est spectare*

Digitized by Google

illius inceſſum, audire lucluoſas ac velut inter mortuas voces idcircò priſcorum regum obedientia ita ſe habebat, neque color oculos, neque ſonus aures pulſare, ceſſabat neque recta inſtitutio ac voluntas à corde abſcedebat, ſic ſummus amor ſervabatur ac ſumma diligentia apparebat. Hæc duo cum in corde perſtant, quo pacto reverentia abeſſe poteſt? vir probus die funeris occupatus detinetur in cogitatione parentum, neque audet animum ad res ſui commodi adjicere. Et infra fol. 40. *pia oblatio regis* ven vâm *hæc erat: ſerviebat defunctis, quaſi ſerviret vivis, cogitatione ferebatur in defunctos quaſi ſuperſtes ipſis eſſe nollet, funeris die compaſſionis affectibus penitùs indulgebat, mortuum de nomine vocabat, quaſi illum cerneret, in oblatione ſuam fidelitatem exerebat, quaſi conſpiceret res illas quæ parentibus acceptæ eſſent, uti ipſas totius vitæ decurſu peroptaverant.* Pergunt fol. 42. *Qui oblaturus eſt accedit, & confeſtim aliquantulùm recedit omninò parentem colit, quaſi accepiſſet parentis imperium, protinùs ad illud exequendum ſe accingit ac confert: obedientis filii oblatio perſpici poteſt, quippe, inquit* fam xy, *externa oblatio eſt reverentis animi index ac proteſtativa, in pedes erectus ſtat ex reverentiali quodam timore, quaſi non auderet opus aggredi. Quando accedit ad oblationem faciendam, tunc veneratur cum hilaritate; dum offert, tunc cum promptâ offerendi voluntate reveretur; retrocedit aliquantulum ac ſubſiſtit, quaſi acceptaturus parentis mandata, collectis iis quæ appoſita oblataque ſunt, mox recedit & vultum ad reverentiam æqualiter conſtanterque componit, atque hæc eſt obedientis filii oblatio, quòd ſi prædicta exteriora ſic adſint, ut relati affectus interiores deſint, tunc offerens pertinacis, ruſtici, minimè amantis, ſuper-*

Digitized by Google

bi & immemoris animi vitia incurrit, oleumque & operam perdit fol. 43. *filius obediens, si amor reverentialis altas in ipsius corde radices egit, alit certè spiritus unitivos*, amantis videlicet cum dilecto *qui exerunt sese in læto colore alacris ac velut prompti vultus, sicque obediens filius*, ita se gerit, *quasi gemmas præ manibus habeat, quasi pleniſſima vasa offerat, cum profundiſſima humiltimaque reverentia quasi non se contineat*, nimirum præ desiderio aut gaudio honorifica & grata parentibus faciendi, *quasi se exuturus sit oblatis*, quorum nempe dominium in parentes transferre discupit, vel *quasi mox deperditurus sit parentes*, quos peractam post oblationem, velut abeuntes prosequitur, varii enim commentatores, non uno modo interpretantur has voces *jú ciam xe chy. Verum subtristis gravitas, seu morositas, parcimonia, sordes, avaritia ad obsequium erga parentes prorsùs inepta sunt, sed ad meram hominis* sua scilicet potiùs quam paterna curantis, *agendi rationem pertinent*, hinc interpres clariſſimè subdit. *Omnia in textu scripta, sunt monimenta constantis ac perpetuæ reverentiæ quæ si summa sit & summo cum amore conjuncta, tunc illa ex obedientis filii lege ac regulâ perfecta fuerint, at juxta illam tetricam, morosam sordidamque speciem & animum demus aliquem spe aut metu duci is certè cum hominis duntaxat*, nimirum consulentis sibi, cui timet sperarvè, *non autem cum obedientis filii*, parentes diligentis ac colentis ut par est, *regulâ in istis actionibus præscriptâ se conformabit.*

Idem fermè reperitur fol. 60. quod ipsum præmissum fuerat lib. 7. fol. 60. hoc unum

Digitized by Google

addo ex fol. 7. Ubi poſt commemorata plurima *quæ velut fercula mortuis offeruntur, cruda, toſta elixa pro vario apponendorum in conviviis eduliorum uſu diverſis temporibus*, demum concludit verba illa ſeu orationes *cho kia* dicta, quæ in oblationibus adhibentur ad clariorem intenti in illis finis & affectuum expreſſionem iſtiusmodi eſſe, *ut cho quidem filialem obedientiam Kia verò miſericordem animum declaret, quod utrumque magnæ cujuſdam rectitudinis eſt.* Vocem enim *ciam* per vocem *xeú* interpres reddit, qui pariter libro octavo fol. 36. aſſerit *orationes illas cho & Kià à præcone ſeu oratore recitari*, illam *quidem nomine ac vice obedientis filii, hanc verò nomine ac vice miſericordis parentis erga poſteros*, quibus expetendam à viro probo felicitatem in ejuſmodi oratione optare, ominari & quoad in ipſo eſt, procurare ſupponitur. Neque contemnendus interpres lib. 8. fol. 12. qui his tam uſitatis verbis, *mandata excipiuntur in aulâ majorum*, ait ſignificari duntaxat, *animum venerandi mortui, quaſi etiamnum mandare poſſet.* Ex eodem filialis reverentiæ affectu orta eſt conſuetudo, de quâ lib. 8. fol. 38. *Offerendi novorum fructuum primitias in aulâ majorum antequam à vivis deguſtarentur.*

Ex his paucis aliiſque pluribus, quæ paſſim in libris officiorum Sinicorum occurrunt, perſpicuum eſt ritus illos omnes præſertim oblationum, tùm actionibus cùm verbis peractos, eſſe ſigna ex Sinica inſtitutione proteſtativa interioris reverentiæ & efficacis abſolutique amoris erga defunctum velut perſonam dilectam; ſed quæ ex hoc efficaci amore

Digitized by Google

oriuntur desideria, & voluntates variorum bonorum personæ dilectæ quasi procurandorum, plerumque sunt inefficaces duntaxat, cum in ea tendant bona quorum assecutio vel planè impossibilis vel admodum incerta ab amante judicatur, quod non sufficit ad spem in illius animo excitandam, & exprimendas ab ipso preces quæ in ejusmodi spe solidum fundamentum jacere debent, filius itaque obediens non vult absolutè & efficaciter, sed potius optaret (*yò* vox est textuum ordinaria) optaret, inquam ut is quem mortuum compellat, exurgeret à mortuis, atque illius spirantem vultum cernere, vocem ac mandata loquentis audire, & coram executioni mandare liceret, sed cùm id neutiquam futurum esse magistra saltem experientiâ doctus noverit; istud sanè non petit nec sperat, cujus efficacem voluntatem suscipere nequeat optaret saltem defuncti spiritum præsentem adesse, optaret item seligere materiam, locum, aliasque oblationis circunstantias, quibus sibi carissimus ac venerandus spiritus delectetur, optaret illum ipsum spiritum in cœlesti plagâ instructum esse eâ autoritate, ut posteris & clientibus opitularetur, sicque ipsius potestas & misericors erga mortales animus magis eluceseeret.

Verum ejusmodi rituum institutores, & recitandarum illarum orationum, seu formularum autores passim profitentur in libris authenticis, sibi nullatenus constare de spiritus præsentia ac de iis oblationum circumstantiis quas idem spiritus probet, sed putares ibi

Digitized by Google

ſibi ſuoque officio abundè ſatisfactum, dummodò ſuæ filialis obedientiæ ſolidique amoris ac reverentiæ rationi conſentanea ex præſtitutis ritibus dederint argumenta, ex his duobus textibus complures alios ſimiles æſtima lib. 3. fol. 8. *Poſt abſolutos omnes piæ oblationis ritus, quo pacto ſciri poteſt utrùm iſta ſpiritibus accepta ſint, ſat eſt quod offerentis perfecta voluntas extet.*

Idem inculcatur lib. 8. fol. 26. ubi interpres addit: *nihil aliud in animo habere eum, qui iſtiuſmodi officiis defunctos proſequitur, quam ut ſuas reverentis animi vires aliquatenùs exhauriat*, alius interpres ibidem ſubdit *quomodo hæc fiant quaſi mortui venire poſſent ad ea acceptanda.* Eodem lib. 8. fol. 24. *Affirmatur illas orationes* cho, *quaſi ad indagandum imitandumvè ſpiritum coram defuncti tabellâ ſic haberi modo extra, modo intra aulam, ut neſciant utrum ſpiritus ſint hic vel illic, an longè ab hominum conſortio disjuncti*, recole adducta ex *cay* fol. 50.

Cæterùm quem defuncti ſpiritum ubicumque tandem exiſtat ob oculos corporis præſentem ſtatuere nequeunt, ut is mentis luminibus faciliùs obverſetur, idcircò duplicem illius imaginem collocant, altera quidem ſpirans eſt, ſed ad breve tempus, *xy ſeu ſubſtitutum inductum ad recordationem vitæ præteritæ illius cui offertur.* Ut ſupra retulimus ex lib. 4. & lib. 8. altera verò inanimis *objicitur in tabella, quæ præter imperfectam corporis humani, vitæque cum annis, menſibus, diebus, horis elapſæ delineationem, quam præfert, eos præterea characteres geſtat, qui perfectiſſimam in animo depingant imaginem defuncti, cujus nempe nomen, ætatis annos,*

Digitized by Google

dignitatem, munia, ac totius vitæ seriem ad gratam memoriam fixa constanter repræsentent. Præclarè ergò *fam xy* in lib. 13. fol. 61. *Tabella defuncti est id in quod humano modo oculos conjiciunt quasi effecturi ut parens juxta ipsorum votum ac desiderium,* (inefficax certè) *non obiisset, sed superstes foret.*

Addit commentator fol. 36. *sacrificare spiritibus, quasi adessent, est recta mens cordisque intentio.* Neque demum omittenda hæc verba ex *tum ly* fol. 17. *facturi iter filii exponunt tabellam progenitorum ac salutant, quasi longiùs ab invicem discessuri essent.* Quin imò eamdem esse vulgi mentem de hac tabellâ patet ex eo quod narratur in *xuy hû chuên* lib. 2. de quodam dicto *kin lao*, hic amicum à longiori diuturnâque profectione reducem tam insolitis humilibusque officiis excepit; ut ipsi novitate rei perculso stuporem injiceret, quem cùm iste dissimularet, vetat *kin lao* amicum singularis reverentiæ amorisque data erga præsentem argumenta mirari, quandoquidem non minora erga absentem ediderat, quippe qui singulis diebus coram tabellâ, quæ longiùs dissiti amici nomen descriptum exhibebat, prostratus illum ipsum quasi ob oculos positum incensis suffitibus ac cereis coleret. An quæso hominem adeò stupidum existimemus ut in longinqua regione commorantis amici animam à corpore avulsam & pictis characteribus quasi totidem clavis tabellæ affixam detineri sibi persuaderet?

Digitized by Google

NUMERUS XX.

Pii cultus apud Germanos Sinas usitati nec superstitiosi sunt, nec superstitionem redolent.

COlliges primò. Hactenus commemoratos & inter Sinas usitatos cultus præsertim oblationum erga mortuos nullatenùs superstitiosos esse, cùm neque ex substantia actionis in ordine ad terminum objectumque formale petita; neque ex ullis circumstantiis ad illas oblationes spectantibus, sint quid protestativum ullius erroris intellectus vel depravationis voluntatis in iis quæ ad fidem aut cultum divinum pertineant, quippe si qui errores in nonnullis intercedunt, isti pertinent ad malitiam operantis ex erronea, superstitiosaque mente, non autem pertinent ad naturam moralem extrinseco cultui intrinsecam, quæ ex communi institutione, non ex privatorum hominum corruptelâ metienda est.

Colliges secundò. Supradictos cultus mortuorum ne superstitionem quidem sapere ac redolere inter Sinas, nam in primis requisitam affinitatem ac similitudinem non habent cum iis quæ superstitiosa sunt, sive in avitâ sive in peregrinâ religione; quippe ab illis peregrinæ legis sequacibus ejusmodi actiones exercentur ex modo & institutione avitæ legis, quæ in cultu mortuorum nihil superstitiosè, sed

Digitized by Google

omnia ex pietatis rectæque rationis non incongruis rationibus ac legibus instituit.

Nec dicas similitudinem habere saltem cum iis, quæ ex multorum perversâ intentione superstitiosè fiunt, etenim cùm absque ullâ superstitione operantes majoris auctoritatis aut etiam numeri sint, dici potiùs debent externæ suâ exteriori specie repræsentare rectam piamque intentionem, ex qua & institutæ sunt, & à potiori parte etiamnum exercentur, quàm exhibere pravam illam intentionem aliorum à primâ institutione descisçentium, sicque actiones illæ ab aliquibus factæ ex pravâ intentione, dicendæ sunt redolere eas quæ juxta primam institutionem ab superstitione liberæ sunt, non contra; quemadmodum homo pictus similis homini vivo dicitur eumque redolet, non autem homo verus pictum sapit. Certè in regnis Catholicis, ubi ad majus malum evitandum hæretici multi tolerantur, nemo dixerit cultus illos ordinarios piè olim institutos & à Catholicis constanter eâdem pietate retentos superstitionem redolere, quamvis ibidem degentes hæretici eosdem cultus exhibeant ex suæ hæreseos superstitione ac perversâ intentione, quam intrepidè jactant, non autem in animo delitescentem fovent, uti contingit in rudioribus nostris Sinis, qui sua errata nonnisi dubitanter vel præcordiis concipiunt vel in lucem verbis edunt. Prætereà cultus merè politicus ex suâ institutione, quæ etiamnum viget in aliquo regno, non potest in eodem dici superstitiosus aut superstitionem redolere, nam

Digitized by Google

ſuperſtitioſa ad religionem aliquatenùs pertinent & ad finem qui merè civilis non ſit, ordinantur : ergo quæ ex ſua inſtitutione perſeverante ad civilem finem ſpectant & ſpectare cenſentur in aliquo regno, ea neque ſuperſtitioſa in ipſo ſunt, neque ſuperſtitionis ſpeciem gerunt : atqui cultus mortuorum in Sinis uſitatus merè civilis eſt, quippe in omnibus ſuis circumſtantiis deſtinatus ad finem purè civilem & qui humanæ conditionis limites non excedit, quandoquidem totus collimat atque ultimò reſolvitur ad dignitatem virtutemque merè naturalem, quâ olim præditi fuere mortui dum viverent neque ullam præſtantiorem attendit virtutem, quâ poſt mortem inſtructi ſint, ex dictis cap. 3. patet.

Denique cultus quilibet illud in aliquo regno redolere cenſendum eſt, cum quo maximam ſimilitudinem obtinet, atqui cultus ſolemnioris oblationis mortuorum de quo præcipuè dubium moveri poſſet maximam habet ſimilitudinem cum exquiſitis urbanitatis officiis in honorificâ epularum oblatione exhibitis, parvam autem cum religioſis officiis, quæ nunc ſuperſtitiosè in Sinis præſtantur, ergo cultus ille erga mortuos exhibitus qui de ſe ac revera pietatis eſt, inſignem urbanitatem, non autem ſuperſtitionem redolere cenſendus eſt, atque iſtud ipſum compendiosè ſed clariùs, imo quaſi obtutu cernendum in ſynopſi, necnon cap. 50. ſubjicitur.

In primi corollarii aſſertione dixi 1°. uſitatas mortuorum oblationes, inter quas non cenſentur primariæ illæ, in quibus intercedit

Digitized by Google

mactatio animalis, quod integrum eductis antea inteſtinis, offeratur. Iſtæ enim, uti non adhibentur ampliùs in epulis, ita neque in oblationibus mortuorum ex *cy ly* fol. 16. extra regios, ſed defunctorum, cultus de quibus cap. ſeq. Dixi 2°. Hactenùs commemoratos cultus, qui nempe antiquiores ſunt & ex prudenti inſtitutione inducti; at præter iſtos,

NUMERUS XXI.

De combuſtione nummorum papyraceorum.

ALius eſt ineptus, ſed jam inter Sinas uſitatiſſimus mortuorum præſertim cultus qui conſiſtit in comburendis maſſis quibuſdam papyraceis, in quadrum, octogonum aut aliam figuram ſic efformatis, ut papyracei nummi vulgo *chy cien* dicantur, neque hic eſt peregrinus ex Indiâ advectus cum idololatria, nec avitæ pietatis cultus, ſed novum, ut nonnulli aiunt, ante trecentos circiter aut plures annos, dæmonis inventum operâ unius mercatoris qui cùm multam domi papyrum coacervaſſet, quam nemo coemeret, hanc callidè coloribus quaſi aureis argentiſve imbuit atque ita coagmentavit, ut repræſentaret maſſas illas auri vel argenti, quibus nummorum loco utuntur Sinæ qui metallorum pretium non impreſſo principis ſigillo, ſed ſolo pondere æſtimant, plebi ſuadere cœpit hæc ficta ſpecioſaque metalla in cineres pro

Digitized by Google

mortuis redacta ad ipsos transire non minori cum proventu, quàm vera auri argentique metalla viventibus utilia sunt. Stolidi quidam appositis ad fraudem verbis dedere fidem, quæ ad plurimos paulatim serpendo propagata est, præcipuè Bonziorum artibus, qui fabulam hanc ad suos stabiliendos errores percommodam rati, ipsam velut suæ sectæ propriam amplexati sunt. Quamvis autem hocce tempore pauciſſimi inter Sinas reperiuntur, qui ejusmodi quisquiliarum combustionem velut magnum funebrium exequiarum decus non adhibeant, non uno tamen omnes fine id præstant; litterati enim fabulosam illam papyri conversionem in nummos post hanc vitam profuturos respuunt, imò commentator *cy ly* fol. 33. *manifestè ridiculam esse asserit tribuitque massarum ejusmodi initium cuidam* yu chim su *sub Imperio familiæ* han, *quo tempore massis istis non utebantur ad combustionem, sed ad subterraneam quasi ædem, ornatus causâ, tumulando corpori faciendam, ipse vên cum* in textu ante sexcentos annos conscripto. Ait loco serici comburi compendii gratiâ, seu ut parcatur sumptibus, usum verò istum combustionis ad oblationes saltem mortuorum ait *hoey xy* cœpisse sub Imperio *tam*, autore ut ferunt, Imperatoris *hiven cum* fratre *yu*, anno Christi 739. Uti egentiorem tunc populum à graviori in sericum comburendum faciendo sumptu liberaret; ex quibus constat prædicto nebulone antiquiorem longè esse quemdam nummorum papyraceorum etiam comburendorum usum etiam in mortuorum funeribus; at ne-

Digitized by Google

que combustio vel serici vel papyri, uti nec orationis funebris in membranâ descriptæ aliò spectat ex litteratorum institutis, quam ut declaretur res istiusmodi ad honorem duntaxat mortui offerri, non ad alios usus, ad quos reserventur. Progressu temporis peregrinæ sectæ nummorum papyraceorum combustionem traduxerunt ad cultum falsorum suorum numinum pro fanorum foribus, aliique passim ad cultum spirituum, qui fluminibus ac montibus præsunt, uti quotidie infidelium navigiis vecti lugemus. Quin etiam non semel vidimus qui simili festivâ conflagratione adventantes optimates ac præfectos venerabundi exciperent.

Ex quibus inferre licet combustionem ac multò minùs confectionem, ejusmodi papyraceorum nummorum non esse de se & ex naturâ suâ morali protestativam prædictæ superstitionis inter Sinas, cùm litterati Sinæ penes quos est authoritas publica, superstitiosum hunc finem repudient, qui certè ab ipsorum institutis alieniſſimus est, & alium merè politicum præse ferant. Atque ipsi idololatræ in cultu spirituum & magnatum similem combustionem adhibeant ad venerationem duntaxat non verò ad fictitium commodum illius cui fit oblatio. Quoniam tamen hinc in cultu progenitorum, hujusmodi combustio videtur ritus factus proprius peregrinæ legis, nusquam in avitâ religione usurpatus, inde verò in cultu mortuorum à plerisque omnibus passim adhibitus, fictitiæ illius utilitatis spe usurpari censetur, & vix litterati suos illos arcanos

Digitized by Google

arcanos finis politici ſenſus ſpargunt, idcircò à patribus ſapientiſſimè & conſtanter hactenùs prohibita eſt, tanquam cultus, qui in Sinis proximè ad aliquam ſuperſtitionem idololatricam accedat, ipſamque maximè redoleat, atque adeò qui à Neophytis ex quâcunque non pravâ cœteroquin intentione præſtitus, ſcandalum generare poſſet, plurimis non temerè opinantibus chriſtianos idololatrarum errori favere.

Adde quod non leve periculum foret ſuſcitandi veteris illius erroris ac ſpei in eorum animis qui illa cum mortuorum cultu à teneris unguiculis conjunxere. Atque ut iſtiuſmodi cultus inanitatem potius quam ſuperſtitionem in fide erroneam faciliùs declarent, accommodate ad captum Sinicum, & juxta ipſorum effatum de obſequio mortuis præſtando ut vivis, hoc non ſpernendo utuntur argumento, quod cum vivi parentes ſi ambuſtarum hujuſmodi papyrorum fumo circundari ſe, nareſque oppleri perſentiſcant, deſpectos ſe putent ac moleſtiâ affectos ob vani auri argentique fœtorem, quo tandem pacto fiat ut ſe poſt mortem iiſdem maleolentibus fictarum opum fumis honoratos judicent ac gaudeant; cujus argumenti vis nullam ſuponit in Sinis hoc audientibus opinationem de præſentia animarum in cadavere, uti oppoſitor ſibi ſumit. Nam exequiæ celebrantur à Sinis in honorem defunctorum, quorum animæ non oculis corporis ſed ad ſummum mentis inſtructæ ſunt, quibus res à ſe loco fortè diſſitas attingant.

Digitized by Google

Cæterum tametsi nunc infideles multi soleant post absolutum intra aulam solemnis oblationis cultum, extra ipsam quoque papyros cremare, hæc combustio præviæ oblationi & constitutæ ipsius solemnitati merè accidentariâ est, quare illam intrinsecè non afficit, sed est alia ratio, cultusque ut plurimùm superstitiosus, merè per accidens, cum veræ ac nitidæ pietatis cæremoniâ conjunctus qui certè omninò eliminandus est, & in quem palam ubique christiani sin minus acriter invehuntur, eum sanè derident, & explodunt. Idem esto judicium de reliquis, si qui forte alicubi admisceantur peregrinarum sectarum ritibus, necnon depravis quibusdam opinationibus & intentione illorum, qui quæ de se recta sunt perperam operando contaminant. Hæc enim universa manifestè Neophyti abominantur. *Qui separaverit pretiosum à vili quasi os meum erit.*

NUMERUS ULTIMUS

De jejunantibus Sinis.

AD extremum, ut nulla penitùs scrupuli fibra intacta relinquatur, aliquid hic breviter adjiciendum de quodam nunc inter Sinas usitatiori jejunio seu abstinentiâ, in gratiam defunctorum à plerisque observatâ. De aliis enim minùs frequentibus ac velut particularibus paucorum aliàs egimus, de quo imprimis adverto plurimum discrepare ab aliarum Gentium præsertim Indicarum super-

Digitized by Google

ſtitioſis jejuniis, quæ conſiſtunt in abſtinentiâ in uno aut altero ciborum genere puta carne vaccinâ & porcinâ. Cum enim ab aliis cibis qui melius palato ſapere ſolent non pariter abſtineatur, indicio eſt non ex præſcripto temperantiæ, ſed ex aliqua ſuperſtitioſâ obſervatione jejunium illud ſuſcipi puta porcum repudiari ad retinendam antiquæ legis obſervationem, ritumque nunc abolitum; ſimiliter uſu vaccæ interdictum ob altiorem quamdam & ſuperſtitioſam de illo animali ſuſceptam exiſtimationem.

At Sinæ ſic de abſtinentiâ ſentiunt, ut quo diuturnior illa eſt, & à pluribus vegetioribuſque aut delicatioris ſaporis ſeu cibi ſeu potus, eò præſtantior habeatur, quæ regula ex ſeſe ad temperantiam quaſi heroicam pertinet. Inter ipſos primas tenet abſtinentia non modò ab omnibus vitâ ſenſitivâ præditis ſed ab aliis quoque plurimis oleribus, cujuſmodi ſunt cœpe, allia, porri, & ſimilia, à quibus nonnulli certo dierum numero ſingulis menſibus, alii per totam vitam ſibi interdictum volunt. Atque hi dicuntur perpetui jejunantes verum ſuam illam abſtinentiam, cum omnes magni cujuſdam præmii ex tam eximio, ut putant, opere reportandi ſpem capeſſant, non unius tamen omnes præmii nec unius ejuſdem remunerationis intuitu, in ſexaginta & amplius diverſorum numinum ſectas diſtribuuntur.

Interrogati igitur de ſui illius jejunii motivo alii afferunt ſtudium illius idoli de ſexcentis quæ coluntur, alii tamen pium animum

Digitized by Google

ſubveniendi mortuis aut ſanè erga eos obſervantiæ conteſtandæ permulti in recte operando ſiſtunt *quey xen*, non pauci ad cæleſtem patriam redeundi deſiderium *quey kia* nonnulli contendunt plurimos jejunium illud obſervare ex errore, quo nefas eſſe ducunt viventia occidere, ne fòrte in aliquod corpus à parentum communium animabus per tranſmigrationem occupatum incidant. Non nego hunc ſenſum de tranſmigratione animarum quorumdam Sinarum animis inſediſſe, ſed inter tot jejunantium millia, in quæ incidi, non memini me reperire qui hanc jejunii ſui rationem adduceret. Permultos verò offendi qui ea mactarent, aliiſque comedenda parabant animalia à quorum carne deguſtandâ ipſi jejunii causâ abſtinebant.

Præterea non modò animalium, ſed & certorum olerum ac vini uſus jejunantibus illis inhibetur, quod cum animarum tranſmigratione connexionis nihil habet, unde infero latum diſcrimen eſſe inter hoc jejunium ipſiuſque motivum & peregrinam obſervationem, atque Bonzaicam, tanquam iſtud eſſet unum è Bonziorum præceptis exquo animalia mactare vetantur, *vû ſa xem*, uti ex altero vinum bibere, & ex altero fornicari prohibentur. Neque enim omnes qui ejuſdem cum Bonziis ſectæ ſunt, iiſdem continuò præceptis ſe obſtringunt neque omnes jejunantes ex eodem cum Bonziis errore idem illud materialiter idem ſuſcipiunr, imo cum ejuſmodi jejunantes innumeri ſint, perpauci inter illos tranſmigrationis errore ſunt infecti, plures

Digitized by Google

in alio minus intolerando verſantur de inferorum cruciatibus à quibus animæ jejuniis illis liberentur. Ex quibus præmiſſis.

Colliges primò. Hæc jejunia Sinica non eſſe ex naturâ ſuâ morali ac per ſe ſuperſtitioſa, quoniam non ſunt proteſtativa erroris illius internæ ſuperſtitionis in jejunante, tum quia à diverſarum ſectarum hominibur ex diverſâ intentione etiamſi lubet ſuperſtitioſâ, obſervantur, ergo nullius determinatæ ſuperſtitionis aut ſuperſtitioſæ ſectæ ſunt proteſtativa, quidquid autem ad proteſtationem ſuperſtitionis determinatum eſt ex naturâ ſuâ, debet eſſe proteſtativum alicujus determinatæ ſuperſtitionis, in ordine ad quam in certâ ac determinatâ ſpecie actionis externâ extrinſecè malæ ac ſuperſtitioſæ conſtituatur; nam ſigna practica non inſtituuntur ad repræſentationem rationis genericæ abſtractæ à differentiis oppoſitis, quas operando paſſim homines intendant ac circunſtantibus notas velint, tum quia quod in aliquâ regione eſt proteſtativum ſuperſtitionis debet eſſe id ex cujus notitiâ deveniatur in cognitionem internæ ſuperſtitionis, quæ judicetur eſſe in animo operantis; atqui iſtud præſtari non poteſt per eam actionem quæ in illâ regione exercetur à multis ſuperſtitione per ejuſmodi actionem ſignificatâ carentibus, ut per multi Sinæ palam profitentur ſe jejunare ex fine nullatenùs ſuperſtitioſo, puta ad operandum bonum vel ad cœleſtem patriam repetendam; ergo non poteſt hoc jejunium in Sinis cenſeri ex inſtitutione communi ſpectare ad internam

Digitized by Google

ſuperſtitionem declarandam velut præſtitutam ſibi ex inſtitutis Sinicis vel ſuæ ſectæ legibus finem, licet autem alicujus particularis ſectæ homines illud omnes ad ſuperſtitioſum finem quaſi ex condicto ex ſuæ ſectæ legibus & inſtitutis deſtinarent, cùm tamen ipſi authoritate publicâ non polleant in Sinas univerſos, efficere nequeunt ut iſtud jejunium ſit ejuſmodi ſuperſtitionis proteſtativum, ſaltem in iis qui ſectam illam non profitentur imò neque in iis qui hujuſmodi ſectæ mandatis ſe ſubjecerint niſi aliunde in præceptum jejunium inducta fuerit vis proteſtativa erroris, ex quo obſervatur uti cap. 1. oſtendimus.

Colliges ſecundò. Neophytis Sinis licitam non eſſe abſque graviſſima cauſa continuationem prædicti jejunii, quod ex aliquâ ſuperſtitione ſuſcepiſſent, etiamſi priſtinam intentionem pravam cum rectâ commutent. Ratio præcipua petitur ex gravi periculo quod iſtiuſmodi hominibus imminet, ne ad priſtinum animum ſuperſtitioſum redeant, vel etiam illum quaſi incogitantes aliquatenùs foveant, & alant etiamnum aliquid ſpei in priſtini jejunii bonitate ac meritis, quæ ſibi ante converſionem fingebant; deinde vix ejuſmodi continuatio tranſigi poteſt ſine juſtâ aliquâ occaſione ſcandali infirmioribus aliis Neophytis datâ, cum iſti ſine temeritate arbitrari poſſint ob firmatum illum in antiquo illo jejunio animum, ex quodam veteris ſuperſtitionis ex qua captum fuerat jejunium, amore proficiſci.

Verumtamen ſi de aliquo paſſim conſtaret

Digitized by Google

quod jejunium absque ullâ superstitione suscepit, neque peccandi periculum jejunanti, neque rationabilis occasio scandali imbecillioribus aliis ex eâ continuatione offerri videtur. Istud forte contingat in hominibus illius sectæ quæ cum idola omnia respuat, jejunare se ad patriam cœlestem recuperandam profitentur, quam sursùm indigitant; quod cum in eâ regni parte notum sit in qua morantur, nemo jure ac prudenter sibi persuadeat illius jejunii continuationem aliquid superstitionis annexum habere, cujus inchoationem ab omni superstitione solutam fuisse constat. De his qui plura cupit, controversiam de Sinicis jejunantibus baptismi candidatis consulat.

Digitized by Google

CAPUT V.

De cultu Confucii.

SIcubi gentium valet illud celebre, *cedant arma togæ*, profectò apud Sinas vel maximè, inter quos non minùs quam inter romanos togati non modò rempublicam domi administrant, sed etiam de bellicis expeditionibus decernunt, at præficiuntur exercitibus, eo majori cum autoritate quò majus litteratorum nomen adepti sunt, hinc *magistrum qui litteris animum excolit, non secus ac parentem qui corpus procreavit adeoque velut alterum parentem venerantur. Ly Ky* lib. 1. fol. 16. Neque ille gratæ venerationis animus & obsequium, vitæ seû patris seu magistri limitibus circumscribitur; uti perpetuam reddant tantorum beneficiorum memoriam, ad posteros usque propagatur; atque cum magistros inter facilè princeps sit Confucius, qui prædecessorum doctrinam atque opera ab iis quæ irrepserant mendis purgavit, & novis ipse luminibus illustravit, universæ deinceps posteritatis doctor eximius quam clarissimis & scriptis, & exemplis ad omnem rectè sentiendi agendique rationem informavit, ab omnibus observatus est. Hinc pueri eum ipsis litterarum rudimentis memorem illum sincerumque observantiæ animum erga colendissimum præceptorem quasi doctrinæ lac suavissimum

sugunt

Digitized by Google

fugunt, cum quo sensim adolescunt, posteaque sic ad maturiorem provehuntur ætatem ut ne cum ipsis quidem decrepitis consenescat, nec ante Confucii venerationem exuunt, quàm ipsam vitam, utique sine qua nec in litteratorum cœtum adscribi, nec magistratum gerere liceat, ea est Sinarum erga magistros & magistrorum magistrum gratitudo & observantia.

NUMERUS I.

Periculosè fingitur Confucium pro numine haberi.

VErumtamen si nonnullos Europæos audiamus, ne levissimo quidem honore sapientissimum illum virum afficere fas est, utpote quem, ut ipsi opinantur, pro falso numine habeant Sinæ, ac publicè colant, non secus ac reliqua Indicæ superstitionis simulacra, quibus nemo Catholicus cultum à Christiano deferri posse affirmet. Quod si eò res nostra devenit, non est quod de restaurandâ missione, aut propagandâ in hocce regno fide ampliùs solliciti simus; præstat colligere sarcinas, excutere pulverem è pedibus, & aliò commigrare, ubi spes aliqua gentis ad Christum traducendæ affulgeat. Hæc est Sinica indoles, ut vix ullum vel infimæ sortis hominem invenias, qui de aliquo ex liberis ad gradus litterarios, atque adeò ad magistratus forte promovendo non cogitet;

Digitized by Google

ad aliquem familiæ ſplendorem ac præſidium obtinendum, quo ſine à continuis vexationibus expedire ſe nequeat, verum niſi hos tam celſos animos deponat ſpondeatque ſe nunquam de ullo ex liberis ad litteratorum ordinem evehendo acturum, ego ſacris illum undis abluere non auſim, (quotus quiſque verò eſt qui id ex animo polliceatur?) certè niſi promittat, deſtitutus eſt neceſſariâ ad baptiſmum diſpoſitione, propoſito ſcilicet obſervandæ divinæ legis, quæ vetat parentem filios in ea arte inſtituere, quæ idololatriæ ipſos cultu implicet, cujuſmodi Confucianus eſſe nunc ſupponitur, cum ingenti noſtrûm omnium ſtupore, qui ante aliquot menſes ea de re nihil audieramus. Litteratos interrogemus qui ſuum magiſtrum tantis encomiis ad cœlum extollunt, ſi vel unus reperiatur qui illum à Sinis pro Deo haberi dicat, ultrò me victum fatebor. Dico amplius, ſi plebeios inter non planè ſtupidos exiſtat aliquis, qui Confucium inter numina reponat, quæ idololatrica ſuperſtitio invexit, ego quoque manus dabo.

Fictitiis ſuis numinibus, ſive dæmones illi ſint, ſive homines aliquatenus eximii, & poſt mortem in Deorum numerum relati, templa ponunt ac ſtatuas ad quas ſupplices univerſi accedant, dum publica quædam inſtat calamitas quam deprecentur: nominibus *fo*, *puſa* aut ſane *xin* paſſim eos compellant, at quis unquam Confucium ita nuncupavit! quis publicis hujuſmodi votis illius opem imploravit?

Digitized by Google

Imperatores non pauci eò superbiæ, dicam, an cæcitatis devenerunt ut spiritus moderni seu numinis titulo aliquem insignem olim virum donarent, hanc sibi authoritatem vanè arrogantes. Nullus tamen eâ voce usus est erga Confucium, quem varii variis iisque honorificentissimis appellationibus cohonestarunt, quas inter cùm usitatissima sit illa sapientis viri *xim gin*, ex hoc ipso constat quod eum diis Sinæ non annumerent, cum istos nunquam *gin* homines sed constanter *xun* Spiritus vocitent. Quæso te, cùm litteratorum coetus, ex cujus sensu res Confucii ab ipsa plebe æstimantur in quodvis idolorum genus perpetuo invehatur, qua eandem fronte Confucium suæ sectæ caput idolis accensitum ferat, ne dum ipse annumeret.

NUMERUS II.

fundamentum oppositorum petitum ex cultûs majestate.

UNde ergo hæc opinio quorumdam Europæorum animo insedit. Hoc nempe non infirmo, ut putant, argumento ad id compulsi sunt, quod iis omnium ore titulis insigniatur, iis colatur in ædibus, & eo oblationum apparatu, ut nihil planè ad veræ proprièque dicti *templi* ac *sacrificii* perfectam rationem desideretur, quæ tamen ei soli tribuuntur, cui Divinitas adscribitur. Ego verò è contra ex iis quæ intra septa palatii, seu-

Digitized by Google

gymnasii, seu aulæ Confucii geruntur, nihil quidquam esse superstitiosum, nihil idololatriam sapere, nedum continere contendo.

Honores Confucio in propriâ aulâ delati alii sunt qui ad gradus literarios promovendis ita indicuntur, ut sine illis in baccalaureorum album referri aut privilegiis gaudere nequeant, sive hæc ad laureæ ipsius naturam, sive ad perfectionem duntaxat & complementum requirantur, id nobis satisfuerit, quod is est cultus qui sine maximo dignitatis amittendæ aut saltem sperati ex ipsa fructus minimè percipiendi periculo non omittatur. In eo porrò consistit, quod coram tabella Confucii nomen ac titulum præferente tum cereis utrinque prius accensis, necnon odoribus, fiat corporis inclinatio usitata in omnibus amicorum consalutationibus; neque enim tunc ab ipso salutante quidpiam suffitus offertur; at ex dictis nemo non videt, hæc omnia superstitionis religiosique cultus specie inter Sinas vacare cùm planè similia sint iis quæ discipuli ad suam erga honoratiores magistros observantiam contestandam adhibent, & quibus plebs discedentes magistratus coram colit, necnon absentes in statuâ, quæ publicè in propria aula ad venerationem ejusmodi exponitur, neque tunc temporis quidquam precum intercedit, sed grates duntaxat, tùm demortuo Confucio cùm superstitibus atque ibidem astantibus doctoribus persolvuntur.

Alius est solemnis cultus bis quotannis statо tempore juxta regium mandatum exhi-

Digitized by Google

bendus, *cy* id est *pia oblatio* dictus cui Præfectus civitatis vel oppidi cum literatorum Præfecto quasi ex officio præsunt, reliqui pro arbitrio literati sic confluunt, ut in absentes nequaquam inquiratur, postquam delectus est porcus vel cervus, vel capra nullâ lue infecta, aut membro manca, mactatur in vicino atrio vel campo, in frusta dissecta caro discis quibusdam seu lancibus imponitur, alia idonea vasa frugibus atque oleribus implentur, præparatur sericum, ex urnâ vinum scyphis infunditur, inter astantes qui melioris sunt notæ, præter Prærorem civicum & Præfectum rei literariæ assumuntur nonnulli qui literariâ pariter togâ induti juvent ad res prædictas decenter ac reverenter Confucio offerendas, coram ipsius tabellâ, quæ educitur ex arculâ, intra quam in loco paulò altiore asservari solet.

Oblationis autem ratio hæc est, ut manibus sursùm nonnihil attollatur, eâ quâ par est gravitate, ac postmodum in præparatâ mensâ deponatur, profundiori unâ præmissâ & alterâ adjectâ corporis inclinatione inter gravissimos viros sese consalutantes usitatâ, quam circumstantes omnes ab aliquo literatorum ad id deputato altiori voce moniti suâ quoque inclinatione comitantur. His coram tabella Confucii peractis, ad simile quid coram tabellis Confucii discipulorum hinc inde dispositis præstandum proceditur. Neque interim simphonia desideratur, tum duo inferuntur disci, quorum alter aliquid sanguinis, alter aliquid pilorum ex mactato ani-

Digitized by Google

mali decerptorum continet. Atque hæc coram tabellâ Confucii sic offeruntur ut è vestigio ferras deportentur, mittenda in foveam paulò ante de industria apertam, quæ statim humo completa adjacentis campi solo æquatur. Exin effusum crateribus vinum honoratioribus viris epotandum porrigitur, carnes ac fruges muneris loco, inter graviſſimos viros partim præsentes, partim absentes distribuuntur, recitatur de scripto ab uno de literatis oratio funebris ex Confucii laudibus contexta; sic demum absoluto ritu, singuli sibi invicem & maximè civitatis ac literatorum Præfectis ipsique rei literariæ gratulati ac bene deinceps in futura sæcula precati domum revertuntur.

Hoc nempe est sacrificium solemne missæ à sacrorum antistite cum *sacerdotibus*, *diacenis*, *subdiaconis*, *acolythis*, *cantoribus*, *altari*, *rituali*, *missali flectamus genua*, *levate*, per nefandam idololatriam celebratum, uti nonnulli loquuntur: perinde quasi Sinico cultui labes unis verbis invidiæ plenis adhærescere posset.

NUMERUS III.

Ex ipsa Confuciani cultus naturâ & origine illius integritas probatur.

EGo verò pugno ex hac solemni oblatione non modò non effici cultum Confucii idololatricum esse, ut potiùs ex illâ rite consi-

Digitized by Google

deratâ decem & amplius valida ſuppeditentur argumenta ad Confucii cultum ab omni ſuperſtitione abſolvendum, atque hoc in primis argumento res univerſim concludi poteſt.

Quæ oblatio Confucio fit ex priſco ritu erga defunctos omnes Imperatores etiam nunc obſervato, ea nihil habet ſapit-ve ſuperſtitionis, ſed illuſtris dumtaxat pietatis opus eſt; atqui expoſitus ſolemnis ille Confucii ritus, eſt ejuſmodi oblatio; ergo neque ſuperſtitioſa eſt, neque idololatriam redolet.

Major propoſitio conſtat ex tribus proximè ſuperioribus cap. in quibus oſtendimus pias omnes mortuorum oblationes, ritu patrio & non peregrino factas non eſſe ſtricta ſacrificia, quibus is colatur qui habeatur pro numine, ac domino vitæ ac necis aut primo principio, ſed eſſe ſolummodò eximiæ pietatis officia erga ſecundum principium naturale gubernationis vel etiam productionis ad debitam ipſi venerationem exhibendam, non autem ad præmium religioſi cultus obtinendum inſtituta.

Probatio minoris propoſitionis indubitata repetitur ex lib. præſertim 8. de offic. ubi hæc omnia in *ty cham*, (quæ ſunt duæ ſolemniores defunctis Principibus factæ oblationes) obſervanda ſubjiciuntur mutatis dumtaxat litteris tabellæ inſcriptis. Deinde illud explicatiùs traditur in libris quaſi Ritualibus, qui cuſtodiuntur in archivio cujuſlibet Confuciani ſeu litterarii gymnaſii, à quorum præſcriptis diſcedere non audent, quique adulterari non poſſunt, cùm in regiâ quoque aſſerventur, & typis re-

Digitized by Google

giis mandati sint. *hum vû* tamingæ familiæ fundator, è Bonziorum fœcibus ad solium evectus, adeóque erga ipsorum peregrinæ superstitionis Idololatriam & fictitia numina mirè propensus, *primo imperii anno omnes spiritus donavit honorifico titulo*, modernus nempè spiritus quibus fana ad supplicationes instruxerunt, cùm isti sint homines eximii, &, si de Sinis agatur, quasi heroes, quos veteres Sinæ pro Sanctis, recentiores Idololatræ pro numinibus habuêrunt, *tantummodò Confucio determinavit dignitatem Præfecti, quod de industria fecit, ut ipsius antiqua dignitas continuaretur more solito.* Undè præclarum suppetit argumentum quod post Idololatricam rerum perturbationem, quæ priscos illos heroas, *San vam y ty* aliósque peregrinis numinibus immiscuit, ne amantissimus quidem ac devotissimus modernorum spirituum Imperator ausus sit numinis moderni nomen commune *xin* Confucio tribuere, imò dignitatem Confucii vocat *cio*, quod civilis est dignitatis ac tituli, nequaquam autem religiosi.

Idem Imperator assiduâ litteratorum optimatúmque consuetudine, ac vetustorum codicum lectione, à peregrinis deliramentis ad saniorem aliquantò mentem, avitámque doctrinam traductus, anno imperii septimo novis quibusdam honoribus, novóque titulo Confucium condecorare cùm in animo haberet, ut Prædecessores omnes unâ voce ad cultum amplissimâ vinceret, oblationes fieri jussit Confucio quasi *regi & Imperatori* (*vam xam*) quam particulam *vam*, (regi) addidit, ne

Digitized by Google

ne quis existimaret quod eum haberet pro Deo seu supremo Imperatore qui *xam ty* vel *ty*, sine ullo additamento à Sinis appellatur.

Anno Imperii 26. rationem reddidit Jejunii & abstinentiæ pluribus diebus observandæ ante solemnes Confucii oblationes, *quod jejunium & abstinentia in hac oblatione cum iis quæ erga Imperatorem observantur, est una & eadem.* Hâc ipsâ de causâ *mandat seligi optima animalia ad oblationem necnon accedentes ad tabellam Confucii educere laminam eburneam* in cingulo repositam, quâ vultum reverentiæ causâ operiant, uti coram Imperatore mos est. Hæc postrema cærimonia non est in usu extra curiam, cùm soli mandarini aulici, non autem alii mandarini vel litterati per Provincias dispersi, laminam ejusmodi gestent, nisi quod illius laminæ *ho* dictæ usus ubique conceditur Præsidibus hujus solemnis Confucii oblationis, ut omnes regii cultûs partes in ea ubique expleantur.

Quâ eadem mente Imperator *chin hoa* indixit excensionem ex equo vel gestatoriâ sellâ præ Confuciani Palatii foribus transeunti, ne quibuslibet regiæ stirpis Principibus in Aula delatus honos denegaretur rei litterariæ Imperatori Confucio, quasi hic minori in pretio haberetur.

Atque hæc sufficere videbantur ad quæstionis solutionem, nisi majestate hujus oblationis perstricti nonnulli ex variis ipsius circumstantiis Idololatricam superstitionem eruere niterentur, quibus ut penitùs satisfiat, eâdem quâ superius methodo oblationis naturam & circumstantias quasi vestigia relegendo consideremus,

Digitized by Google

NUMERUS IV.

Objectum seu ratio formalis Confucii colendi.

DUcatur initium ab eo, ex quo hic cultus speciem naturámque desumit, istud nempe est imperandi virtus, seu meritum, ac fundamentum cultus solito illustrioris deinceps exhibendi. His istud vocibus aperit, *cy ju, ta chim, chi xim chy ven siven vam honorificè offeratur magno, perfecto, summæ litteraturæ denunciato seu illustri Regi.* Et in Oratione panegyrica sub finem cærimoniæ quam ipsemet Imperator peregit, clariùs explicat sapientiam illam ac virtutem ob doctrinam, quâ olim &c. Ad hæc usque tempora mundum complevit, præsertim explicatione & emendatione primæ classis voluminum quæ dicuntur *lo xim solummmodò magistri nostri virtus æquiparatur cœlo ac terræ, cùm doctrina ejus illustret ac coronet priscam & modernam, dum resecuit, expolivit, & exposuit sex volumina, ideò dignitas illius illustris erit semper. Nos reverenter usi hoc animali serico, vino pretioso, orizâ mundâ & selectâ, cæteris fructibus ac ferculis dumtaxat hæc pauca ex antiquo ritu offerimus.*

Nota postremas has voces *ex antiquo ritu*, quæ declarant Sinas nunc oblationibus istis Confucium colere antiquo ritu tunc instituto, quando nihil numinis præter unum Deum procul ab omni idololatriâ agnoscebant. Id

Digitized by Google

ipſum confirmavit *Kia cim* ex Tamingâ familiâ, anno Imperii nono, cùm daturus primam operam ſtudio litterarum ipſemet ſolemnes Confucii ritus peregit, oblatione frugum ac reliquorum dicta *cy* legitque panegyricam orationem ſerico priùs involutam, & oblatam Confucio, cujus hic tenor fuit: *Ego Imperator ritum oblationis verum ac laudis beneficiorúmque commemorationem reverenter exequor erga prædeceſſores ſapientes & omnes regni magiſtros atque imprimis, chen cum & Confucium.*

Mox prælegens Panegyrim explicat quid ſit illa regni magiſtrorum doctrina ac ſapientia, & quo pacto hanc ſe ope eorum quos veneratur, conſequuturum ſperet, ex magiſtri ſcilicet operibus ac libris, in quorum lectionem ipſe ſedulò incumbat, ut in iis velut in terſo ſpeculo rectè ſentiendi ac vivendi normam intueatur. *Innitar*, inquit, *priſcorum illorum ſapientum relictis voluminibus, ut valeam penetrare veritatem, & componere mores humiliter tacitéque meditando revolvens mentis aciem inſtruam, me rudem diſcipulum, atque ita excellens doctrina perenne habebit irrigandi populi beneficium. Verùm ad rectam gubernationem regni ab Imperatore ex librorum ſtudio profectam datâ operâ iis oblationibus uſus ſum, tantummodò ad ſapientiſſimorum præceptorum memoriam & propoſiti ab illis ſpeculi & exemplaris imitationem.*

Ex quibus manifeſtum fit rationem formalem colendi hac ſolemni oblatione Confucii non eſſe divinam aliquam perfectionem, quæ in eo exiſtere fingatur, neque etiam virtutem aliquam humanâ conditione ſuperiorem, ex

Digitized by Google

qua ſtudioſis ſui cultoribus opitulari queat, ſed eam duntaxat eſſe ſapientiam eximiam, quæ eminebat olim dum viveret, quamque ſuis ſcriptis conſignatam ad poſteros tranſmiſit.

Ex quo ulteriùs conſtat cultum ipſi eâ ratione præſtitum, non minùs ex naturâ ſuâ politicum eſſe, quàm ſit is qui Ariſtoteli tribuatur, ob egregiam illam doctrinam quam olim verbo vel etiam facto, inſuper & ſcriptis de rebus præſertim metaphyſicis ac moralibus tradidit.

NUMERUS V.

De Voce Xim, *quæ Confucio tribuitur.*

Dices vocibus *ſapientiæ* & *ſapientis* me uſum eſſe hactenùs, cum *ſancti* & *ſanctitatis* nomina uſurpare debuiſſem, ut reddatur vox Sinica *xim* juxta vocabularia Sinico latina à Patribus edita. Verum primò non eſt quod de voce litigemus ſed de ſignificato vocis quod clariſſimum eſt, ea enim ad cultum in Confucio proponitur ſive ſapientia ſive ſanctitas quæ ei competit ut magiſter eſt ac Doctor, & ea per quam veterum libros emendavit præcipuè, ac ſuis commentariis illuſtravit : atqui hæc ad intelligendi vim pertinet, ac ſtrictè loquendo eſt ſapientis viri, non autem poſtulat vel indicat ſanctitatem vel gratiam ſanctificantem, aut ſupernaturalem aliquam aut quadamtenùs divinam virtutem, quâ nunc mortales juvare poſſit, quæque ſit objectum formale religioſi cultûs.

Digitized by Google

Denique ea denotatur excellentia quæ non modò Confucio, ſed & ipſius diſcipulis conveniat, tametſi in aliquo inferiori gradu, nam Imperator *Chim tum* ex eâdem Tamingâ familiâ anno Imperii tertio poſt confirmatum decretum *hum vu* de regiis ritibus Confucio exhibendis, de honorificâ oblatione vini à magiſtro Cærimoniarum crateribus infuſi, non litati ſancit, ut poſtquam peracta eſt, coram tabellâ Confucii, fiat eodem ritu coram tabellis diſcipulorum Confucii, quos inter appellat *yeu ea fo xim ve* divinum aut novum, *cem cu cum xim* illuſtrem, *cu ſu* nepotem Confucii *xo xim*, commentatorem *mem cu ya xim*. Secundum ſapientem, Confucium verò nominat *chy xim* ſummè ſapientem in ſuperlativo gradu, cum enim Sinæ comparativis ac ſuperlativis careant, ob ſua indiviſibilia monoſyllaba, utuntur particula *chy* quæ ſignificet (maximè) poſita cum adjectivo, uti ſolent & latini in aliquibus adjectivis ſuperlativo deſtitutis.

At nemo dixerit hos omnes Confucii diſcipulos pro numinibus haberi, aut etiam pro viris eximiæ virtutis moralis, quippe cum de ſecundo illo ſapiente ſeu ſancto Mencio multa à probitate abhorrentia narrent, adde quod alios decem diſcipulos inferioris aliquantò notæ Imperator vocet *xe che* decem prudentes, quod virtutem intellectualem denotat, ſed minùs latè patentem ac perfectam, quam ſit ſapientia, ad hæc Imperator *Kia cin* ait *ſe offerre defunctis omnibus ſapientibus magiſtris*, at nemo dixerit quod eos omnes pro Sanctis

Digitized by Google

habuerit, sed tantùm propter insignem scientiam coluerit, ob quam pro magistris habentur, uti verbis immediatè præcedentibus eos vocat *Chu su*.

Commentatores in doctrinas præsertim in *ye thim* appellant, simpliciter *xim gin*, quotquot ex antiquis non vulgari eruditione spectati fuêre, quorum tamen plurimorum una ferè doctrina deprædicatur, insuper in lib. 3. de offic. scribitur solos *xim* oblationes solemnes facere posse, atqui solemnes istæ oblationes fieri poterant à Principibus ac majoribus Præfectis qui seligebantur litterarum laude præstantes, quamvis in virtute etiam morali sæpiùs deficerent, multominùs isti habiti erant ut Sancti de cœlo delapsi, quorum status, beatus, potens ac glorioſus significaretur nomine *xim*; quod oblatum fuisse viventi Confucio scriptis consignarint illius discipuli, sed ipsum præ modestia ejusmodi titulum respuisse, cum se judicaret minori sapientiâ instructum quam par esset ad nomen *xim*, multo minùs ad nomen *chim*, quod magis constantem & absolutam virtutem significat, sed quoniam istud per se primò ad perfectiorem rectitudinem voluntatis potiùs quàm intellectus pertinere videtur; propterea rarò ipsum Confucio tribuunt, nisi conjunctim cum nomine *xim* seu sapientis, quod nusquam omittunt, tanquam id quod in eo maximè suspiciunt, quin etiam omnia Imperatoris edicta *xim chy* appellant ob præcellentem nimirùm sapientiam Consilii regii, à quo profecta supponuntur.

Digitized by Google

Verùm de ſignificatione vocis Sinicæ præſtat conſulere vocabularia, non ab Europæis, ſed à Sinis ſuam linguam apprimè callentibus confecta, at utrumque celebrius vocabularium affirmat *to xim* idem eſſe atque ingenii acumine præditum, *ſuy ye*, item qui res penetrat *cum ye*, vocabularium minus ait, *qui ſummè ſeu excellenter metitur ordinatque hominis rectitudinem*, ille dicitur *xim*. Ex libro *Tum lun*, *qui res ac negotia penetrat*, *quæ priùs cognovit*, ſcilicet quaſi indagando, eſt *xim*, quæ omnia patet ad perfectionem intellectûs partim nativam, partim acquiſitam vel unicè vel per ſe primò ſpectare, quæ eximia ſi fuerit, ſapientia dicitur.

At ſapientiam iſtam, ut patet ex lib. *chum yûm* paſſim, à rerum naturalium inquiſitione, meditatione ac penetratione evadentem ad primi principii notitiam, & ſi deeſſe ſpeculativam eſſe noſſent Sinæ, tamen iis vibrare luminibus & igniculis putarunt, ut eâ inſtructorum virorum voluntates accenderet ad ſtudium virtutum moralium, quarum ſaltem aliquas exteriores ac politicas ſapiens ille amplecteretur, tametſi non quilibet omnes aut in æquali gradu, hinc lib. 3. de off. fol. 46. *Cum pietas & juſtitia concordant*; *item cum hoſpes & is qui eum domi excipit*, *mutuis ſe officiis proſequuntur*, dicitur xim & in lib. xy fa, *qui de prædicando manifeſtat aliena bona*, *& patienter expectat correctionem*, *dicitur* xim, *qui veneratur hoſpites magnis urbanitatis officiis dicitur* xim.

Expende utrum in aliqua iſtarum ſignificationum fiat mentio ſanctitatis eo modo ac-

Digitized by Google

ceptæ, qui ad religioſi cultus motivum pertinet, enimvero cum voces ſint inſtitutæ ad ſignificandum & declarandum inſtituentis conceptum de re cui nomen imponit, non potuerunt Sinæ voci *xim* imponere ſignificationem illius rei quam ignorabant; atqui res per vocem *ſanctitas* ſignificatæ ſunt prorſus ignotæ Sinis, qui neque de gratiâ ſanctificante, neque de aliis ſupernaturalibus donis tùm beatorum cùm viatorum quidquam audierunt. Nihilominus cum nulla vox Sinica ratione ſuorum propriorum in gente ſignificatorum propiùs accedat ad ſignificationem vocis, *ſanctus*, antiquiores Patres in hac miſſione Sinenſi uſi ſunt voce *xim* ad veram ſanctitatem exprimendam, ſic tamen ut latum inter utrumque ſignificatum diſcrimen ſcriptis atque ore declararent, oſtenderentque proportionem in eo conſiſtere, quod noſtri beati & ſancti, *xim*, multò magis ſanctiſſima Dei trinitas, gauderet Dei viſione, quæ ſapientiâ quavis Sinicâ ſeu *xim* longè præſtantior eſt; ſanctitas autem creata viatoribus ac comprehenſoribus communis conſiſtit in gratiâ ſupernaturali, quæ eſt divinæ charitatis ac virtutum omnium infuſarum vivarumque radix fœcundiſſima & certiſſima, cum ſanctitas illa ſeu *tò xim* Sinicum ſit, dubia dumtaxat radix ac fundamentum virtutum merè moralium, ad quas leviter facem præferendo inclinat.

Accedit quod cum *tò xim* Sinicum ſecundum totam ſuam latitudinem acceptum ad præcipuas

cipuas virtutes naturales tam intellectus quam voluntatis extendatur, prudentissimè aptatum fuit ad referendum præsertim inter Christianos Sinico idiomate sanctitatis proprie dictæ nomen, quod supernaturalium utriusque generis virtutum nitorem atque integritatem significat.

NUMERUS VI.

De ministris in cultu Confucii.

PRobo secundò. Ex circumstantia personæ solemnem oblationem Confucio peragentis. Præpositus oblationi *chû cy* est prætor civicus; adjutor *tú cy* est præfectus literarum urbis vel oppidi; *hio quon* magistri cœrimoniarum munere fungitur aliquis ex præcipuis literatis adstantibus ad id delectus ob suam in ritibus peritiam, *can-chè*.

Idcircò autem prætor civicus præsidet, quod oblatio fiat nomine Imperatoris, non ut sacerdotis, sed ut præsidis oblationum quæ fiunt in aula progenitorum regum, ad quam normam ista fit Confucio, ut sapientiæ regi denunciato; ideò verò præfectus literatorum adjutoris munere fungitur, quod eadem oblatio litteratorum quoque nomine peragatur uti ex ipsis rebus oblatis mox clarius liquebit.

Isti omnes eam togam induunt quâ uti solent inter salutandos suos superiores, vel etiam honoratiores amicos pro ratione sui officii aut gradus, atque isti ut ita dicam administri oblationum nihil sacræ deputatio-

Digitized by Google

nis referunt, vel ex veſtitu, vel ex delectu perſonæ ſed omnia hæc merè civilia ſunt, ut ex ipſorum fine patet; ergo cultus ad quem deputati ſunt illi miniſtri, merè civilis eſt.

Certè qui præſtantiſſimus eſt cultus exhibitus alicui in quo divini quidpiam agnoſcatur, debitis à peculiaribus & quaſi conſecratis miniſtris, cum certis veſtibus, quæ religionem utcumque indicent, exhiberi; præſertim inter Sinas, apud quos id conſtat in avitâ lege, cujus ſacrificia imperator ſolus quaſi à Deo deputatus non ſine peculiari veſte offert. Id ipſum inviolabiliter obſervant, in utrâque idolorum ſectâ, cui ſui ſunt ſacrificuli cum accommodatis ad infanda ſacra indumentis; ergo cum nihil hujuſmodi reperiatur in ſolemni oblatione Confucii, quæ fit ab ipſo magiſtro aliiſque profanis adjutoribus, qui vulgari habitu, ſine ullâ deputatione ex officio munera illa obeunt, manifeſto hæc indicio ſunt, quod cultus ille inter Sinas non religionis ſed pietatis merè civilis affectu inſtitutus ſit, eodemque affectu præſtetur.

NUMERUS VII.

De rebus Confucio oblatis.

PRobatur tertiò. Ex circumſtantia rei oblatæ, Namque res iſtæ ex mandato Imperatoris *hûm rù* eædem eſſe debent cum iisquæ in oblationibus regum defunctorum offeruntur quod ita confirmat Imperator *chim tum ut permittat cervum cum ove & nuces (avellanas cum*

Digitized by Google

aliis fructibus commutari, ubi eas propria terra non suppeditat. Quæ oblationum materia regibus omnibus tum probis cum improbis honorandis addicta denotat eum ad cujus venerationem adhibetur, ob regiæ dignitatis excellentiam, planè civilem coli, non autem propter Eminentiam aliquam quæ præstantiam humanæ conditionis excedat ut fiat objectum religionis; ergo cum Confucius in celeberrimo qui ipsi defertur cultu, honoretur iisdem quibus reges oblatis, non habetur dignus superioris ordinis honoribus ob excellentiam virtutum superioris ordinis, quam sit civilis illa excellentia, quâ insignes fuere reges dum vivebant & obquam omnes ex æquo post obitum coluntur.

Quod autem ovis cum porco in oblatione Confucii exhibeatur, cærimonia hæc est quâ doctores colunt suos avos, ut constat ex cap. *Kio Ly* de off. *sú y yam xy. Doctores adhibent ovem & porcum in oblationibus avorum*, de quibus ibi agitur. Jussu pariter regio *offeruntur certa olera*, quoniam ex *Ly Ky* cap. *Hio Ky*, *est oblatio facta defunctis præceptoribus in venerationem doctrinæ çò cay y Kún taò yè*, hæc vero commentator docet offerri manibus viventium magistrorum ac nomine discipulorum, quocirca sive cervum Confucio quasi Regi, sive ovem aut porcum tanquam doctorum progenitori, sive olera veluti litteratorum quorumque magistro oblata spectes, palam certè fiet, hæc non aliis quam præcellentis doctoris ac magistri titulis ad perpetua gratæ venerationis monimenta offerri.

Digitized by Google

NUMERUS VIII.

De aula Confucii.

PRobatur quartò. Non infirmo argumento quod petitur ex loco, in quo singulares illi honores Confucio deferuntur. ædificium est amplum ac magnificum de cujus nomine certò statui nequit, nisi priùs constiterit quem in finem sit extructum, atque hic finis ex ædificii formâ, & ex literis in illius frontispicio inscriptis, tanquam res significata ex signis minimè dubiis, deprehendetur.

Aulæ sunt multæ intra idem palatium, necnon commoda aliquot cubicula, ut de officinis nihil dicam, aularum præcipua in nobiliori interioris atrii parte sita, deservit ad exhibendam venerationem Confucio à literatis, idque certis diebus quibus reseratur, non aliâ planè ratione quam aulæ defunctorum regum ad debitos illis honores ab regiæ stirpis principibus ac familiaribus exhibendos, aliæ amplæ aulæ tres quatuorve ad latera atrii dispositæ sunt, quibus excipiantur literati, dum eò conveniunt ad varia rei literariæ negotia tractanda sive de examinibus subeundis agatur, sive de conservatione privilegiorum, aliisque ejusmodi, ob quæ milleni quandoque confluunt; ac seditiones nonnumquam excitant aut minantur. Cubicula cum minoribus aulis & officinis occupat præfectus rei literariæ ac literatorum judex ab Imperatore constitutus. Inciſæ totius ædificii frontiſpicio

Digitized by Google

ſunt hæ litteræ, *ven miáo*, *eloquentiæ* vel potius *litteraturæ* ſeu *doctrinæ templum* vulgò autem appellantur, *kio ly* ſeu *jû ſuo ſchola*, non ad pueros erudiendos, ſed ad perficiendos litteratos qui donis lauream doctoralem adepti ſint in diſcendis repetendiſque litteris diſcipulorum inſtar occupantur, ne excidant è gradu cujus conſervatio ad ſenectam uſque ab examinibus pendet, huic appellationi *kio ly* ſapienter ſeſe accommodans P. Martinus Martinez ûſus eſt nomine *gymnaſii*, quo nullum aptius latina lingua ſubminiſtrat, cùm eâ voce exprimatur uſu finiſque adæquatus illius ædificii, qui ex tribus quaſi partialibus coaleſcit.

Primus finis ſeu uſus eſt honorandi præcellentiſſimi magiſtri Confucii, ſecundus eſt præparandi loci apti ad cogendos litteratorum coetus, tertius præbendæ habitationis commodæ præfecto ac magiſtro litteratorum vivo, ut ipſi eum nuncupant *laô ſu*; atqui tres iſti fines per ſe primò ad rem litterariam civilemque, nullatenùs autem ad religionem pertinent, ne ipſe quidem primus ex quo cultus Confucio ut magiſtro exhibendus eſt non animo religioſo, ſed ex pio erga magiſtrum affectu, ut jam oſtendimus, & titulus ipſe *ven miao*, vel *ſien ſu miao* declarat. Quamvis enim vox *miao* uti capite 4. diximus ſolitariè accepta ſignificet ædem pio cultui dicatam abſtrahendo à religioſo erga ſuperos vel politicæ pietatis erga mortuos, tamen per alteram vocem illi adjunctam determinatur ad alterum ex iſtis; atque ſi adjaceat

Digitized by Google

nomen alicujus numinis seu veri ut, *xam ty miao* supremi Imperatoris templum, seu falsi ut *yo hoam miao*, pretiosi Imperatoris templum, aut etiam angeli, ut *chim hoam miao*, templum spiritus præsidis civitatis, tunc erit templum propriè dictum ac religiosum; sin autem addatur *cum miao*, avorum templum, in quo merè politici honores deferuntur ob generationis educationisque beneficia à parentibus accepta, non strictè proprièque sed latè dumtaxat acceptum templum fuerit, hic ergo cùm scribitur *ven* aut *sien su miao*, declaratur ratio pii cultus exhibendi, quæ est scientia, ob quam in magistro eximiam, & ad posteros per scripta dictaque gestis subinde confirmata propagatam observatur.

Porrò vocem *miao* totius ædificii valvæ præferunt desumpto titulo ac nomine à præcipua illius ædificii parte quæ est aula honorando Confucio destinata, quæ cum anteà vocaretur *ven hoa tien* elegantioris doctrinæ palatium, *kia eun* nono imperii anno emendavit ac perfecit *honorificorum obsequiorum formam & quasi regulam ac methodum, initium duxit à tabella, cui cum inscriptæ essent ha litteræ, mo chu in earum locum substitui voluit chy xim, sapientissimi defuncti magistri Confucii memoria*, eo quod sit defunctus magister; emendavit doctrinæ palatium quæ erant litteræ titulares positæ in aditu aulæ Confucii intra septa Palatii, *& commutavit eam istis, defuncti magistri templum sien su miao*, qui titulus rectè tributus est aulæ Confucii, quæ est intra septa regiæ, ne, vox, *palatium*, confusionem pareret, utpote quæ totum do-

Digitized by Google

micilium regium, seu regiam vulgò significat, cùm aula sit Confucio dumtaxat colendo destinata, ubi & *cum miao* est aula obsservandis parentibus dedicata, intra ejusdem palatii septa.

Usurpata est ergo deinceps litera *miao* ab Imperatore constituta, sed cum litterâ *ven* doctrinæ, vel cum litteris *sien su* defuncti magistri, aut aliis similibus, quæ omnes manifestè declarant sapientiam quâ olim magister ante obitum insignis erat, quæque in hominum animis ex ipsius recordatione ac librorum lectione aliquo modo nunc etiam spirat, non autem divinam quandam quam in eo nunc suspiciant virtutem, & quæ cultus & collocandi templi sit motivum, unde sic efformari potest argumentum.

Is cui aulæ & ædificia ponuntur ad præcipuos honores exhibendos tanquam magistro tam autoritate regia quàm ex consensu litteratorum totius regni, is inquam, non colitur ut Deus, neque ut instructus eâ sanctitate, quæ cœlitum propria sit nam parum pii & obsservantis animi foret, in eo humanam solummodò sapientiam venerari maximis honoribus, in quo divinas illas dotes, jam nunc splendescentes intelligerent; atqui Sinæ literati ex regis præscripto templa cum titulo ponunt, & præcipuos oblationum honores Confucio exhibent, tantummodò ob sapientiam quam scriptis post mortem consignavit, non ob aliquam virttutem aliam cujus mentionem faciant, ergo Confucium neque ut Deum neque ut cœlitem aliquem colunt, adeóque nullatenus divinis, sed merè politicis honori-

Digitized by Google

bus & obsequiis discipulorum erga magistrum.

Confirmari ampliùs potest, ex ædificii formâ admodùm diversâ à fanis Idolorum, ac templo tutelari civitatum, in his enim ultra locum venerando Idolo vel tutelari destinatum aliæ nullæ reperiuntur ædes præter eas quæ deserviunt ad commodam habitationem custodis templi, qui singulis diebus statuæ expositæ accensis cereis & odoribus famulatur, at in gymnasio Confucii peramplæ sunt ædes ad coetus literatorum, in rei literariæ utilitates incumbentium, & ad habitationem Præfecti qui suum ibi tribunal constituit, neque in piis obsequiis in aulâ Confucianâ præstandis magis occupatur quàm cæteri qui longiùs absunt.

Prob. 5°. Ex eadem circumstantia loci atque argumento insinuato à patre Martino Martinez, quod sacra Congregatio videtur approbasse, dum suo illud decreto inseruit; validúmque est ut ostendatur aulas Confucii non esse simpliciter dicta seu religiosa *templa*. Siquidem illa religiosa templa non sunt in aliquo regno, in quo nulla ex ipsis patent ad supplicationem iis viris qui se cultores profitentur illius personæ, quæ in iis ædibus colitur, atqui aulæ Confucii apud Sinas sunt ejusmodi, ergo non sunt templa religiosa.

Major patet inductione, quamvis enim in Palatiis Principum vel in gymnasiis aliqua sint religiosa sacella, ad quæ non omnibus datur aditus, non desunt tamen publica templa omnibus patentia in quibus idem numen colatur

latur, ratio est quod virtus divina non est certis hominibus privato quasi affectu addicta, sed erga omnes qui illam norunt, munifica & propitia, quorum etiam venerationem exigit. Quod si in aliquo regno sint determinata loca & templa ad illius cultum, in quo virtus divina agnoscitur, debent ea saltem aliqua patere universis qui se numinis illius cultores profitentur; jam verò, quæ est probanda minor, in Sinis non sunt determinata loca ædesque ad Confucii cultum, præter aulas prædictas in Palatio vel gymnasiis publicis erectas; istæ autem litteratis dumtaxat patent ad venerationem Confucii, non autem infinitis aliis, qui se Confucii cultores & de litteratorum grege profitentur, ergo ea loca non sunt destinata in Sinis ad religionem, sed ad politicam venerationem magistri à discipulis, uti & aulæ majorum dicatæ sunt cultui avorum à nepotibus, quibus scilicet, non aliis promiscuè aditus ad aulas istiusmodi patet.

Quin etiam hinc probatur Confucium non esse inter Sinas habitum pro numine, aut pro viro religiosis honoribus colendo, etenim ex quo Idolorum sectæ Chinam prope universam invaserunt, nullus ex iis viris est quos pro diis aut certè pro cœlitibus habent, cui sua non ponant templa cunctis patentia ad venerationem & supplicationes, dum publica quædam instat necessitas, atqui nullum ejusmodi positum est Confucio templum, ergo Confucius à Sinis inter ejusmodi numina, aut cœlites non numeratur.

Nec dicas in Metropoli Provincia *xam tum*

Digitized by Google

nullo negotio quoslibet ad Confucii templum admitti, nam eo quod Confucius sit oriundus ex illa Provincia, mirum non fuerit, si facilior detur aditus ipsius contribulibus ad visendum inibi ædificium, in quo Provinciæ totius tantum decus ac lumen observatur, cùm simile ædificium in aliis provinciis arctiùs claudatur, ex quo potiùs constat non ad religionem, sed ad consanguinitatem ac patriam rem spectare, si ita porrò habet. Deinde agitur de loco temploque patente, non ad politicam aut curiosam lustrationem, ad quam regum palatia, aulæ, horti, mausolæa sæpe panduntur, sed ad religiosas supplicationes; atqui ad istas nulla Confucii aula patet, vel etiam à literatis frequentatur dum urget publica calamitas, quo tempore ipsi Mandarini cærimoniis Confucii peragendis præsides ad templum tutelaris, & nonnulli ad idolorum fana confugiunt.

NUMERUS IX.

De tabella & statua Confucii.

PRobatur 6. Ex memoria seu representatione Confucii quæ in hac aula prostat ad venerationem, nam primo hæc tabella prorsùs eâdem est effecta ratione, atque in aulis aliorum defunctorum, ergo illa est signum cultus qui sit ejusdem generis cum eo qui reliquis mortuis magnatibus defertur, cum aliunde nullus sit usus ejusmodi tabellæ figurativæ, ad venerationem eorum qui religiosè in tem-

Digitized by Google

plis coluntur; deinde veræ litteræ inſcriptæ rem patefaciunt nam cùm olim aliæ non eſſent quam ordinariæ cum omnium mortuorum tabellis communes *mo tchù*, poſtea *thia eim* Imperii anno nono ſic emendavit; *ſapientiſſimi magiſtri defuncti memoria.* Proponitur itaque ad venerationem excitandam repræſentatio memorativa ſummæ ſapientiæ quâ defunctus Confucius ad magiſterium præditus fuit, atqui hæc ſapientia politicam non religioſam venerationem expetit.

Neque dicat in aliquibus aulis extare Confucii ſtatuam, nam ad cultum præſertim ſolemnem Confucio deferendum merè accidentaria eſt ejuſmodi ſtatua, tum quia non in maxima aularum parte reperitur, ſed in paucis admodum, idque ex abuſu, tum quia quamvis extet ſtatua, non tamen coram illa conſtituti ritus peraguntur ſed coram tabella quæ nunquam deſideratur ex præcepto regio, ſicque patet iſtiuſmodi ſimulacro, non aliam virtutem ad cultum repreſentari, quam ſit ea quæ in tabella clariùs deſcripta manifeſtatur. Ac licet in omnibus aulis Confucii extaret illius imago, quid in eo tandem ſuperſtitionis apparet? perinde quaſi nefas Sinis illud eſſet, quod cæteris omnibus licet, an non ſtatuas principibus poſt obitum ponunt ſubditi, parentibus filii, magiſtris diſcipuli toto orbe catholico? ecquis eſt qui carpat? Ita inquies, idololatria invecta eſt, dum quos ſub initium ut homines de republica bene meritos colebant, poſtmodùm pro diis habuerunt. At quandiu eſt quod Platoni &

Digitized by Google

Aristoteli ponuntur statuæ sine idololatriâ! proferatur unus aliquis ex celeberrimis illis magistris inter ipsos Ethnicos qui progressu temporis ex opinione vulgi in Deum evaserit?

Tametsi autem in aliis regnis idololatria sic irrepserit, non tamen inter Sinas ad quos aliunde potius deportata pervenit, quam proprio gentis errore proruperit, ac si quos ex antiquis suis heroïbus ab Indicis sacrificulis delusa plebs in Deorum à Bonzis confictorum numerum referre videatur, eosque divinis sacrificiorum honoribus prosequatur, supremi Imperatoris prorsùs oblita vel ignara, non profluxit hæc idololatria ab cultu statuarum, sed à peregrinâ idololatriâ, sed à cultu falsorum Deorum forinsecùs advectorum manavit error, ex quo suis quoque non minoris notæ ac virtutis hominibus deberi honores ac statuas in ipsis templis cultui religioso dicatis arbitrarentur, quodquidem à propria avitaque gentis consuetudine de se alienum est.

Certè Confucium nunquam nisi juxta proprium avitumque ritum coluerunt, in id maxime nostris quoque temporibus intenti, ne exhibitus ipsi cultùs peregrinum quid & idololatricum redoleat. Imagines Confucii in ipsius aulas invexere nonnulli, non in modum idoli, cui deferatur honos, sed ut meliùs exhiberet Regias defunctorum aulas in quibus statuæ regum ad institutionem posterorum ita collocabantur ut non deesset tabella superiùs memorata, quæ in excipiendis honoribus ibi delatis primas tenet.

Digitized by Google

Neque inſtes, quædam eſſe templa in quibus tria in eodem altari idola proponuntur ad venerationem, *fo*, *laò-Kium*, & Confucii, in primis enim cum hæc templa pauciſſima ſint ante 25. ſupra 100 annos fabricata, ſi quæ etiam nunc perſtant, ſaltem extra maritimas partes provinciæ *fo kien* ex quibus ſectæ inſtitutor *lin* oriundus erat; hæc, inquam, pauca ſexcentorum aliorum tam fœdo monſtro nuſquam inquinatorum nitori officere non poſſunt. Deinde iſta fuit paucorum quorumdam literatorum hæreſis, omni prorſus antiquis in doctrinis fundamento carens, non germanorum Confucii diſcipulorum doctrina, illi tres ſectas, ad quas cœteræ omnes Sinicæ revocantur, in unam commodiùs coaleſcere poſſe exiſtimabant, quæ *ſan kiao ye kiao*, *ex tribus legibus exiſtens una lex* vocitabatur. De cujus temperamento cum non penitùs mihi conſtet, hoc fuiſſe videtur ad litteratorum placita utcumque accommodatum, non quod tres illas ſtatuas pro idolis haberent, cum hinc iſtius autores literati eſſent, ac videri vellent de numero ipſorum qui idola exhorrere ſe jactant, inde verò idololatræ ipſi *Tao Kia* ſectatores non colant *Lao Kium*, ut numen ſed tanquam eximium quemdam magiſtrum eo fere modo quo literati, ſuum Confucium; iſtius igitur ſtatuam in medio, honoratiore ſcilicet loco locabant, ut pateret ipſius legis inſtituto in hac concordia vincere idola non autem ipſis cedere, tres illas ſtatuas collocabant quaſi trium inſignium præceptorum ac velut legiſlatorum, in quibus

Digitized by Google

ſapientia partim innata, partim infuſa, partim acquiſita fuiſſet, adeo ut quilibet illorum partialem duntaxat, tres autem ſimul atque uniti integram unius perfectæ legis notitiam aſſecuti fuiſſent quam omnes è cœlo ſeu potius cœli autore ac moderatore accepiſſent. Ego ſanè quid ibi ſit idololatriæ non intelligo.

Præterea ex eo quod tres in eodem loco ſtatuæ reperiantur, nequaquam inferre licet illas eodem planè cultu affici. Optabat D. Petrus ut in eadem montis Tabor ſummitate tria fierent tabernacula, Chriſto, Moyſi & Eliæ, cum Chriſtus eſſet Dominus, Moïſes ſanctus vitâ functus nec dum ad beatitudinem evectus, Elias vero adhuc inter vivos numeretur; imagines Chriſti, Deiparæ ac D. Petri, in eodem altari diverſo cultu, latriæ, hyperduliæ, duliæ proſequimur, neque ex eo quod quilibet *foe* imago, numen inter Sinas exhibeat, inde efficitur quod *Lao Kiun* aut Confucius inter divos cenſeantur, quamvis in eodem altari eorum ſtatuæ ab aliquibus reponantur.

At demus quod pauci illi hæretici Sinenſes pro diis coluerint tres nominatos magiſtros, an continuò cultus Confucii ut magiſtri eſt Sinis omnibus inhibendus, niſi forte & hyperdulia vitanda ſit in iis partibus erga Deiparam, in quibus hæretici nonnulli, divinitatem virgini affingebant, & cultum latriæ decernebant.

Egregiè omnino Imperator *chim tum* ante 200. circiter annos ſive imminenti forſan malo

Digitized by Google

præcavere, sive jam serpens compescere studeret, vetuit Confucium in *foe* & *Laò Kium* idolorum instar apud vulgus templis coli, ne fictitiæ divinitatis inane decus ei impingeretur, cui solida præcellentis doctrinæ gloria cultusque debebatur.

Neque ego intelligo quo consilio Confucii statua cum æneo serpente ab Ezechiâ rege comminuto comparari possit, nisi forte ut latum inter utrumque discrimen melius eluceſcat. Quando videbimus populum omnem Siniam ad statuam Confucii confugere, uti genuflexus coram illa, uti olim populus Judaïcus coram æneo serpente, adoret, imploret, sacrificet, tunc de statuâ illâ confringendâ agemus, si tamen Regia Ezechiæ potestas ad id nobis fiat per optatam Imperatoris conversionem ad Deum verum; at quandiu cernemus plebem universam, imo & optimates ac literatos crebrò ad innumera idolorum simulacra in singulis urbibus & oppidis vota sacrificia quo facturos, & interrogaturos de futuris ventitare; ad statuam verò Confucii, quem quotus quisque est qui non veneretur nulla pressos calamitate, nulla spe metuvè suspensos accedere; imo maximam partem, ne statuam quidem ullam ejusmodi conspexisse nullus opinor scandalum patiatur, si statuam illam, sic ubi extet à discipulis Sinis toleremus, in eo honore haberi, quo à peripateticis statua Aristotelis politicè afficeretur, uti & magistro suo Platoni aram, quæ propius ad religionem spectare videtur, Aristoteles ipse ad civilem venerationem extruxisse fertur.

Digitized by Google

Probatur 7. Atque ex his quæ diximus argumentum ſic iterum formare licet, is à Sinis non colitur tanquam numen, cujus ſtatuæ paſſim non coluntur in locis publicis per ſupplicationes & ſacrificia, quandoquidem Sinæ omnibus in quibus aliquid divini agnoſcunt, ejuſmodi ſtatuas ponunt quas ita frequentent. Atqui Confucio non ponuntur ejuſmodi ſtatuæ; ac ſicubi poſitæ ſunt, non eas populus, imo nec ipſi literati venerantur accedentes ad ipſas deprecandæ publicæ calamitatis cauſa, aut iis religioſas faciunt oblationes, quæ aliis fictitiorum Deorum ſtatuis omnibus fieri conſuêverunt; ergo Confucius à Sinis tanquam numen ac religioſe non colitur.

Sic denuò argumentari placet. Cujus ſtatuæ non extant neque coluntur niſi eâ ratione quâ defunctorum ſtatuæ paſſim extant & coluntur, Is non honoratur religioſo cultu, ſed merè politico; cum ex dictis cultus mortuis omnibus communis ex genere & inſtitutione ſuâ nonniſi politicus ſit, iis quippe exhibitus de quibus aliquando non dubitant illos potius inferis quam cœleſti virtute ſeu veneratione dignos eſſe: atqui ſtatuarum Confucii eadem eſt ratio, quæ avorum, quorum in aulis perpaucæ ſtatuæ reperiuntur, eæque conjunctæ cum tabella non minoribus honoribus tunc afficiendâ, quàm ſi ſtatua deſit. Ergo Confucius merè politico cultu honoratur.

Inſuper, quorum ſtatuæ ad religioſam venerationem poſitæ in templis extant inter Sinas

Digitized by Google

Sinas, illi positas quoque statuas obtinent in privatis multorum ædibus ad venerationem, uti inductione constat, atqui nemo domi statuam Confucii reponit quam religiosis adorationibus, succensis odoribus & candelis prosequatur singulis diebus, uti usitatum est erga statuas *foe*, *pû sa* & reliquas omnes superstitiosas, ergo quæ positæ sunt Confucio in propriis ipsius aulis, statuæ non ad religionem, sed ad venerationem merè politicam positæ fuerunt.

NUMERUS X.

Argumentum ex Confucii panegyribus.

PRobatur 8. Ex circumstantia finis extrinseci seû secundarii (nam de intrinseco & primario qui est regalis sapientia Confucii in secunda probatione egimus) hic autem secundarius finis à nonnullis putatur assecutio scientiæ à Confucio vel ut illius principio è cœlis mittendæ, atque hunc in prædictâ oblationem denotare videntur preces quædam ex Rituali Sinico sub finem cærimoniæ recitari solitæ ad petendum progressum ac perfectionem in literis.

E contra verò ex illo ipso, ut vocant Rituali & oratione quam preces nuncupant, novum purissimæ venerationis erga Confucium deducitur argumentum. Etenim is à quo nihil petitur inter ipsas oblationes celeberrimas degenere *cao*, seû în quo verbis ac gestis declaratur pius affectus erga eum cui offertur,

Digitized by Google

is profectò non agnoscitur instructus virtute quâdam eximia opitulandi suis clientibus, maximè inter Sinas, qui in suis omnibus oblationibus deprecatoriis aliquo signo vel actionis vel vocis suam illam in eum cui offerunt, fiduciam religiosam aperiunt, ut constat ex dictis cap. 3. de oblationibus deprecatoriis quæ Deo ac spiritibus fiunt ex avito ritu, quem in Confucii oblationibus non observari, manifestum est, ritus illos considerranti, atque advertenti quantum se in iis tenaces priscæ legis, & quam longe abesse ab idololatriâ jactitent, Atqui in prædictis Confucii oblationibus quæ omnes sunt actionibus simul ac verbis ipsi factæ, nulla esse verba proprie deprecatoria, & significativa opis imploratæ, patet ex iis supra memoratis, quæ legendo recitantur, ista enim nihil aliud sunt quam oratio panegyrica Confucii ejusmodi in omnibus principum, vivorum oblationibus, *cao* dictis sub finem attexta, non sub initium aut medium, uti preces solent inserta intervenit, quæque si statim à morte principis fiat, vocatur proprio nomine *luy* id est oratio funebris ad commiserationem excitandam, sin autem secutis deinde temporibus comprehenditur sub generali nomiue *cho ven.* Hæc verò more Sinico non memoriter sed ex scripto separato pronunciatur ab aliquo astantium quasi oratore, neque quotannis fatigantur in novâ quâdam elucubrandâ, sed rite semel elaboratæ exemplar asservant in libello postmodum repetendum, eam porro contexunt de rebus gestis ac dotibus emortui Principis, quas mirificè

Digitized by Google

extollunt, atque eò pluribus exornant figuris quod præcipuam ſuam ſcientiam & eloquentiam in ejuſmodi ornatu & quaſi floſculis reponunt, unde *vên cham* appellant, quaſi ornatam compoſitionem, in quâ hæc deeſſe non poſſunt; interrogationes, exclamationes, obteſtationes, aliaque iſtiuſmodi, quibus orator Sinicus non ſecùs ac Europæus mortuum quaſi ſuperſtitem compellet, grates agat ac velut ſubſidium poſcat, cum revera abſentem illum ſciat, nec aliud ab eo ſubſidium expoſcat, quam ex eo quod olim vivens dedit, & cujus veſtigia geſtis, aut etiam dictis impreſſa poſterorum memoriæ extent, uti videre eſt in illâ regiâ oratione panegyricâ Confucii recitatâ ab Imperatore *Kia cim*, in primâ ſolemni oblatione ſuperiùs adductâ.

Certè iſtius generis ac rationis eſſe orationes quæ in oblatione Confucii perleguntur, patet ex ipſo nomine *cho ven* ipſis impoſito in regiis edictis, atque ex vocabulario quod illud *cho* ex libro *hyve ven* ſic exponit: *ſunt piam oblationem peragentis laudatoria verba*, & ſubdit: *Olim cum è titularibus magnus aliquis Præfectus obiret, Princeps jubebat aliquem ex Præfectis in unum colligere defuncti merita ac virtutes ad contexendam ex illis panegyrim, quâ dolor ſeu commiſerationis affectus erga ipſum excitaretur.* Unde alio nomine paſſim vocatur *can ven*, *laudatoria compoſitio* atque in *lo xu kun ngo* abſolutè ſcribitur: *cum antiquitùs in templis peragebatur oblatio de genere caò, utebantur quo victima, omnino non deerat cho cu oratio panegyrica.* Neque verò nunc deeſt in piis oblationibus, etiam abſque victimâ factis in aulâ

Digitized by Google

Majorum, atque istud ipsum est quod ex scripto recitatum more Sinico adversarii vocant *preces*, cùm tamen definiatur in *ly ky*, lib. 7. fol. 7. *oratio ad præstandam filialem obedientiam prolata*, *cho y hiao cao*, quod sane opponitur propriæ utilitatis consectationi, ad quam petitio precesque spectant.

Et vero si istæ sunt preces religiosæ testes fiduciæ in eum cui offeruntur, nullus planè è principibus ac magnatibus Sinicis extitit cui non funderentur, quandoquidem illis præstastabantur, certis temporibus in aulâ avorum oblationes solemnes cum oratione funebri, ac panegyricâ quæ in orbe quoque Christianissimo frequentissima est, evolvantur libelli precum Sinicarum, quos passim præ manibus habent, & luce meridianâ clarius innotescet, discrimen inter ea quæ exornandi & ea quæ rogandi animo proferuntur ac pronuntiantur. Plurima exempla ejusmodi *cho ven* habes in *Kya ly* præsertim ad calcem libri ultimi, & in eodem opere sæpius inculcatur combustio illius *cho ven* seu *hoam fuen hoam*, uti nempe constet confectam lucubrationem, vel potiùs scriptam duntaxat fuisse (exemplar enim servant in similem sequentis anni oblationem) ad justa mortuis eo die persolvenda, additur in *tum ly* fol. 16. *combustionem hanc fieri ad denotandam officiorum mutationem.* At quis unquam libellum ex quo preces fundat, statim post eas recitatas, pietatis ac religionis causâ igne absumpsit.

Vocabularium ipsum tradit vocem *cao* in his oblationibus idem sonare ac *pao*, quod signi-

Digitized by Google

ficat exhibere se gratum pro meritis. Hinc Autores *Fun ly* compendii parte 3. fol. 19. *reges piis oblationibus Confucium honorant ad grates rependendas ipsius meritis ac virtuti perennes ac perpetuas.* Finis itaque intentus memoris animi erga Confucium magistrum, actione verbisque inter oblationes patefactus civilem oblationum ipsarum absque ulla superstitione pietatem comprobat, eâ fermè ratione quâ Tolosates religiosissimi inter Gallos habiti coram statua insignis fœminæ constantiæ de illius civitatis academiâ optimè meritæ, panegyrim quot annis solutâ vel strictâ oratione confectam recitant, cui suæ non desunt obtestationes aliaque rethoricæ lumina quibus illustratur oratio & gratus Oratoris animus illuceſſit, non tamen Oratoris aut circumstantium sana fides aut nomen observatur quasi religiosæ plenas spei preces ad illam funderet quam religioso dignam cultu nunquam judicarunt. Quis denique Poëtis adeò frequentes Apollinis ac musarum invocationes quasi superstitiosas cavilletur.

Quod siquid ludi magistri in scolis appendant tabellam aut etiam effigiem Confucii, istud ad imitationis magistri & studii litterarum ardentiores affectus in animis discipulorum excitandos pertinet, non autem ad religiosam venerationem; multò minùs ad spem in Confucii meritis reponendam, quippe spes illa ad socordiam pueris ingenerandam aptior esset quàm ad expetitam diligentiam & laborum studii alacriter devorandorum voluntatem suscitandam. Neque in privatis ædibus ac scholis Confucium accensis odoribus & candelis venerari

Digitized by Google

mos aut etiam fas est, quod si in privatis quibusdam pagorum scholis ineptus. Quis hac in parte mos perperam exortus fuerit, nihil labis communi ac sanæ de Confucio existimationi inurit.

NUMERUS XI.

De delectu animalis offerendi & illius partibus.

PRobatur 9. ex modo quo solemnis illa fit oblatio, qui tria ad caput seu præcipuam oblationis partem spectantia complectitur, selectionem nempè animalis, omnium dissecti animalis partium oblationem ac demum usum earundem partium post oblationem peractam quibus addi potest, epotatio vini, & concentus musicus, cum quo actio penè tota celebratur.

In delectu animalium ad primarias oblationes ex *ly ky* lib. 5. fol..... & lib. 5. fol.... *videndum ut sit integrum & ritè paratum.* Interpres præparationem illam juxta verba ipsius textus sic exponit. *Dicitur paratum cum corpus est sine ulla læsione ac defectu, attenditur an victima sit integra sine læsione, an sit pinguis vel macilenta, an coloris idonei, cujus altitudinis juxta suam speciem aut cornua, cujus magnitudinis aut brevitatis, si sex ista ritè præparata fuerint, par est ut supremus Imperator oblationem acceptet*, at per se se patet delectum istum non aliò spectare quam ut decenter & juxta constitutos ad illam decen-

Digitized by Google

tiam ritus politicos offeratur, adeò ut piè oblata parentibus, more regio ad defunctos colendos, non ab ipsis parentibus acceptanda certò sperentur, sed ab supremo Imperatore seu Deo, qui accurata illa pietate proculdubiò gaudet. Quid magis à superstitione alienum? totum sanè cum fidei ac luminis naturalis principiis nequaquam pugnat; quod enim attinet ad colorem purus in oblationibus regiis ad majorem nitorem requirebatur, non variegatus & quasi maculis aspersus, cum illa colorum permixtio in reliquis avorum oblationibus permitteretur, nec ille delectus perfectæ victimæ, ut nonnullis placet, extra Imperatorum aulas admitteretur.

Quod addunt de infusione vini calidi in aurem animalis ad illud probandum tanquam de re superstitiosâ, optarem ego ut aperirent cujusnam erroris ac superstitionis signum sit, & ex quâ institutione, nam superstitionis in genere, & indeterminatè signum dici nequit. Multi litterati à nobis interrogati responderunt se inter solemnes Confucii oblationes nihil ejusmodi animadvertisse, unus aliquis fassus est se quidpiam inaudiisse de hoc pauciſſimorum ritu, quem ex eo profluisse aïebat, quod legatus quidam Imperatoris, cùm ad inaugurandum vicinæ insulæ regem missus, perspexisset illius regionis incolas calido liquore pecorum aures perfundere, ut vegetiora à languidioribus discernerentur, id post reditum narravit quod aliquibus ad meliorem offerendorum decenter animalium probationem faciendam in posterum adhiberi placuit; fides sit penes Autorem.

Digitized by Google

Ego quidem memini me vidisse in Europâ alacriores equos simili infusione non ad religionem, sed ad commodiorem aut celeriorem equitationem probari, nisi fortè Sinæ calidiore vino aspergant aurium pilos, ut faciliùs abradantur, etenim præter solidiores victimæ partes, aliquid præterea sanguinis & interioris adipis unâ cum pilis ex aure decerptis offertur, quandóque in his solemnioribus Confucii ritibus, *non de expresso quidem Imperatoris mandato*, quod in archivio literario cujuslibet Civitatis extet, sed ne qûid ad oblationes avorum, regio priscoque ritu peractas deesse videatur; de istis namque sic statuitur lib. 13. de officiis fol. 34. *A pilis ex aure abrasis ducebant initium dissectionis & oblationis, desumebant aliquid adipis interioris, quo oblato recedebant.* Comment. sic exponit. *Cùm erant in procinctu ad jugulandam victimam sumebant ad latus aurium adnatos pilos ut offerrent spiritui* (hoc est tabellæ quæ *xin* spiritus aut *xin quey* spiritus sedes ab *hum vu* & aliis appellatur) *pilos quidem ut oblatio esset integra, ex auribus verò, ut tabella ligneæ mo chu audiret.* Ac ne putes tam stolidos esse Sinas ut tabellam ligneam per se vel per animam ei, quasi solio insidentem audire existiment, sed tantùm manifestare suos pios animi affectus erga mortuum, subdit Interpres : *optarent ut spiritus defuncti adesset qui posset audire.* Et paulo post *oblatione pilorum ac sanguinis expletâ, aliquantulum retrocedebant, ut declararent oblationem ad finem usque perductam esse, atque hæc omnia erant reverentis animi summum quid.* In eod. libro 8. fol. 34. *per pilos & sanguinem offerunt intimam*

Digitized by Google

timam & extimam completivamque rem, hæc oblatio est manifestandæ integritatis ratio ac regula. Comment. addit, *extima & intima offerri quia omnia sunt bona. Interpres* chu thia *subjicit, offerri sanguinem, eò quod sit nativa sedes spirituum vitalium; qui per occisionem evanescunt, cum tamen sint præcipuum quid in animali, & quorum loco sanguis offertur.* Unde vocant in ipso textu *civen hien; integrè offerre.* Atque his duabus vocibus satisfecit insignis literatus aliquot Patribus de hac pilorum & sanguinis oblatione percontantibus, uti inquit, *integrè ac totaliter offeratur.*

Is itaque offerendi modus pium atque perfectum affectum erga Confucium Regibus defunctis persimilem demonstrat, ex oblatione omnium solidarum partium victimæ, nec non ex delectu aliquorum ex intimis & extimis, quæ egregiam offerentis mentem oculatioribus viris repræsentent; atque hæc omnia quorum & alias rationes inferiùs ex testibus dabo, erga defunctos Imperatores omnes civiliter præstita; pio non autem religioso animo erga Confucium quoque peraguntur, quæ subtiliter ac decenter à Sinis excogitata, cùm divinæ fidei & naturalis moralisque Philosophiæ principiis, nullatenùs adversentur, procul ergo à superstitione absunt.

Neque superstitionis suspicionem movere; imò eam tollere debet, quod post absolutam pilorum ac sanguinis oblationem, hæc in atrio humi defodiantur, si enim hæc oblata pro sacris ac velut reliquiis haberentur, ut aliquis, per jocum opinor, scripsit, plebeii saltem homines aut minoris notæ literati ex iis

Digitized by Google

quidpiam colligerent in domestico reponendum sacrario, quoniam nulla ipsis conceditur particula potiorum victimæ membrorum quæ distribuuntur inter viros primarios partim adstantes, partim absentes, honoris scilicet causa non præsidii, nam istud infirmum profectò foret ac parvi se pendere declararent. Siquidem illud assum coctumve sit absumendo destruunt, ut residua ossa canibus voranda permittant, nequaquam religiosè asservent.

Quod si quid spei reponitur in illis oblatis, ad progressum in litteris faciendum, quid ea primariis dumtaxat ac litteratis tribuunt, qui scientiarum ac dignitatis optatum fastigium attigere? quidni aliquæ saltem particulæ distribuuntur inferioribus ac junioribus qui ad ulteriores gradus ac dignitates aspirant? illos interrogemus, ac si quem ex iis invenias, qui secum vini hausto aut carnis ferculo doctrinæ quidpiam vel felicitatis adeptum seriò dicat, me turpiter hallucinatum fuisse fatebor.

Novum profectò non est atque insolens, de regiæ mensæ cujusmodi hæc Confuciana est, ferculis aliquid aufferri, non spei sed honoris gratiâ erga Regem, ac præcipuè erga eum qui regiæ quasi mensæ particeps regali quodam munere perfruitur, at si qui fortè literati Ethnici, uti oppugnator accepisse ait, credant se scientiam unà cum Confucianæ oblationis deglutire, istud sanè oblationis de se purissimæ institutum, non magis maculat, quàm si quis in celebri Montis Pessulani academiâ candidatus vel alumnus putaret, se medicam artem induturum, unà cum illâ ve-

Digitized by Google

tuſtâ Rablæi, præſtantiſſimi in eadem academia doctoris togâ, quam ſolent laureâ doctorali inſigniendi ad breve tempus geſtare, non religiosâ ſpe ducti ſed gratâ veneratione quam plurimi prudentes antiquitatis ac liberalium artium laudatores probant, pauci opinor, ſubſannabunt.

Quod autem oppoſitor ait ex litteratis quos omnes atheos eſſe contendit, nonnullos reperiri qui in ejuſmodi Confucianis quaſi lipſanis ſpei plurimum habeant, non video qui inter ſe hæc duo dicta cohæreant cùm iſtiuſmodi ſpes eâ nitatur opinione, quod Confucii anima vel certè ſpiritalis genius, opis clientibus ſuis ferendæ poteſtate præditus etiamnum revera extet, hæc verò doctrina ab Atheorum placitis immortalitatem animarum ac ſpirituum omnium exiſtentiam pernegantibus abhorret. Quocirca non eſt quod hîc immoremur in afferendo diſcrimine oblatorum iſtorum ab Idolothytis, cùm ex dictis perſpicuum ſit Confucii imagines nullam idoli ſpeciem magis referre, quam referant Principum & inſigniorum virorum ſtatuæ ad politicam venerationem per univerſum orbem propoſitæ.

Digitized by Google

NUMERUS XII.

Oblata Confucio vocari nequeunt idolothyta neque Confucius ipse idolum.

DIces Confucium à Sinis haberi pro viro non modò insignis sapientiæ, sed etiam eximiæ virtutis moralis, ergo & illius statuas divino quodam cultu affici, adeóque & ipsas idola esse, & quod iis offertur inter Idolothyta numerandum.

R. In primis non desunt inter Sinas, qui exaggeratam illam virtutem Confucii in dubium vocent, hinc que effectum arbitror, ut in Imperatoriis rescriptis, de solemni Confucii oblatione & singularibus honoribus mentionem dumtaxat faciant summæ sapientiæ, quæ ad religiosi cultûs objectum nihil attinet; deinde quam multi Platonis, Aristotelis ac Senecæ virtutes morales deprædicant, ut de Solone, Lycurgo, aliisque legislatoribus taceam, quibus tamen positas fuisse statuas ad religionem nemo dixerit in ipsis illorum musæis, qui eas tanti faciunt.

Multò verò minùs ejusmodi statuas, sicubi extant, tanquam vera Idola subvertendas esse affirmarim. Fateor autem his docti cæteroquin viri verbis adversus Confucii imagines scriptis me aliquantulum percelli. * *No solo es*

* Non solum Idolum est id cui numen tribuitur, sed etiam id cui tribuitur aliquid numinis: neque illud tantum quod adoratur cultu latriæ, sed etiam illud cui defertur cultus duliæ & hyperduliæ, licet aliud alio strictiùs atque in majori vocum rigore sit. *Ita Navaretta.*

Digitized by Google

idolo aquel a quien se atribuye numen, sino aquel a quien se attribuye aliquid numinis, *y no solo lo es a quien se adora* cultu latriæ, *sino tambien a quien se da adoracion de dulia y hyperdulia, dado que uno, sea con mayor rigor.* Ecquis Iconoclasta, Lutheranus aut Calvinista hæc avidè non accipiat atque triumphando subsumat? Atqui Catholici imagines Deiparæ cultu hyperduliæ, sanctorum imagines cultu duliæ prosequuntur, ergò Catholici Deiparam & Sanctos tanquam Idola venerantur, & Idololatræ sunt; *aun que con menor rigor.*

Malim ego ita argumentari ex Suario de defens. fidei l. 2. cap. 12. *non qualibet imago idolum est, sed illa tantùm quæ est falsi Dei simulacrum ut dixit August. lib. 1. quæst. in lib. judicum* 44. At neque Deiparæ ac sanctorum, neque rerum ac magistrorum Sinicorum imagines sunt dei falsi simulacra, uti probatum est; ergò non sunt idola, aliquanto tolerabilius est mihi tamen durum quod sequitur * *A Idolatria perteneçe deçir que Luthero, Calvino, Mahoma y otros fueron santos y creer que pueden ayudar a los hombres con su interceſſion.* Calvinum ac Lutherum cum suis Sectatoribus multiplicis erroris condemnavit Concilium Tridentinum & hæreticorum catalogo inseruit, at quis eos aut ipsorum sequaces idololatris annumeravit scriptor Ecclesiasticus, imò quis Mahometanos inter idololatras recensuit? sunt quidem, qui tum hos, tum etiam hæreticos ac Judæos de numero in-

* Ad Idololatriam pertinet, dicere Lutherum, Calvinum, Mahometem atque alios fuisse Sanctos, aut credere, istos posse hominibus suâ deprecatione opitulari.

Digitized by Google

fidelium esse censent, eò quod licet unum Deum agnoscant & colant, Mahometani tamen, neque incarnatum neque incarnandum credunt, Judæi incarnandum etiam nunc hodie sibi falsò persuadent, hæretici ut plurimum quoque incarnatum fatentur, sed multis aliis divinis mysteriis fidem negant, ex quo fit ut cum in nullo istorum fides sit integra, infideles omnes possint nuncupari; Sectatores Mahometis hunc ut sanctissimum prophetam colunt, impietatis est ac superstitionis intolerandæ: verum cum pro Deo ipsum non habeant nec venerentur, ubi tandem idololatria? præclarè quidem D. Tho.2.2.q.94.a.1. *hæresis est species infidelitatis, sed idololatria est species superstitionis.* Atque ex hac collatione infidelitatis & hæreseos cum superstitione & idololatria, constat de ipso quoque infidelitatis & hæreseos cultu sermonem esse.

Sic iterum cum Suario loco cit. num.6. ex Augustini doctrina argumentari placet, eoque Libentiùs quod hoc opus adversum nos oppositor sæpe allegat. *Omnis cultus idololatriæ, vel sistit in idolo tanquam in vero Deo, vel per simulacrum tendit ad colendum pro Deo eum qui non est Deus, vel ad colendum ut numen, impium aliquem seu damonem.* Atqui nihil hujusmodi Mahometani, Judæi, Lutherani, Calvinistæ, ac multominus avitæ religionis Sinæ, vi suæ sectæ præstant, ergò istorum nulli in idololatriam incidisse dici possunt. Ne quæso omnia confundamus, uti vera religio sic & falsa seu superstitio genera sunt, quodlibet illorum multas species sub se complectitur,

Digitized by Google

quæ non ſingulæ omnibus, ſed ſingulæ ſingulis certo quodam ordine opponuntur, veræ religionis ſpecies ſunt Latria, hyperdulia, dulia, ſub genere ſuperſtitionis poſita eſt idololatria ex D. Th. loco laudato huic autem Latria directe opponitur, qui impium pro ſancto colit, adverſus duliam, non adverſus Latriam peccat, quippe latriæ cultum non attribuit indigno, ſicque falſæ duliæ non falſæ latriæ reus eſt; ſiquis D. Joſephum cultu hyperduliæ proſequeretur, non idololatriæ ſed falſæ tantum hyperduliæ notaretur; Auguſtinum audiamus lib. 1. qq. ſuper Geneſ. q. 16. *Dictum eſt* illi ſoli ſervies, *quod eſt Grace* λατρεύσεις, *talis enim ſervitus non niſi Deo debetur, unde damnantur idololatriæ, ejuſmodi ſervitutem exhibentes idolo quæ debetur Deo.* Qui intrinſecam Dei perfectionem alteri præter verum Deum attribuit, adverſus Latriam peccat, qui vero divinæ perfectionis participationem eamque Deo extrinſecam dumtaxat & reſidentem in creatura cum peculiari quâdam ad Deum habitudine, ut in ſanctis accidit; qui, inquam perfectionem ejuſmodi ei adſcribit, qui illâ deſtitutus eſt, is adverſus duliam delinquit, falſæque duliæ reus eſt, non tamen falſæ latriæ, neque ullatenus idololatra nuncupandus.

Nihilominus ſi τὸ *perteneçe a Idolatria*, id unum ſignificat quod cultus falſus impiis hominibus quaſi ſanctis exhibitus ad Idololatriam ſit revocandus per modum ſecundarii analogati ad primarium, vel partis poteſtativæ ad partem ſubjectivam ut hoc pacto adæ-

Digitized by Google

quata constet divisio superstitionis à D. Thoma facta in tres species seu partes, feram ego non illibenter in gratiam S. Doctoris. Verùm primarium analogatum non prædicatur in recto de secundariis, sed in obliquo dumtaxat in eorum expositione collocatur, neque partes subjectivæ virtutis alicujus cardinalis v. g. temperantiæ, de partibus potestativis ad ipsas reductis alio modo quam in obliquo, aut ad summum secundum quid & cum aliquo addito prædicantur. Quare neque potest absolutè loquendo Idolum asseri de statua viri etiam impii, qui pro Deo non habeatur, neque is qui ipsam colit, idololatra appellari, neque illius cultus idololatria, aut illi oblatæ res idolothyta nuncupari præsertim cum istiusmodi loquendi ratio extra scholas sit invidiæ plena, adeoque non minus inter Neophytos ethnicis permixtos fugienda, quam inter Catholicos multis admixtos hæreticis qui se idololatras suisque falsis prophetis exhibitum cultum idololatriam vocitari, vix sine turbis & scandalo patiantur.

Amplius dico, fingamus eos idololatras haberi posse qui impiis hominibus quasi potentibus apud Deum intercessoribus statuas ponunt: nihil istud litteratos Sinas ferit qui heroas ac magistrum rarâ erga superos & parentes pietate conspicuos venerantur, ac licet pro intercessoribus apud supremum cœli terræque Imperatorem nonnunquam adhibeant fusis precibus, preces certè coram iis funderent qui piissimorum, non autem impiorum nomen inter Sinas meritò obtinuere, ob singularem

Digitized by Google

gularem naturalis legis, quæ divina quoque eſt, obſervationem.

NUMERUS XIII.

Nullatenùs permittuntur preces fundendæ Confucio.

QUamvis autem Hieronymus ſcriptorum eccleſiaſticorum atque ſanctorum ut ipſe loquitur catalogo, Senecam ethnicum hominem inſeruerit, nos tamen numquam Neophytis indulſimus Sinis, ut ſuorum heroüm vel magiſtrorum quempiam ſancti propriè dicti nomine inſignirent. Eum de cujus vitâ functi ſanctitate, Eccleſiæ autoritate non conſtat, publicarum orationum cultu proſequi non audemus, ne Eccleſiæ nomine factæ publicæ orationes exponantur periculo erroris, cujus labes in ipſam Eccleſiam inuſta redundaret, neque privatim quemquam abſolutè rogari ſinimus, de cujus beatitudine moraliter non ſimus certi, ne damnati pro ſancto interpellandi periculum Chriſtiano indignum adeatur, ne ſub conditione quidem ab eo petere auſimus, cujus beatitatis probabiliſſima non ſuppetant argumenta, quo fit ut cum nulla nobis hactenùs viſa ſint ejuſmodi inter ea quæ repetuntur ex relatione ſcriptisve Sinarum lumine fidei deſtitutorum, aliundè verò facile foret Neophyto à conditionatis precibus ad abſolutas planè illicitas deflectere, idcircò nunquam petendi à quoquam ex ſuis

Digitized by Google

majoribus veniam ac facultatem Sinis concedere visum fuit; neque verò hac facultate indigent, ad patrios cultus erga Confucium aliosque mortuos absolvendos, cum enim cultus isti omnes in politicæ piæque gratitudinis officiis hæreant, nullum in iis idololatriæ vestigium, nedum idololatria ipsa deprehendi potest; adeoque res oblatæ istos inter cultus ne idolothytorum quidem speciem referunt, ob quam à communi ipsorum usu abstinere magis quam ab aliis oblatis cibis teneantur Neophyti, si cui illorum forte offerantur quod nemini hactenus accidisse scio.

NUMERUS XIV.

De tumulo & fovea Confucii.

REdeamus itaque ad oblatos pilos & sanguinem, quæ statim post peractam oblationem, fossæ in atrio vicino excavatæ immittuntur & humo conteguntur, non alio sanè Mysterio quam quod res illæ sint ejusmodi, quas muneris loco ûrendas offerre honestiori viro non deceat, aliunde verò canibus vorandas statim projicere, debita erga magistrum, cui paulò antè oblata sunt, veneratio non sinat, ex communi piarum ergà mortuos oblationum lege, de pilis ac pelle victimæ non contemnendis, *ne istud in illius contemptum cadat, cui facta est oblatio ab inobsequente filio*, uti docetur in *cy ly* fol. 34. commoda itaque se offert illa fovea, quæ jussu Imperatoris in vicino atrio aperitur, *ut inter faciendas oblatio-*

Digitized by Google

nes, inquit, *Oculi in eam paululùm intendantur*, quæque y ſepulchralis fovea appellatur, ad memoriam tumuli cui Confucii corpus olim mandatum eſt.

Ad eum quidem tumulum plurimi ante exſtructa ſingulis in urbibus Confucii templa confluebant, maximè per aliquot annos ab ipſius morte ad politicam celebris adeò viri & recenti recordatione venerationem, ſine ullo religionis aut ſpei animo; neque enim ullus unquam apud Sinas mos viguiſſe fertur religioſi concurſus ad ſepulchra illorum ipſorum virorum qui ſummæ ſapientiæ ac virtutis laude floruiſſent. Conſideret prudens lector an juſta ſuperſtitionis ſuſpicio oboriri poſſit ab his omnibus quæ nullius erroris fundamentum in ſcriptis, dictis, moribuſque Sinarum habent ac præbent.

Quod ſpectat ad corporis inclinationes coram rebus offerendis, ipſiſque animalibus antequam jugulentur, faciendas, idque monitu alicujus quaſi cærimoniarum magiſtri, nemini profectò tantillum ſcrupuli movebit, ſi meminerit attenderitque Sinarum gentem cæteras omnes, urbanitatis & officiorum elegantiâ, ſin minus æquat aut vincit, frequentiâ certè ac multitudine ſuperare. Id probè norunt quotquot ſplendido alicui convivio interfuere: mitto ſexcentos minutiores ritus êpulis prævios, inſertos, adjunctos, quæ faſtidii amplius quam appetentiæ ciborum creant; hoc tantùm dico, antequam hoſpes menſæ accumbat, cathedra in qua ſeſſurus eſt, ſcyphus ac fuſcinulus quibus inter êpulas

Digitized by Google

ûsurus, necnon primum quod hausturus est vini poculum, propriâ invitantis manu componenda sunt, & profundissima ad terram usque corporis inclinatione sunt honoranda.

E dapibus, quæ ad sexaginta quandoque & ampliùs cuilibet convivarum in separatâ mensâ apponunrur, delibatur nihil, nihil vini degustatur, absque novâ invitatione, tum à Magistro cœrimoniarum altiori tono, à patre familias peracta, submissâ voce ac concinno gestu; singula fercula ad hospitis pedes, mediâ in aulâ, genuflexi inferiores famuli priùs subministrant, quam nobiliores alii mensæ imponant. Reliqua ne tædio sim omitto; hæc sufficiant ut quivis intelligat exhibitos rebus offerendis honores, non magis religiosæ quam civilis oblationis indicia esse inter Sinas, atque adeo per sese nullam superstitionem importare vel denotare.

NUMERUS XV.

Vini epotatio non est superstitiosa

NEque est quod diûtiùs lectorem hic fatigem refellenda quadam oppositoris suspicione, quasi epotatio vini, Confucio oblati esset sacrificii atque holocausti consummatio: *Quoniam* inquit, *epotatio Sanguinis Christi à sacerdote ad augustissimi Eucharistiæ sacrificii consummationem pertinet.*

In primis ex hæc paritate inferretur dumtaxat epotationem hanc pertinere ad complementum piæ oblationis, cujusmodi hæc

Digitized by Google

eſt Confuciana, non autem ad ſacrificium, uti probavimus. Deinde hinc conſequens eſſet pias omnes honorificaſque oblationes mortuis imò & convivis factas, eſſe ſacrificia & holocauſta, cum in his omnibus ejuſmodi honorifica vini potatio intercedat, immò verò ex Sinicis honorificarum oblationum inſtitutis docet interpres *Ly Ky* lib. 16. fol. 27. *tunc dici honorificè offerri* cy, *quando vinum non bibitur.* multominus diſtributio eorum quæ reſidua ſunt ex oblatione ad ipſam oblationem conſtituendam pertinent nam ex *Ly Ky* lib. 17 fol. 25. *Reſidua oblata ad oblationem faciendam inepta ſunt.*

Patet itaque idcircò in oblatione ſolemni ſeû Confucii, ſeû aliorum defunctorum hanc vini potationem adhiberi nonmodo à præſide & adjutore oblationis, ſed etiam à multis aliis aſſtantibus, ſin minus ab honoratioribus omnibus, quia hæc oblatio fit per modum convivii honorifici in quo ultimum poculum hauritur ad honorandum hoſpitem in cujus venerationem appoſita omnia conſumpta velit, non ad alios uſus aſſervari, uti capite 33 retulimus ex *Ly Ky*. Certè cum in antiquis holocauſtis tam Judæorum quam Ethnicorum pars ſaltem victimæ cremaretur ad perfectiorem conſumptionem, nuſquam tamen auditum quod partes à templi Miniſtris per modum cibi ſumptæ ad ſacrificii & holocauſti conſummationem ſpectarent; multò verò minùs quod ex alicujus gentis inſtitutis compotatio vini pro præſtantiſſimo inter ſacrificia ſeu holocauſto haberetur: quâ porrò de causâ

Digitized by Google

in ſacrificio Euchariſtiæ epotatio ſanguinis, non ſecùs ac comeſtio Corporis Chriſti ad conſummationem ſacrificii pertineat, ſive per modum partis integrantis, heterogeneæ ut placet Delugo, ſive per modum complementi ut aliis videtur, ex peculiari illius ſacrificii inſtitutione repetendum. Per hanc ſanè conſumptionem ritè intelligitur perfectum ſacrificium in modum realis utiliſque, non ſolum honorifici convivii adinſtar, in modum item repræſentationis mortis Chriſti cruentæ & forte etiam in ratione holocauſti velut inchoati per oblationem in conſecratione factam cum deſitione ſubſtantiæ panis & vini, necnon in mutatione Corporis & Sanguinis Chriſti dum ſuo naturali modo ſuis ſpeciebus ſpoliata collocantur. pura oppoſitoris ſuſpicio nullis argumentis ſuffulta, ſublimis adeo ſubtiliſque quæſtionis accuratiorem diſcuſſionem non expoſcit.

NUMERUS XVI.

Confucii cultus planè ſimilis eſt cultui illuſtrium mortuorum ex ritu antiquo.

VErbo dico, qui conſulat *ven cum* libris 1. 2. 7. & 8. de officiis domeſticis, ſtatim agnoſcet, nihil in hac ſolemni oblatione Confucii notari ſuperſtitionis, quod idem ex priſco Sinarum ritu qui in ea obſervatur, in quibuſlibet ſolemnibus mortuorum oblationibus, ſaltem regiis non uſurparetur. Selectio

Digitized by Google

animalis & mactatio pridie facta in conſpectu aliquorum ex affinibus, in principum, imò & magnatum oblationibus traditur lib. 7. fol. 34. Inteſtinorum, pilorum & ſanguinis oblatio, Ibid. fol. 12. memoratur. Vini oblatio ſexcenties vocatur *fo cieu*, *vinum felicitatis*, illius propinatio & epotatio, felicitatis propinatio & epotatio *ju fo*, & fol. 8. lancium oblatarum diſtributio inter parentes & amicos fol. 16. explicatur non ſecùs ac proſperitas, quam toti familiæ apprecantur ex ritè peractâ oblatione, in quâ nunquam deeſt *cho veu* & *cao* laudatoria verba ei membranæ inſcripta, quæ ſtatim comburatur ex *tum ly* fol. 6. cum liber quem *can che* ſeu magiſter cærimoniarum & præco præ manibus habet, nihil contineat præter ordinem rituum, de quibus ſuo tempore circumſtantes monere debet, ne forte errent ex lib. 7. fol. 30. in oblatione Confucii edulia cocta non adhibentur, quoniam hæc ſunt novi ritus vel ſecundariæ oblationis, in quâ loco carnium & animalis integri, *çu* dictarum hæc edulia communi nomine *chan* vel *chuen* appellata offeruntur ex lib. 7. fol. 30. oblatio verò Confucii tota fit priſco ac regio præſtantiori ritu ad majeſtatem; atque cum iſtiuſmodi êdulia præparari debeant à fœminis ex lib. 7. fol. 19. non decebat adhiberi in oblatione Confucii facta magiſtro à diſcipulis, unde in oblationibus magiſtrorum defunctorum nunquam uſitata fuiſſe ſcimus, imò priſcis temporibus nullus eorum uſus fuit in religioſis ſpirituum oblationibus ex lib. 1. fol. 16. quamvis poſt-

Digitized by Google

modum introductus sit ad minores seu domesticos spiritus venerandos ut refertur lib. 7. fol. 26. & seq. attamen negari non posse videtur quin aliquæ secundariæ nonnullorum eduliorum oblationes fierent ipsi supremo Imperatori, sed has *pum* vel *siem*, non autem communi nomine apellabant in *Ly Ky* lib. 4. hæc porro ex *Kia Ly* sic retuli ad faciliorem lectoris inspectionem, ut eadem in ipsamet doctrina *Ly Ky* extare ex dictis ac dicendis constet.

NUMERUS XVII.

De concentu musico.

JAm verò à superstitione denotandâ longè magis alienus est concentus musicus, quippe qui nec inter convivandum inter vivos desideratur, nec in funebribus principum atque illustriorum virorum obsequiis. Illius Musicæ quam honestus sit finis traditur lib. 2. de officiis fol. 30. *Prisci Reges constituerunt ritus & musicam, non eo fine ut responderent; oris, ventris, aurium & oculorum appetitibus, sed üs usi sunt ut docerent populum moderari odii & amoris affectibus, atque ut homines ad pristinam rectitudinem revocarent*, & folio 7. asserit *adhibitam fuisse præsertim in Regiâ, ut ejus virtute instruerentur Regis liberi:* Ac plenissimus concentus quem Imperator *hum vû* inter honores Confucio decretos recenset *xim cho* dictus regius erat & *novemdecim diversi generis instrumenta musica poscebat.*

Non nego tamen quod refertur ex *ye kim* lib.

Digitized by Google

lib. 1. *prisci Reges in instituendâ musicâ depradicabant virtutes ac solemni ritu offerebant supremo Imperatori.* Uti & usu venit inter nos qui musicam tum in sacris tum in prophanis festivitatibus celebrandis honestam honestè adhibemus, aliundè verò cùm iste concentus quasi ad ornamentum & majorem oblationis solemnitatem accedat; neque ea actio seu oblatio, quæ ex naturâ suâ etiam morali nequaquam superstitiosa est, ex conjunctione cum ejusmodi concentu de se bono, neque vicissim concentus ex conjunctione cum oblatione superstitiosam fœditatem contrahit, hinc universim affirmatur in *ly ky* lib. 6. fol. 32. *Musica est id, quo hominis interiora; ritus atque officia sunt id, quo exteriora componuntur.*

NUMERUS XVIII.

De tempore solemnis Confucii oblationis.

PRob. ultimò ex circumstantiâ temporis, quod solemnioribus illis oblationibus certum quotannis, ac statis anni mensisque diebus constitutum est (verna scilicet atque autumnali tempestate, ut de menstruo minoris momenti cultu sileam) extra quos nunquam peraguntur: ex quo non invalidum hoc se offert argumentum. Quisquis inter Sinas seu avitæ seu peregrinæ religionis, sectatores colitur ut numen, sive ut spiritus, sive etiam ut sanctus aliquo religioso cultu & ritu, ei honorificæ fiunt oblationes non tantùm ordinariæ statis temporibus, sed etiam extraordinariæ,

Digitized by Google

dum divinæ opis implorandæ neceſſitas urget. Ergò cum inſtante quavis neceſſitate nullæ Confucio extraordinariæ oblationes ultrà tempora determinata fiant, profectò neque pro numine, neque pro ſpiritu, neque pro ſancto, more Sinarum colitur.

Antecedens patet inductione, quæ quotidianâ liquet experientiâ tum in modernis illis ſpiritibus peregrinæ legis numinibus, tum in ſpiritu ſeu Angelo tutelari *chim hoam*, cui in ſingulis urbibus & oppidis templum poſitum eſt, ad quod oblationes votaque facturi in publicis neceſſitatibus avitæ religionis cultores concurrunt, non ſecùs ac Idololatræ ad ſuorum Deorum fana. Patet quoque ex allatis ſupra cap. 3. de pietate quâ veteres Sinæ ad ſerenitatem aut pluviam obtinendam, aliáſque publicas calamitates avertendas, ad conſequendum felicem belli ſucceſſum ac ſimilia ſpiritus ſibi propitios extraordinariis orationibus conciliabant. Imò eâdem de causâ Imperatores in Majorum aulis inſignes oblationes extraordinariáſque *cao* peragebant, in quibus non modò rerum oblatione, ſed etiam appoſitâ oratione ſuam demonſtrabant fiduciam in progenitoribus non quidem omnibus, ſed iis dumtaxat quos ob egregias virtutes ad cœlum evectos & intercedendi apud ſupremum Imperatorem poteſtate donatos arbitrabantur, quos & de nomine, ut ſuperiùs dictum eſt, compellabant.

Confirmatur ex eo quod hæ ſolemnes Confucii oblationes juxta Imperatoris mandatum certo tempore fiunt, reſpondente duarum il-

Digitized by Google

larum imperatoriarum *ty cham* tempori, quæ præstabantur in avorum aulâ, in quâ tunc omnibus proavis, nullo inter sanctos aut minus probos discrimine, præstabantur: non magis igitur religiosæ sunt istæ Confucii oblationes, quam quorumlibet promiscuè Imperatorum ac Principum quorum honoribus titularis iste post obitum literarius Imperator Confucius donatus est.

NUMERUS XIX.

Confucii cultus ab ipsa specie superstitionis est liber.

COlliges ex dictis solemnem illum Confucii cultum, multò certè magis reliquos ordinarios, ne superstitionem quidem redolere inter Sinas.

Patet 1°. ex eo quòd nullam majorem superstitionis speciem inter Sinas exhibet quam solemnis quorumlibet Imperatorum defunctorum cultus, cujus ad instar constitutus est atque observatur juxta edicta regia: atqui Imperatorum non secùs ac reliquorum mortuorum solemnis cultus ex institutione suâ, quæ etiam nunc viget, est planè civilis, ac nihil ad falsam religionem, sed totus ad veram pietatem pertinet; ergò idem de solemni Confucii cultu censendum.

Prob. 2°. ille cultus superstitionem in Sinis non redolet, qui magnam admodùm similitudinem cum superstitioso cultu in Sinis non

Digitized by Google

habet ex ultimo prænotato cap. 1. Atqui solemnis Confucii cultus inter Sinas non habet magnam admodùm cum superstitioso cultu similitudinem, imò multiplex evidensque ab illo discrimen, tum in primariâ præcipuâque illius cultûs actione quæ est oblatio, tum in aliis circumstantiis.

Nam oblationes superstitiosæ inter Sinas nunc usitatæ fiunt per ipsam solemnem animalis mactationem & sanguinis ac vini effusionem coram eo cui fit oblatio & impium sacrificium, econtrà verò in solemni Confucii oblatione vinum oblatum non effunditur, sed ab aliquibus adstantium vel etiam offerentium statim post oblationem epotatur, quod ex antiquo ritu immutatum fuit, ne videlicet viderentur literati superstitiosos ritus amplecti, aut probare; quamvis autem mactatio animalis intercedat, ipsa est prævia oblationi, non ipsamet formalis oblatio, ac sine solemnitate peragitur in atrio vicino, quod est commune aulæ Confucii aliisque aulis ad Præfecti habitationem destinatis & conventus literatorum; non mactatur animal manu offerentis ipsius, aut alicujus ministri ad id peculiariter deputati, ut in superstitiosis sacrificiis ratum est, sed occiditur, secatúrque ab ordinario Lanione. Ad hanc item oblationem alias nemo vestes induit, quam in cæteris politicæ inter vivos comitatis officiis gestare soleat, cùm tamen ad solemnes superstitiosas oblationes sacrificuli religiosum quemdam habitum sumant quo in civili etiam optimatum congressu extra templa non utuntur. Alias circumstantias facilè quis-

Digitized by Google

que per se percurret, hæc autem sufficiant ut ex istis tam notis constet hunc Confucii cultum à superstitioso, vel ipsa externâ specie, longiùs abesse.

Oppugnator ipse rectè observavit, *literatos suas cærimonias eum peregrinæ legis cærimoniis non permiscere*; at quæ non permiscentur cum aliis quibusdam non sunt iis admodum similia, atque adeò non ea redolent; solemnis itaque hic cultus non superstitiosum aliquem sapit sed verè religiosum priscæ legis cultum potiùs redolet, idque sine superstitionis periculo: quippe sit juxta instituta sinceræ pietatis quæ religioni valdè affinis est, cùm Deus animarum creator sit utriusque objectum principale, ut ex D. Thom. cap. 1. observavimus.

Probatur 3°. efficaciter Sinicum Confucii ac mortuorum cultum à superstitionis suspicione ac specie alienum esse ex hac Sinica regula ac velut principio cultus defunctorum superiùs allato ex *xu kim* parte 3. fol. 29. depromptum est, *su vam Fu su cun*. serviendum iis qui è vita excesserunt, quasi superstites etiam essent, quod axioma diligenter introspiciendum ac præ oculis habendum ne à Sinicâ consuetudine explicandâ aberremus. Illæ igitur actiones cultûs externi mortuorum superstitionem inter Sinas non redolent, quæ sunt ejusdem rationis cum iis qui erga vivos ad insignem venerationem & in grati ac reverentis animi signum prudentibus ab Sinis adhibentur; atqui prudentes Sinæ tanquam politicæ venerationis signa erga illustriores etiam vivos adhibent profundas corporis inclinationes, prostrationes ad ter-

Digitized by Google

tam usque, quam capite percutiant, incensiones thuris ac candelarum, concentus musicos necnon oblationes eduliorum, vini & ipsorum quoque integrorum animalium, quæ ad honorandum hospitem mactentur & offerantur modo accommodato, ad suam venerandi potiùs quàm pascendi hospitis nobilem mentem declarandam, ut dictum est: ergò hæc omnia à Sinis ergà mortuos præstita non falsæ religionis speciem exhibent sed merè politicum cultum, quo certè uno vivos Sinæ prosequuntur. Patet Major ex communi aliarum saltem plurimarum nationum usu, ex quo iis sine ulla superstitionis suspicione ac specie ad cultum mortuorum utuntur, quæ ad insigniorem, sed politicam vivorum venerationem inserviebant, cujusmodi sunt incensiones cum thuribulo in ipsa Ecclesia, factæ oblationes ciborum ac potùs etiam per modum convivii, ubi honoratiorum vivorum mos est epulas, præcipuè ad honorem convivis deferendum, instruere. Quanto apparatu convivia coram defunctis regiæ stirpis gallicæ Principibus per multos dies instruantur, laudat Bzovius è sacrâ prædicatorum familiâ, adeóque cultus ille mortuorum ad instar vivorum tanti habitûs tamque familiaris inter Sinas à lumine naturæ profluxisse videtur.

Huic nitidissimo lumini densas postmodum tenebras offudit superstitiosus error per abusum introductus, putà opinatio, quod non tantum ad venerationem, sed etiam ad commodum, pastumque defunctorum, oblatio ciborum spectet. Verum nihil pietati cul-

Digitized by Google

tus adversatur, nocetve inter Sinas, quorum instituta etsi per pravam maximæ partis consuetudinem, in aliis vitiata sint, hac tamen in parte perseverant integra, ex communi nobiliorum juxtà ac plebeiorum assertione, uti cuilibet ab iis obviis sciscitanti facilè constare potest.

Ratio à priori hinc ulterius est ducenda quod eatenùs aliqua superstitionem redolent quatenùs secundum externam speciem similia sunt aliis superstitiosis passim usitatis, sic ut ægrè ab ipsis distingui queant: at quæ in aliquâ regione ex communi usu ad honorem merè politicum adhibentur in vivorum cultu, si ad cultum quoque mortuorum adhibeantur, redolebunt utique illorum cultum cui per similia & uniusmodi sint, non autem sapient superstitiosum alium cultum, qui nullus comperitur, cum quo similitudinem saltem tantam usitatus hic politicus mortuorum cultus habeat; quo fit ut istiusmodi cultum à superstitioso oculati indigenæ nullo negotio discernant.

NUMER. XX. ET ULTIM.

Cultus Sinicus mortuorum institutus fuit instar honorifici convivii, quo vivi ipsi excipiuntur.

ATque ut istud clarius innotescat, in quo difficultatis ab initio propositæ caput summaque consistit, rem pene totam in ipsis

Digitized by Google

verbis authenticorum librorum Sinicorum de officiis, tanquam in fidelissimo Sinicæ mentis & institutorum speculo subjiciam, ut liqueat pias mortuorum oblationes ipsaque sacrificia latè sumpta in Sinis ad honorifici convivii vivis hospitibus civiliter certè non religiosè oblati amussim prorsùs exacta fuisse.

Brevitatis causa omitto expressam compatationem quæ in *Ly Ky* lib. 14. fol. 5. instituitur *inter officia erga hospites & officia erga defunctos* quæ subinde ibi permiscentur; recenseo ea dumtaxat quæ utrisque officiis ipso quoque nomine communia sunt in oblationis norma & ratione velut formali in suas quasi species distincta; in materiâ, modo ac ritu cum suis circumstantiis.

Ac de ratione quidem formali res definitur in *Ly Ky* lib. 7. fol. 29. *In funebrium oblationum usu idem est atque in honestioribus hospitibus excipiendis ritus ac ratio*, subscribit comment. lib. 12. fol. 29. qui inter cætera inferius adducendenda hæc habet: *parentes qui in vivis præerant domui tanquam Domini, ubi obierunt, tunc filius obediens* (qui nempe loco parentum Dominus domus factus est) *dum justa iis persolvit juxta honoratiorum hospitum leges ipsos accipit*, paratis scilicet epulis de quibus ibi expressè agitur: ac lib. 2. fol. 44. *Qui funebres ritus exequitur, mane apponendo offert sub ortum solis, vespere item apponit sub solis occasum.* Subdit *eam xy. Mane apponit in similitudinem ac modum matutinæ comestionis, vespere apponit in similitudinem ac modum vespertinæ comestionis, nimirum obediens filius servit defunctis uti servit vivis.* Eodem sensu comment.

Digitized by Google

ment. lib. 3. fol. 9. hæc verba textus *Ky so yam yè* sic exponit de majorum aulâ, *locus educationis est locus ad venerandam educationem offerendo edulia.* Idem comment. l. 6. fol. 16. post explicatas varias cærimonias ad venerationem *substituti* observatas in solemni oblatione ita concludit: *Hæc sigillatim ac minutatim manifestant solummodo seû de industria tè istam oblationem victimæ fieri epuli offerendi ritu.*

Verum ad differentias piarum oblationum agnoscendas lib. 4. fol. 18. referuntur triplicis generis officia, diversis temporibus exhiberi solita inter honorificas conviviorum oblationes, priscis nempe *yû* seu *yao xim* temporibus erant *officia yen dicta*: *sub familia Imperatoria hiæ erant officia hiam appellata, sub familia yu officia sû nuncupata, hæc verò universa quæ familia chou in unum aliquatenùs congessit & fusiùs aperiuntur* lib. 16. *in funeribus, sic erga mortuos præstabantur ut perfectiora hium, intra aulam ipsam majorum, imperfectiora sû ad misericordem largitatem ac beneficentiam spectantia in porticu dumtaxat peragerentur.* Lib. autem 7. fol. 4. *istorum rituum principium ducitur à cibo & potu.* Et lib. 1. fol. 9. Ritus *sû hiam sunt oblationes factæ parentibus tanquam hospitibus per modum convivii* atque istæ sunt *sacrificiorum species ad promptissimum & ex parte offerentis quodammodo infinitum amorem demonstrandum institutæ.*

Oblationum istarum communem materiam nobis suppeditat lib. 6. fol. 4. *In præstantissimâ gratiarum actionis oblatione mortuis factâ tá hiam hó dictâ, principes ûtebantur triplici victimâ*, quæ juxta interpretem est *vacca, ovis*, porcus, &

Digitized by Google

piſcibus quoniam quatuor marium & novem inſularum id eſt totius orbis ex Sinico loquendi modo, *hæ ſunt præcellentes dapes.* Iſta igitur mortuis offeruntur velut dapes quæ omninò conviviorum ſunt; ſi quid autem in hac oblationis materiâ difficultatis occurrat, illa potiſſimum ſpectare videatur ad victimas & vina *hiven* ac *ly* in communi uſu minimè uſurpata, hæc tamen ipſa inter honorifica conviviorum oblata reponuntur, in ipſo *Ly Ky* præter ea quæ capite 3. attulimus, *de vacca cubitalium cornuum ad excipiendos hoſpites requiſita* lib. 4. folio 18. amplius habetur lib. 7. fol. 31. *Imperator cum provenit ad ditionem aliquorum dynaſtarum, hi ad ipſum regiis epulis excipiendum ututur vitulo*, nimirum pro victimâ, inquit interpres, *quæ unica eſſe debet ob unicam Imperatoris Majeſtatem, uti Imperator ipſe ſacrificans cœlo utitur unico tauro pro victimâ* & lib. 9. folio 3. comment. exponens cauſas, *ſine quibus in textu negatur poſſe mactari victima.* Inter eas affert *cy ſu ſacrificium honoratiori etiam hoſpiti factum ex duplici præcipuo ritu conviviorum, hiam* ac *ſu*, *in quo utroque inter res oblatas eſt ipſa victima. Imo Imperator ad menſam regiam ſex victimas adhibet. Quin etiam quod, ad excipiendos hoſpites*, (inter quos Sinæ Imperatorem non cenſent. Lib. 7. fol. 31. *Eo quod ubique ſit Dominus*, ait interpres,) quod inquam mactaretur victima declaratur, lib. 4. folio. 8. Ubi comment. addit, *canem eſſe victimam conviviorum ſcilicet vulgarium, propriam*, unde in textu, *vetatur ſine cauſa mactari canis & porcus*; nimirum inſtar victimæ ſeu ad honorem.

Digitized by Google

Neque putes oblationem carnis crudæ aut etiam sanguinis ac pilorum abhorrere à ritu convivii, quin imò ad priscas epulas repræsentandas pertinet lib. 7. fol. 7. *Post oblationem honorificam vini aquei offerunt ipsius* mactatæ scilicet victimæ *sanguinem, pilos & crudas carnes lancibus impositas*; rationem reddit comment. quod hæc tria sint venerandæ antiquitatis ritus, *quâ*, nimirum uti habetur in ipso textu *cum etiam nunc careret ignis usu ad coquendam, assandam, ac perpurgandam animalium carnem, hanc crudam offerebant ac mensæ apponebant unà cum pilis ab eâ necdum plane excussis, necnon sanguinem epotabant.*

De illo vino *hiven* dicto sive mera sit aqua uti ab interpretibus non rarò vocatur, sive potius aqueum seu ex aquâ velut potiori materiâ confictum ut insinuatur lib. 16. fol. 24. De hoc vino scribit comment. lib. 6. folio 25. *Priscis temporibus* (xam cù vocant) *cum nondum vinum suppeteret in officiis adhibebant aquam, posteriorum vero temporum reges inter honorificas oblationes mortuorum vinum hiven apponunt velut venerandæ antiquitatis regulam*, pariter lib. 9. folio 8. & lib. 16. folio 24. inter varia venerationis officia in convivio regio numeratur, *appositio vini aquei velut perhonorifica nec omittenda*, nempe ait interpres, *ne veneranda antiquitas excidat è memoria.*

Similis est ratio non tam delicati saporis quam pretiosi vini *ly* toties appellati in regiis decretis de solemni Confucii oblatione, de quo & scribitur libro 8. fol. 39. *bibitur pretiosum vinum ly*, in convivio scilicet de quo ibi

Digitized by Google

agitur, unde subdit interpres *pervenit*, quasi ad honoris summum *chy* ad *propinandum illud vinum hospiti.*

Neque diversus est offerendi modus cum suis circumstantiis quæ eædem sunt firmè omnes imprimis libro 10. fol. 43. 50. 60. varios ritus exponit honorificæ oblationis in convivio vivorum, eosdem planè atque in orationibus mortuorum, ac nominatim, *quod intra discum seu lancem cu fiat honorifica rerum solidarum oblatio*, quod ante oblationem vini *primum quidem manus deinde verò poculum abluantur & extergantur ad mundiciem in convivio, dum dapes regi offeruntur, ex scripto quoque habetur ad eum oratio dicta cao*, sub finem oblationis convivalis honorificæ dicitur. *O summa fœlicitas, sive attigimus felicitatem chi fo. Quæ voces* inquit Comment. ab eo proferuntur qui genuflectit coram hospite *quasi excepturus illius mandata ad efferendas illas extremas valedicendi seu dimittendi cœtûs voces cu yeu attigimus fœlicitatem, seu obveniat nobis felicitas*, ob cærimoniam ad extremum usque vitæ perductam.

Quo porrò tempore officiorum ritus exhibentur ex lib. 11. fol. 39. *musicus instrumentorum ac vocum concentus in mediâ avorum aulâ personat ad concordiam inter adstantes debitâ cum veneratione conciliandam juxta priscorum regum institutum.* In conviviis autem ex fol. 16. dum vino exhilarantur convivæ intervenit Musica *ad temperandas animi affectiones*, & ex fol. 34. *ad regendum cor.* Præterea ex libro 12. folio 13. 24. & 25. *qui piè offert defunctis post absolutam funebrem comploratione seipsum nominat obedientem filium aut*

Digitized by Google

nepotem, & ipsius oblatio felix dicitur kie cy in cujus fine consanguinei & invitati hospites bibunt ac comedunt, juxta ritum convivii sub familia *yn* anteà commemoratum; *at oblatio ante elatum funus absolutumque ejulatum peracta, infelix dicitur, hium cy in qua filius aut nepos oblationis praeses se luctuosum appellat, atque consanguinei & hospites cibum ac potum in os dumtaxat immissum degustant cuy* juxta convivii ritum sub familia hia usitatum.

Ad hæc fol. 29. *cùm interrogatus fuisset cem çu Confucii discipulus* utrum vir probus & honoratus colligere jubeat quæ superfunt ex piè oblatis, *respondet tu ne ignoras magnæ oblationis hiam,* quæ primas inter convivales tenet, *leges, juxta quas victimarum caro lancibus imposita ad aulam hospitum defertur quippe defunctos parentes tractare hospitum instar, ista est præscripta compassionis ratio.* Interpres aliquando clariùs rem evolvit, *vir nobilis qui alium convivio excipit, si post epulas asservanda colligi juberet, quæ residua sunt, an non parsimoniæ ceu avaritiæ id imputaretur? post confectam piam oblationem trium victimarum carnis lancibus impositæ in aulam hospitum deportantur, eo nempè consilio, quod ubi obierunt parentes qui in vivis præerant domui tanquam domini, tunc filius obediens qui loco parentum dominus domus evasit dum justa eis persolvit, juxta honoratiorum hospitum leges eos accipit,* pacatis scilicet epulis de quibus hìc agitur prolixum quippe erga eos animum demonstrat, dum quidquid illis oblatum est totum in aliquem ipsorum honorem ab amicis consumi optat ac curat.

Atque hic est pius munificusque animus pro-

Digitized by Google

cul ab omni superstitionis notâ in iis qui solemnibus Confucii ritibus præpositi magistro oblata non sibi privatim ac sordidè deposcunt, sed honoratioribus viris quasi communis Magistri piscipulis, hospitibus, convivis, & assessis splendidè elargiuntur. Quoniam tamen in ordinario convivio, quæ post expletas dapes residua sunt, ea ad domesticorum usum colliguntur, idcircò ipsum in piis mortuorum ordinariisque oblationibus observatur ex peculiari quodam ritu, de quo multa in *cy ly* & ipso *ly ky*, quique *che cium* quasi residuorum collectio vocatur, atque illius ipsius distributionis cum honore faciendæ. Alia duplex ratio redditur lib. 4. fol. 6. prima quidem *quod hæc residua pertineant ad finem oblationis qui non minùs reverenter est pertractandus, quàm ejusdem initia*; altera verò, *quod istud poscat liberalitas ac munificentia defuncti quam par est imitari & cujus imago quædam est hæc distributio* quæque inter sublimioris ac demissioris sortis homines distinguere novit.

Insuper lib. 16. fol. 4. traditur convivalis populi cærimonia, ut vocant in principio convivii, *him xam* in qua deputatus est ad infundendum vinum peculiaris minister *cho che* dictus; jubet omnes flectere genua, tum ipse abluit pocula, elevat in fundendo vinum, in destinatâ ad id mensâ reponit, exin singuli convivæ poculum apprehendunt, attollunt, genuflexi, aliquid vini effundunt in terram, aut in vas suppositum; hanc verò effusionem pro beneficio habent, perinde ac si vinum bibissent: demum aiunt se hoc pacto venerari beneficium nutritionis.

Digitized by Google

Atque hæc est honorifica vini oblatio in conviviis facta, de qua egimus cap. 3. & cui planè respondet id quod præstatur sub initium honorificæ oblationis mortuorum, imo quandoque infimorum domesticorumque spirituum *ci cieu kiam xin* in quâ eædem usurpantur voces ac ritus *guey* genuflectere *cho* & *chin* infundere *fum* & *xim* elevando offerre *tien* apponere *quon* rigando effundere, ac tandem *ci cieu* quasi sacrificare, vinum guttatim instillando, pari nimirum gratitudinis ac venerationis affectu erga defunctos, quibus ea ipsa quæ quis offert, accepta refert quasi olim tempore educationis ab eo, qui tunc enutriret sibi collata *Kim yam*, vocatur autem *Kiam xin* quasi invitatio quædam spiritus cui offertur tanquam hospiti ad descensum moralem superiùs explicatum, sive ad humiliorem locum ex demissæ urbanitatis vocibus, sive ad inferas reverâ partes ex superioribus, ad quas remeare animas saltem proborum statim à morte veteres Sinæ supponebant, & tutelares quoque spiritus ad rem suam familiarem procurandam egredi arbitrabantur.

Unde in oratione quæ tunc recitatur ex scripto, quæque locum tenet illius libelli, quo hospites, ad convivium invocari solent, nusquam intermissa in epulis vox *cieu* ipsamet lib. 7. folio 7. & lib. 8. fol. 37. adhibetur. Non absimilis ratio est illius orationis quæ sub finem piæ oblationis recitata in *cy ly* sæpiùs dicitur *cao en* ad grates ei agendas cui facta est oblatio, quod eam acceptavit, quanquam sæpè fatentur se non omninò scire utrum reipsa accepta-

Digitized by Google

verit necne. Pertinet hæc oratio seu sermo cum adjunctâ cærimoniâ ad spiritum quasi dimittendum ac deducendum. Demum usque tabella *xin* & *xin guey spiritus* ac *spiritus sedes* dicta honorificè reponitur in pristino loco, de quo paulò ante, vel pridie (utrumque enim factitari potest) educta fuerat, quasi excipiendo spiritum & *ym xin* & posteà comitando spiritum seu tabellam ipsius loco vices supplentem, ad locum usque nunc piæ oblationis tùm verò asservandæ tabellæ destinatum *sum kin*; eo sanè pacto quo hospes primum quidem pridiè convivii, iterùm autem illo ipso die invitatur scripto, atque extra portam aulæ vel etiam ædium excipitur; sublatis verò postmodùm epulis cum gratiarum actione dimittitur, per verba superiùs relata *cu hien* & domum usque deducitur, si hospes illustrior longè sit eo qui ipsum invitavit.

Tædet repetere quæ cap. 4. dicta sunt constantque ex *cy ky* passim de ministris ejusdem nominis & functionis tum in piâ mortuorum oblatione, tum in convivio, addo dumtaxat quod uti ex lib. 8. fol. 36. *materfamilias sacrificat hospiti, ita mulieres* ex lib. 16. fol. 4. *piè offerunt defunctis carnes & pretiosum vinum cy.*

Mitto dicere de numero oblatorum, qui certus est ac determinatus in convivalibus honorificis oblationibus tam vivorum in *ly ky.* lib. 16. fol. 25. quam mortuorum lib. 8. fol. 8. & lib. 7. folio 38. ac fusiùs in *cy ly* folio 4. 5. 8. ex quo non pauca in synopsi exscripsi, utrobique etiam dapes non simul ac semel omnes, sed successivè *xe* proponuntur, *cin* inferuntur,

tien

Digitized by Google

tien apponuntur, *ſum hien* offeruntur, atque in iiſdem ipſis diſcis ſeu lancibus *çu* quas vocabularia Europæo-Sinica appellitant *vaſa ſacrificii*. Neque fuſiùs perſequar illos præcipui hoſpitis menſæ ſocios *poe ke* de quibus lib. 16. fol. 24. & quibus reſpondent in funebribus officiis invitati cum ſuis quoque libellis hoſpites de quibus in *quon ly* plura ſcribuntur.

Cæterum hoc diſcriminis eſt inter convivales mortuorum ac vivorum honorificas oblationes, quod in his reciproci aliquatenùs honores deferuntur, quod in illis præſtari nequit à defuncto, qui mutuis illis officiis perſolvendis impar eſt, hinc ſcribitur in *ly xy* lib. 8. fol. 20. honorificè offerri vivis per modum ſuſtentationis *yam*, mortuis autem per modum fruitionis *kiam* ſeu quaſi iis qui jam fruantur; nec ampliùs indigent alimento, unde vocabularium majus ex interprete *ly ky* ait *Kiam eſſe cærimoniam convivalem, in qua vinum propinatur non bibitur, cibus apponitur, non comeditur.* Attamen ne iſte convivalis honos penitùs deſit, in primâ oblatione ſolemni mortuo factâ, vices demortui gerit *ſubſtitutum vivum*, quod ita perſonam defuncti ſuſtinet, ut cibi potusque delibandi ac maſticandi, imò & deglutiendi munus expleat, ne ſcilicèt mutuo deſit honori, qui epulas offerenti debetur, ut videre eſt præſertim lib. 14. fol. 4. & 6. adde quod ex lib. 6. fol. 5. *Invitati hoſpites quaſi comitaturi defunctum convivæ, omnibus hoſpitum partibus, defunguntur ergà patremfamilias.*

Quæ cùm ita ſint cui tandem minimè perſpecta ſit ſimilitudo maxima & quædam ratio-

Digitized by Google

nis quasi formalis identitas, inter pias mortuorum & honorificas vivorum hospitum & convivarum oblationes, sive oblationis ministros & adjutores spectes *chin gin che su che can che ye* vel *yeu xe pin* sive attendas res oblatas quorumlibet eduliorum, ipsarúmque adeò victimarum seu integrarum seu in partes dissectarum una cum sanguine & pilis necnon vino tunc pretioso *cy*, tunc aqueo *hinen*, sive inspicias offerendi modum his vocibus expressum *fein fum hien tien cay quon yn cy*, cum præcipuis circumstantiis genuflexionum, orationum, musicæ, ac cæterorum. Quis verò ex perfectâ ejusmodi similitudine non inferat piam mortuorum oblationem ad honorificam convivii oblationem sanè politicam reduci posse, quod sacræ Congregationi jampridem sufficere visum est ut Neophytis permitteretur. Quis non indidem colligat nullatenùs superstitionem sapere hanc oblationem quæ civili conviviorum venerationi inter Sinas, quam ulli superstitioso cultui longè similior manifestò appareret, istud nempè est *su sie* præstare obsequia mortuis *In su sem* eâdem ratione ac vivis, erga quos politicam dumtaxat esse Sinarum venerationem nemo diffitetur.

Dices si neque superstitiosæ sunt, neque superstitionem redolent solemnes illæ Confucii oblationes, etiam cum mactatione animalis prævià peractæ, possunt, sine ullo scrupulo adhiberi inter Sinas in ipso Christianorum funere; multo magis licebit quibuslibet Christianis literatis solemni ejusmodi oblationi interesse imo & suam in illâ operam mini-

Digitized by Google

ſtrorum inſtar conficere, atqui totum iſtud ipſorum Patrum Societatis praxi repugnat. R. ex Superioribus rite quidem colligi videtur in iſtis omnibus per ſe loquendo, nullum inter ſinas eſſe vel ſuperſtitionis incurrendæ, vel ſcandali generandi periculum proximum; verumtamen hæc Neophytis permittenda non eſſe Patres Societatis judicarunt, in Chriſtianorum funeribus quorum procurationem jure ſibi ſumit Eccleſia, omninò prohibuere, eo quod illa ſint abhorrentia à communibus Eccleſiæ conſuetudinibus, à quibus licet nondum hic publicatis quibuſdam recedere nefas ducunt abſque graviſſimis cauſis, quæ hactenus non apparuerunt, neque permiſſum eſt Neophytis ut ſolemnibus illis Confucii ritibus vel per meram aſſiſtentiam ſe immiſcerent abſque proportionatâ cauſâ, quæ pauciſſimis & rariſſimè occurrit, quoniam quaſi eminùs redolent idololatrica ſacrificia à pluribus Sinis uſurpata & cum quibus imperfectam quamdam ſimilitudinem habent, ob illam animalis mactationem, tametſi præviam duntaxat & ſine ſolemnitate in ipſo ſolemni ritu cultuque, ad quem velut diſpoſitio pertinet. Contingere quippe facile poſſet ut rudiores aliqui de plebe, qui non intromittuntur ad externa illa diſcrimina providenda, neque penetrant avitæ legis inſtitutionum vim longè diverſam ac diſcrepantem à peregrinis legibus, exiſtimarent impiis idololatrarum ſacrificiis abſimiles non eſſe ejuſmodi oblationes quæ nunc extra regii palatii ſepta & gymnaſium Confucianum ad mortuorum cultum non

Digitized by Google

adhibentur, hincque ipsis suppeditaretur aliqua occasio, remota licet atque admodum incerta scandali, seu minùs altè de sancta lege sentiendi, quam ipsam peccati alieni remotam occasionem, Neophytis quoad fieri potest amputandam fugiendamque praxis Societatis arctaque viæ conditio statuit, ut mox fusiùs aperiam, quanquam Neophytorum numeri majoribus incrementis, clariusque in dies perspectâ ipsorum integritate, & averso à superstitiosis quibuslibet animo, nullus miretur, si posteà propiùs ad romanam indulgentiam accedentes nonnihil de pristino rigore hac in parte remittamus, quoad rei Christianæ illibata utilitas postulabit. Tempus enim est ut ad arctam illam viam redeamus per quam à Christo præmonstratam Patres Societatis Neophytos suos pro virili deducunt, nec tam ab illa nos digressi fuimus, quam anfractus ipsius omnes & angulos lustravimus, ut tutius decurreretur, ac tandem uno quasi oculorum conjectu prospiceretur.

Digitized by Google

EPILOGUS
SEU
PRAXIS
AD EUNDEM
R. P. Fr. DOMINICUM
DE NAVARRETTE.

ACcipiat nunc Vestra Paternitas cujusmodi tandem sit praxis nostra Missionariorum Societatis Jesu. Quotiescumque divinam legem in terras infidelium inducimus, inductam propagare conamur ac stabilire, ante omnia naturam gentis ac mores quantâ possumus solertiâ exploramus, & investigamus atque odoramur singula, eo quidem consilio, ut emendemus quæ depravata sunt, quæ inquinata purgemus; quæ sincera certaque sunt excolamus; quæ omne remedium videntur respuere, resecemus: nec ante putamus cessandum nobis esse quam quicquid est superstitiosi pravique sublatum fuerit: superstitionum verò, quoniam divinæ legi contrariæ sunt maximè, maximéque pernicioſæ mortalibus nos non ramos tantum am-

Digitized by Google

putamus, ſed omnes radicum fibras, quoad fieri poteſt evellimus.

Hac ſpe & hoc conſilio, cum P. Michaël Rogerius, ac paulò poſt fœliciori conatu ſucceſſuque P. Matthæus Riccius, Sinarum clauſtra, exteris hominibus tamdiu occluſa perfregiſſent, uſque adeò peregrina viſa ſunt ipſis omnia ut hærerent attonitis ſimiles, nec minùs angerentur animo; ubi neſcio quæ ſpecies perverſitatis Europæis hominibus cognita, viſa eſt afficere res propè ſingulas novi hujus orbis, quæ adeo amborum & aures & oculos mirum in modum offendebant ac vulnerabant. Uſu poſtmodum edoctus Riccius aliique viri ſolertes intellexerunt ſine litteris ac veſtibus Sinicis vix futurum, ut facilis ad eos pateret acceſſus, à quibus vel prava diſcere expediret, ut ipſi viciſſim docerentur optima; videri non recuſarunt eſſe diſcipuli veritatis falſo permixtæ ut certiores deinde aptioreſque puriſſimæ veritatis magiſtri evaderent.

Inter diſputationes quandoque excitantur, quas nemo prudens animorum diſſidia atque diſſenſiones, ſed inſtitutas, uti re verâ ſunt, communi quodam indagandæ ac declarandæ veritatis ſtudio controverſias & exercitationes vocet. Has inter principem ea locum obtinuit, quam de nomine potius *xam ty* quam de re motam cap. 2. retuli. Atque hæc ipſa meræ ſpeculationis, ac paucorum menſium metas non exceſſit, & externa potiuſquam domeſtica eſt habenda, cùm è Japoniâ

Digitized by Google

originem, robur, & incrementa ſumpſerit. Quamvis enim Civitas Macaenſis ſub ditione Sinarum in ipſo continenti Sinico poſita ſit, illius tamen incolæ è Luſitaniâ oriundi, cùm ſuas præcipuas opes ex Japoniis quondam haurirent inſulis, in quibus maximo cum honore excipiebantur; inde accidit ut plura de Japonicis quam de Sinicis præſertim moribus ſciant; imo & iſtorum ſe planè rudes profiteantur plerique Macaenſium, atque de mercibus, non autem de litteris aut inſtitutis Sinicis laborent. Nec alia opinor cauſa fuerit, cur illuſtriſſimus Japoniæ præſul D. Jacobus Valens Macai verſatus, & res Sinicas ex Japonenſibus, ad quas non immeritò propendebat, æſtimans, Macaenſibus prohibuerit, ne ex Hiſpaniarum uſu mortuorum ſepulchra circompoſitis cibariorum ferculis cohoneſtarentur; prudenter utique cum Sinas, qui Macai complures degunt, ejuſmodi fercula adhibere exiſtimaret, non tam ad mortuorum cultum, quam ex quodam Japonum de ſaginandis mortuis errore; à quo ſi doctiſſimus Antiſtes noſſet, quam procul abſint Sinæ ex ſuis inſtitutis, nunquam ei in mentem veniſſet, hæc potius Macai inter Sinas, quam Goæ inter Indos vetare, cum utrobique ſuperſtitionem, quæ in iis non viget locis, nec includant, nec ſapiant.

Non inficior equidem Japonas erronea de Religione dogmata à Sinis plurima deſumpſiſſe, tùm lectione librorum, quos non ſemel ardentiſſimè expetierunt, atque humillimis legationibus efflagita-

Digitized by Google

runt, tùm ex narratione partim ſuorum legatorum, partim ad ipſos commeantium aliquot Sinarum; verumtamen cum eam dumtaxat doctrinam arripuerint, ac mordicùs retineant, quæ poſt ſparſum indicæ idololatriæ virus, poſt veterum librorum Sinicorum conflagrationem, poſt depravatos magnæ litteratorum partis animos ac mores eò pertinuit; nihil eſt quod miremur, ſi propemodùm omnia confuderint; de avitâ Sinarum religione ac puritate vix quidquam delibarint; jam depravatam, fœdiùs deformarint; & errores in Sinas intruſos aliis propriis erroribus cumularint.

Id ſanè in ipſis potiſſimis Japonum idolis *xaca* & *amida* eluceſcit: hæc enim velut Sinica numina adorant; cum tamen *xaca* ſit *xe kia* inter Sinas ſectæ non idoli nomen; & *amida* pronuntient vice *ho myto*, quod Sinæ in ore ſolummodo, nequaquam in templis habent; ac pauciſſimi norunt quid iis voculis deſignetur, quæ vetutiſſimi in India ultra Gangem numinis, vix peritioribus ſuarum fabularum Bonziis cogniti appellatio eſt.

Pari hallucinatione Japones *foe* pro antiquiſſimo ac proprio Sinarum numine habent; eò quod recens illud adſcititii numinis figmentum *fo*, à primo Sinicæ Monarchiæ fundatore *fo by* diſcernere neſciunt.

Has aliaſque ejuſmodi Japonum in Religione Sinicâ aberrationes deprehendêre Patres Sinici, longo uſu, indefeſſa librorum Sinicorum lectione, & aſſiduo litterarum congreſſu; quibus inſtructiſſimi rem denuò in conventu

Digitized by Google

conventu *kiatim* discussserunt ; non tam ob judiciorum, si quorum fuit, discrepantiam, quam ad perfectiorem & in praxi adeò necessariam unionem constituendam ; quod felicissimè perfectum fuit. Recognita sunt antiquiorum Patrum, ac nominatim P. Matthæi Riccii opera, in quibus omnia constare sibi, & cum rei veritate planè congruere sic visa sunt ipsis, ut simul non dubitarent, quin alii quoque idem essent judicaturi, quicumque veritatis enucleandæ methodum apprimè callerent : Si quidem ex istius præscripto non modò communes totius gentis discessiones à vero, sed & pestifera peculiarium sectarum dogmata inter se non rarò pugnantia, pugnantibus quoque in speciem argumentis, (quæ ad hominem vocitant) impetenda sunt atque impugnanda, ut velut eductis, tùm ex communi omnium, cùm ex proprio quorumlibet armamentario telis, universi tandem errores expugnentur. Longè verò minùs suspectus esse potest P. Antonius de Govea, quasi divortii à cæteris facti, in suâ illâ perillustri Monarchiâ Sinicâ, cum voce ac scripto suam mentem eandem prorsus esse, quæ reliquorum Patrum fuerat, disertè significavit.

At quid dicamus de P. Joanne Adamo ? qui ante nobis est ereptus, quam suarum duarum epistolarum rationem reddere posset, quarum aliquot verba adversus ipsum ac nos promuntur. Nolim ego Tullianum hoc dictum usurpare, quod *nec amicitiæ nec societatis humanæ leges finant officiosis amici litteris ad litem ipsi intendendam abuti.* Malim ad fori ac judiciorum

Digitized by Google

leges provocare; juxta quas epistolæ integræ non truncatæ sunt in medium adducendæ; ut ex antecedentibus, consequentibus, & interpunctionibus, dignoscantur, quænam seriò, vel per jocum, quænam ironicè, exclamatoriè, interrogativè, assertivè scripta; quæ propositiones conjunctæ, quæ disjunctæ sint; an non aliqua particula per incuriam omissa, vel adjuncta: Ex quibus universis ac singulis maxima in sensu diversitas oriri ac dispici potest. Quamdiu utraque epistola non proferetur mihi profectò, qui sæpiùs P. Adamum adivi, hanc Vestræ Paternitatis doctrinam, scrupulos Patrum Manillensium appellitantem, ambigere non licet, quin prior hæc locutio. * *Buena doctrina trae el P. Martinio, para enseñar à idolatrar à los Chinas*, sit ironica: quipppè loquitur cum amicissimo sibi R. P. Fr. Thimotheo à Sancto Antonio idem nobiscum tunc sentiente; lepidè ergo P. Adamus illos pungit, qui actiones illas idololatriæ anteà notaverant, quam jam ex doctrinâ sacræ Congregationis à P. Martino allatâ licitam esse constaret. Et vero Patris Adami sana mens citra doctrinam sacræ Congregationis, (quæ eadem Nostræ Societatis semper fuit) nemini obscura esse potest ac suspecta, nisi qui eum delirare putet aut furere, utpote qui nonmodò cum Fratre charissimo P. Martinez atque cum Sanctissimo Papa Alexandro VII. sed ipse secum, impiè ac procaciter de blateran-

* Commodam atque aptam doctrinam affert Pater Martinus, quâ Sinæ doceantur idololatrare.

Digitized by Google

do pugnet. Hæc enim alia ejusdem Patris Adami verba ex alterâ ipsius epistolâ opponuntur. * *Aunque lo que VV. RR. han seguido es lo mas probable y seguro, por ende lo nuestro es tanbien probable, e conviene seguirlo agora*; Ergone aptam ad idololatrandum doctrinam sequi expedire, Adamus sui compos censet ac scribit? prioribus inquies, verbis jocatus, seriò his posterioribus agit. Lubens assentior, neque immodicam fortè ipsius urbanitatem ad lenimen afflictorum incusabo vel excusabo.

Verum P. V. gravatè non ferat si rogem ut attendat an non aliqua particula memoriæ vel temporis lapsu exciderit, aut in ipso quoque authographo mendum aliquod irrepserit. Quid proclivius? cum à Germano lusitanicè ad Italum scripta, Hispanus legat ac vertat. At quidquid sit de characteribus, inter quos vel raptim exarandos, vel ab extero homine vertendos ac transcribendos, facile fuit *es* in locum *fuesse*, vel lusitanicè, *seja* pro *fosse* substitui. De verborum sanè sensu nullus mihi dubitandi locus relinquitur; conjuncta & aliquatenùs hypothetica propositio relata est, cujus affirmativa veritas non semper utriusque partis seorsim acceptæ veritatem affirmationemve postulat; rectè quidem assertum quod tametsi tutiorque probabiliorque foret quorumdam PP. sententia, speculativè, ut aiunt, loquendo, no-

* Quamquam id quod Vestræ Reverentiæ secutæ sunt, sit probabilissimum & tutum, illud tamen quod sequimur est etiam probabile, & nunc quidem omninò expedit illud sequi-

Digitized by Google

ſtram, nihilominus in praxi quam legis præcones maximè curant, omninò ſequi oporteret.

Eadem itaque P. Adami quæ cæterorum Patrum Sinicorum convenientiſſima praxis. De quâ cum neſcio quid inaudiſſet P. Bartholomæus Roboredo Provinciæ Japonicæ procurator Macai, ſed audiiſſet eminùs adeòque & confuſum quid incertumque, pro libito deinde quædam fortè narraverit in Philippinis inſulis, uti non ſine temeritate, ita nec abſque fundamento aliquo, quod hic operæ pretium fuerit eruere, atque in lucem dare.

Antiquiores Sinicæ Miſſionis Patres nautarum propè ritu quoad cautionem prudentiamque ſpectat, diu inter Sinas vixere; nautæ ſi quando vaſtiora ignotaque navigant maria, non ea modò reformidant ac refugiunt, quæ præſens minantur exitium; rupes, ſyrtes, vortices & vada; ſed umbras ipſas, primaſque ſpecies periculorum perhorreſcunt, nihil non habent ſuſpectum, nihil non, quamvis tutum ſit timent; itaque ſi neceſſe eſt ſubire portum nuſquam anteà frequentatum, ſi applicare navem ignoto littori, ſi cum accolis congredi; quam lentè, quam pedetentim fiunt omnia? quantâ cum cautione & curâ ne dicam formidine ac trepidatione ſingula pertractantur? verum ſi navis gubernator poſt emenſa ſæpiùs eadem maria, poſt explorates accuratè ſinus ac portus, nihil de priſtinâ cautione & curâ remittere vedit: non ille profectò jam prudens & cautus, ſed omninò meticuloſus cenſebitur, atque

Digitized by Google

inutilis & inidoneus, qui ex navigatione quæstum petat. Sapiens nimirùm haberi debet, qui postquam varia cœpit experimenta, fidenter tandem tuta discernit ipse per se à periculosis, à noxiis salutaria, à nativâ verâque rerum formâ, species nescio quas rerum merasque umbras, (ne discedamus à nostro simili) laudem meretur navarchus ille qui doctus usu magistro novit, quo maris tractu colligenda vela, quonam explicanda sint, quas gentes ac plagas adire, quibus vitam merceſque credere; ubinam ingens lucrum, ubi modicum sperare liceat. Fortunata profectò societas, quæ iis commercii ducibus instructa sit: fortunatior verò si confectam ab ipsis accuratè tabulam præ manibus habeat in qua syrtes, brevia, aquarum vortices, præcipitia, necnon tranquilliores oræ, securaque emporia extent suis quæque distincta notis, ad planam & posteris in perpetuum profuturam cognitionem.

Porrò spiritalis ejusmodi tabula vastissimi oceani Sinici exoptatur, ex cujus inspectione compendiosior tutiorque mercatoribus Evangelicis inter tot errorum anfractus & abrupta navigatio pateat, ad expetitum animarum lucrum reportandum. Hanc primo statim ingressu majores nostri rudi delineatione adumbrarunt, aliquantò post inchoatam, & procedente tempore magis ac magis auctam illustrarunt. Nobis sin minus eam absolvere concessum est, in ipsius certè perfectionem in hoc nostro pro Christi fide perpesso successu, in carcere, una cum Vestris Reverentiis pro viri-

Digitized by Google

li incubuimus. Qui primi omnium adierunt hoc pelagus tot errorum caligine circumfusum, tot scopulis, syrtibus, prædonibus infame, & quoniam expers erat veræ fidei, verè infidum veréque naufragum; tenebantur utique non levi curâ & metu, quod suspicarentur omnia esse ubique insidiis & periculis pleniſſima: nec immeritò sanè; nam quibus illi, quæso, gentis Ethnicæ ignotæque moribus ac ritibus, velut à superstitione liberis siderent, sine notâ magnæ temeritatis? nova penè occurrebant omnia, à nostris consuetudinibus abhorrentia aut diversissima, & iis quæ inter nos nefanda sunt, simillima. Quis hæc igitur primo statim intuitu probet? quis sanæ mentis affirmet esse pura, integra Neophytis permittenda? quanquam quis rursus tam multa tam repentè damnet? prava omnia superstitiosa, prorsùs illicita pronuntiet? quid ergò facto est opus? quæ tenenda via? una scilicet quâ itur tutissimè quamque viri illi prudentissimi constanter tenent, media, inquam via; quidquid haud dubiè superstitione contaminatum est, haud dubiè illi damnant; severissiméque prohibent; quidquid superstitionem planè sapit, nequaquam permittunt aut tolerant, quod superstitionem dubitanter redolet, & quasi innuit, ab eo ut abstineatur, suadent; qui ultrò mox detestantur, istos collaudant, colunt, fovent; qui aliquatenùs tergiversantur, ægriúsque avelli se sinunt, illos vel patientiâ, mansuetudineque victos paulatim abducunt, vel ipso rationum pondere & ardore dicendi, quasi per vim, sed amicam,

Digitized by Google

abſterrent abſtrahuntque ; innoxias quaſdam formidines ac ſcrupulos majoris puritatis amore, ſilendo fovere malunt, quam intempeſtivè aperiendo cum tenuiſſimo aliquo laxioris ſub initium diſciplinæ periculo excutere ; niſi fortè aliud jubeat vehemens ingruentis adverſus divinam legem procellæ timor ; ſanctæ legis terſiſſimo nitori potiuſquam propagationi ; enixiùs Neophytorum conſervationi ac perfectioni quam numero frequentiæque ſtudent ; plurimarum animarum lucra ſibi ad aliquot annos elabi patiuntur, non ſine magno doloris ſenſu, ut minorem hanc jacturam, maximo poſteà fœnore compenſent.

Ac de iis forſan primordiis inaudiſſet P. Roboredo à Patribus Sinicis non permitti cultum mortuis per oblationes eduliorum exhibitum ; de quo nempè omittendo paulò acriùs Patres tunc apud Neophytos inſtabant, cùm etiamnum ſubtimerent, ne ex aliquo communi cum aliis gentibus errore Sinica hæc conſuetudo oriretur ; verùm progreſſu temporis ac notitiæ rerum Sinicarum, metum hunc, alióſque multos depoſuerunt ; atque ubi mundum ac patentius nacti ſunt æquor per illud liberiùs excurrere cœperunt, ubi larvas pro hydris ſibi objectas detexerunt ; tum eas deridere, detrahere, & ex ſuo itinerario velut nociva terriculamenta expungere ; ſuperſtitiones omnes tanquam execranda portenta, aut præcipitia atro colore in tabulâ depingunt ad horrorem, lubricos ad proprium, vel alienum delictum incurrendum tractus, rubeo colore exhibent ad cautelam ; cujus hic proventus

Digitized by Google

ſpes, cujus illic damni juſtus timor oſtendatur, idoneis aſteriſcis notant.

Jamque deſcriptio eo perducta fuerat, ut de illâ lynceis Romanorum oculis ad accuratius examen & approbationem ſubjiciendâ cogitarent; cùm ecce tibi ex improviſo reſolutiones ſacræ Congregationis decreto Pontificio Innocentii X. firmatæ prodeunt. Patres Societatis titulum utcumque mirantur, perlegunt quæſita, quorum nonnullis principio quidem perſtringi ſe vident, ſed illicò diſpelluntur nubila, ac repentino motui ſubindignantis animi, (qui protinùs remiſit) ſucceſſit alter miſerantis eos, qui propter minorem rerum Sinicarum peritiam, tantum opera fruſtrà conſumpſiſſent. Quanquam expenſis Pontificiorum Doctorum ſapientiſſimis reſponſis; & cum tabellâ noſtrâ collatis, non planè caſſus viſus eſt labor, ut potè qui reſponſiones tabulæ noſtræ confirmandæ atque illuminandæ tam accommodatas elicuiſſet. Sacra Congregatio repudiat ſimulatas Idolorum adorationes, prætextu Crucis inter manus aut flores deliteſcentis, ſacrificia, imò & veneraciones religioſas delatas tabellæ aut ſtatuæ Confucii, vel majorum in altari vero ac proprio, preces item ſeu pro mortuis in infidelitate, ſeu ad defunctos parentes fuſas, Idolothytorum pariter comeſtionem, aliáque id genus religionis propudia reſpuit. Quam bellè hæc cum noſtrâ quadrabant tabellâ! in quâ nempè eadem omnia nigro ſimiliter lapillo notata inveniebantur.

Non inficior tamen emendanda fuiſſe nonnulla

Digitized by Google

hullâ, sed feliciter, & ad majorem tabellæ nostræ splendorem appositè; subnigri & subrubei colores variis in partibus fuere diluendi; ut ampliorem licentiam ab indubitatis Doctoribus factam, nostras laxando angustias, repræsentarent. Nam ad quæsitum decimum quintum *censuerunt exclusis sacrificiis & altari verè ac propriè dicto, quæ redolent tantummodò cultum civilem, aut possunt ad illum reduci, permitti posse.* Ad quæstionem decimam quartam de voce, *xim*, Confucio tributa. *Censuerunt, si vox illa in Regno Sinarum habet latitudinem, posse ministros eâ uti; si verò restringitur, ad significandam vetani ac propriam sanctitatem, nullatenus posse.* Ad quæsitum sextum *censuerunt Christianos Sinenses posse pecunias contribuere, dummodò per ejusmodi contributiones non intendant ad actus Idololatricos & superstitiosos concurrere, suppositâ causâ quæ narratur in dubiis; præsertim præmissâ, si commodè fieri potest, protestatione, quod imposita tributa præstent in ordine tantùm ad populi lætitiam & actus indifferentes, vel saltem cultui Religionis Christianæ non repugnantes.*

Quare alienis partam laboribus quietem hîc indefesso animo jam tunc carpere posse videbamur; nisi inter legendum Pontificium diploma, hæc sub finem clausula occurrisset: *donec sanctitas sua vel Sedes Apostolica aliud ordinaverit.*

Hæc verba non sinunt animos penitùs conquiescere, quos futurâ expectatione suspensos tenent; subdubitantis ista sunt, ac subodorantis quidpiam, quod inter quæsita lateat, vixque credentis Sinas acutissimi ingenii & politioris litteraturæ famâ percelebres, tam

Digitized by Google

crassis ac turpibus erroribus immersos volutari: penitiorem itaque veritatem etiamnum indagabat sanctissimus Pater, optabat plenissimam informationem; uti non deinceps ad tempus sed in perpetuum decerneret.

Praxis Societatis est ex peculiari erga Sanctam Sedem veneratione & observantiâ, ut non illius modò imperiis, sed etiam votis obtemperet, ac tacita ipsa invitamenta pro jussis habeat. Expeditissimi igitur adsunt Patres Sinici & quod per se se, in tantâ operariorum penuriâ ac regionum distantiâ nequeunt omnes, id delecti Patris Martinii ope, unanimi consensu præstare satagunt: quare nullâ interpositâ morâ, navim Martinius conscendit, ac superatis insidiarum, tempestatum, carceris, lethiferi morbi difficultatibus, denique longissimum iter, (quod Anglorum atque Hollandorum arma, propè jam intercluserant, certè quidem infestum reddiderant) emensus in Norvegiam appellit; deindè citatis cursoribus, Romam properat: promptissimâ ad levissimum quemque nutum obedientiâ lætantur purpurati Patres; de Sinicis tam exactè verbo ac scripto differentem! privatim ac publicè audiunt: descriptam ad securitatem spiritalis navigationis tabulam inspiciunt, metiuntur, explorant. Adstat, spectat, audit ipse sanctissimus Pater; tum nobili Missionariorum manipulo stipatum Martinium, Apostolica benedictione lætum ac suffultum dimittit.

Nec multo post ab ipsomet cum sacræ Congregationis proceribus corroborata munitâque

Digitized by Google

per approbationem tabulâ abeuntem eminùs, quasi regio divinóque munere prosequitur. Mirâ celeritate reducem gratulabundi complectuntur socii : nec pauci è Vestris Patribus litteris amanter & officiosè scriptis ei gratulantur. Comminatorium decretum obsequentissimi filii non postulant ; neque ullâ fuit opus interrogatoriâ, suspensoriâque clausulâ ; cùm post auditam utramque partem nullus ampliùs dubitandi ac percunctandi locus relinquatur.

Nos verò, Reverende Pater, adulterina instituta & imaginarias consuetudines quas China ignoravit, ignorantia verò quorumdam hominum ei affinxit, ab incorruptis, legitimis ac verè usitatis distinguamus : priora cum Innocentio conjunctis animis ac viribus insectemur : posteriora pro agnitâ ipsorum diversitate, vel laudemus, vel aliquandiù tolerando perpurgemus & expoliamus, donec ad Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, etiam ut particularis est, amussim penitùs exacta perfectissima evadant : expertem erroris tabulam prehendamus ; non quæ navigantibus inter infidelitatis procellas Neophytis promiscuè præbeatur, ne ea forsan nonnulli ad animarum suarum naufragium abutantur ; sed quâ periti Nautæ instructi, tutò & prudenter suis temporibus ac locis plurimos ad expetitum salutis portum perducant.

Hæc itaque constans est Societatis praxis inter Sinas, hæc sacræ quam conscribit militiæ lex. Quisquis Christo nomen dare voluerit, à divinis Ecclesiasticisque præceptis & communibus Ecclesiæ consuetudinibus ne latum

Digitized by Google

quidem unguem discedat ; superstitionibus in primis omnibus implacabile bellum indicat ; quidquid superstitionem redolet, sibi non licitum sciat ; peccati tum proprii cum alieni occasionem proximam horreat, remotam quoque, si vitari potest, fugiat ; si offertur quidpiam cum suspicione quamvis levi superstitionis conjunctum, vel ejusmodi quod aliis offendiculo possit esse, declaret illicò mentem suam, sanámque fidem prorsùs intrepidè quovis loco & tempore profiteatur ; ubi dubia res est, Magistrum consulat, nec ullo pacto sequatur eam partem aut sententiam quæ vel leviſſimam illatura labem etiam titubanti videatur ; ad perfectiora sic anhelet, ut ipsorum consiliorum observationem non omittat ; quo ad cujusque Indoles, ætas, conditio ferunt.

Propiùs ad rem nostram atque ad particularia descendere juvat : Idola si quis habet in sua potestate, ferro, flammisque deleat ; quantum vis pretiosa alteri neutiquam dono det aut divendat, nulla quorumvis hominum, spirituumve simulachra, imagines, insignia vel domi omninò servet, vel foris ullo venerationis signo prosequatur, quibus à plerisque numinis aliquid adscribi perhibetur, etiamsi reverâ ascribatur ex peregrino plebeióve errore, quem sapientes quique respuant ac damnent. Erga insignes dum viverent, virtute, sapientiâ, militaris vel alterius artis laude viros ; erga familiarum conditores ac Principes ; deque familiis ipsis, aut republicâ optimè meritos, ita se civiliter gratum exhibere liceat, pro gentis externo probatóque

Digitized by Google

ritu, ut nullâ prorsùs ratione quidpiam ab ipsis flagitare, vel sperare ausit, nullum à parentibus in infidelitate defunctis subveniendi remedium vanâ spe, delusus exquirat; in Christianorum funeribus nihil prorsùs peregrinæ superstitionis admisceatur; de avitâ verò religione nihil toleretur, nisi quod cum Christianâ religione, ipsiusque consuetudinibus non pugnat; Ethnicorum funeribus sic interfit, ut si quæ in iis superstitiosa vel absona gerantur, ne dissimulando quidem iis aliquid opis aut consensus præbere videatur. Ad papyracei illius seu honoris, seu subsidii ineptias à quibus nemo ferè Sinarum sibi temperat, (quamvis multi non tam superstitionis gratiâ id faciant; quam ne avaritiæ neglective officii notentur) ad ineptias inquam ejusmodi nemo de Neophytis neque comburendo, vel offerendo papyrum, nec item vendendo, emendo vel conficiendo quidquam planè conferat. A solemnioribus Confucii oblationibus abstineat neque hic amicis, quamvis blandè, quamvis importunè aut etiam minaciter instantibus priùs morem gerat quam magistrum suum vitæque jam Christianæ Ducem consuluerit; stipem pro se emendicantes Bonzios, aliò ableget; eos qui fano restaurando nummos corrogant, qui colligunt Symbolum festæ cuipiam celebritati non sine multa superstitione transigendæ, constanter respuat; Cives vicinos, ipsósque adeò Domesticos, abs se alienos esse malit, quam quod alienum est à puritate fidei committere; superstitioso animo suscepta jejunia abrumpat; Auguria ex avium volatu & can-

Digitized by Google

tu, ex piſcium notatu, quadrupedum inceſſu, propriis aut alienis ſomniis nullatenùs captet; futuros rerum ſucceſſus ex contemplatione ſyderum; oris item manuúmve inſpectione, aut ex aliis nugis ac quiſquiliis paſſim venalibus haud quaquam exquirat; innumeras hujuſmodi inſanas, ſed patrias obſervationes ab amicis mirificè collaudatas & importunè obtruſas repudiet; neque ullam ipſis fidem habeat, quibus anteà perditè amatis ſummoperè fidebat. Si quando urgentior aliqua in his legibus diſpenſandi occaſio ſe obtulerit, penes integerrimos exercitatiſſimoſque ſacræ militiæ Præfectos judicium eſt.

Pluribus ad primum mandatum ſpectantibus tædii vitandi causâ ſuperſedeo; nec ad reliquorum præceptorum anguſtias oſtentandas accedo. Sed obſecro, hæccine eſt patentior porta? hæc laxior via, ingreſſu, inceſſuque, ethnicis facillima? judicent per me licet, quotquot Sinas norunt, ſuorum heroüm avorum, Magiſtrorum laudis tumidos buccinatores, ſuarum conſuetudinum quas præſertim pietatem erga mortuos ſapere putant, tenaciſſimos obſervatores, alienárum ſuperbos contemptores, amoris ac nominis inter ſuos conſequendi cupidiſſimos, à quâlibet inurbanitatis & inconſtantiæ ſpe ſupra modum averſos, litigioſæ conſentionis præcipuè cum Bonziis ac plebe, ſeu ex deſpectu, ſeu ex veneratione inimiciſſimos, futurarum rerum per arcanas artes anticipatâ notitiâ aſſequendarum curioſâ prurigine laborantes; ſuperſtitioſis obſervationibus non minùs deditos

Digitized by Google

quam credulos. Quam multa hujuſmodi hominibus admodum dura devoranda ſunt, ut poſitæ ſupra legis jugo cervices humeroſque ſupponant?

Ac ſi quid nobis verendum eſſet, iſtud verò, maximè quod nonnullis fortè arctior anguſtiorque callis iſte noſter videatur, quam Chriſtus ipſe præmonſtrarit; cùm Romanæ Theologiæ indulgentia non parum de tanto rigore relaxarit. Huic porro nos venerabundi obſequimur, dùm hinc quod per ipſam licet, ſuo tempore & graviſſimâ de causâ iis annuimus, quibus, Sine publico, vel privato diſpendio non denegaretur: cœteros verò continemus limitibus ejuſmodi qui conducant quidem ad illuſtriorem divinæ legis famam & ad majorem Neophytorum firmitatem ac perfectionem: verumtamen ſic conducant, ut ipſis quoque ethnicis, quamvis infirmis, dummodò protervi non ſint ac pervicaces, aditum ſatis facilem laxumque præbeant. Juxta Zachariæ Pontificis reſponſum ad Bonifacium, Chriſtianis interdictum volumus ſuperſtitioſis feſtivitatibus, auguriis, obſervationibus ex errore gentili; tametſi Chriſtiana res in eo nondum hic ſtatu ſit, quo tunc erat in Germaniâ, ubi legati Pontificii nomen & authoritas apud principes plurimum valebat. Juxta Gregorii magni præſcriptum ad Auguſtinum Angliæ Apoſtolum, particulares Romanæ Eccleſiæ conſuetudines præcipitanter inferre non attentamus, ne imprudenti ac præcoci illius quod minimè opus eſt intrudendi conatu, illorum ipſorum quæ neceſſaria plane ſunt

Digitized by Google

inducendorum facultate ſpoliemur : præ-teritorum diſcriminum experimento ſapere nitimur, ſed ad ſobrietatem.

Gregorii magni doctrina eadem prorſus, quæ Auguſtini hipponenſis epiſt. 118. cap. 3. ubi Eccleſiæ mores in tres velut claſſes diſtribuit. Prima eſt eorum *quæ divina ſcriptura preſcribit authoritas*; de quibus ait *non eſſe dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus* 2. eorum *quæ toto orbe ſervat Eccleſia de quibus*, inquit, *diſputare, quin ita faciendum ſit inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*, 3. demum *illorum quæ per loca & regiones variantur*, de quibus docet *in una quaque provincia ſervandum eſſe, quod neque contra fidem, neque bonos mores fieri ſolet.*

Ad rem noſtram propiùs expreſſiusque idem Auguſt. iſta Evangelſtæ verba, *ſicut mos eſt judæis ſepelire*, ſic exponit, *admonuit Evangeliſta in ejuſmodi officiis quæ mortuis exhibentur morem cujuſque gentis eſſe ſervandum.* Non nos latebat à V. P. citatum Concilii Baſileenſis ſeverum edictum in *eos qui mortuos more judæorum ſepeliant, aut ſabbata & alias ſolemnitates ex antiquæ legis ritu quomodocumque obſervent.* Ab illius tamen publicatione abſtinuimus; veriti ne judaïcarum Cærimoniarum ignaros Sinas propè omnes, prohibendo doceremus, & illas forſan arcendi pernicioſo ſtudio intromitteremus. Neque metuimus ne dum Hiſpanienſis Eccleſiæ ritum honorandi mortuos appoſito cibo & potu in Sinis toleramus, V. P. aut nos aut illos arguat quaſi minus obſequentes eidem Baſileenſi mandati, ut ſe *chriſtianorum ritibus conformes reddant*, ſi quidem

Digitized by Google

quidem Christi lex Judaicas cærimonias sic abolevit, ut tamen hanc ipsam erga mortuos pietatem velut à Christianis institutis alienam non proscripserit : quippequam à seniore Tobia commendatam sancta Monica mediolani retinere tentabat, teste August. lib. 6. Confess. non ex teneriori ac muliebri erga sanctos Martyres sensu, sed tanquam robustæ virilisque pietatis officium, in ecclesiis Africanis tanti factum, ut multis post annis 4. Concilii Carthaginiensis Patres c. 95. populum sub anathematis interminatione ad illud compellere non dubitarint. Atque id ipsum in Ecclesia Romana aliquandiu observatum fuisse ex Epistola Paulini ad Alesium apparet. Quin etiam August. ad vestigia Ambrosii hac in re terenda Africanos Antistites sic impulit, ut comessationem potius optaret auferri, quam epularum oblationem, cui in pauperum usus cautum semper voluit uti refert Baron. ad annum 397.

Nos itaque vel imitabimur Augustinum atque expositа coram mortuis fercula in pauperum usum transferemus, vel certè Ambrosium secuti, ex præsenti Ecclesiæ Romanæ usu, penitùs adimemus. Interim pronunciatum ex Petri Cathedra à D. Gregorio oraculum excipimus. *Suaviter & prudenter subinsinuare non violenter abrumpere, Apostolici muneris est.* Subscribit Panormitanus in caput *licet Græcos, de baptismo & eff. debet venientes noviter ad fidem tolerare in moribus & ritibus eorum antiquis.* Sinarum indolem diù pertentavimus, ac ferè omnes de illorum esse numero comperimus quo-

Digitized by Google

rum meminit D. Tho. 2. 2. q. 95. art. 7. qui ita comparati sunt à natura ut cum de spiritalibus agitur emolumentis, amore potius quam metu ducantur; mitioribus apud ipsos fomentis amplius quam ferro & igne ad morborum animæ curationem proficias, multò citiùs incensum perfectionis desiderium illorum animis blandè pelliciendo & titillando inspires atque inflammes, quam firmum salutis propositum per vim ingeras. Minaris, immoti stupent vel hærent, atque utinam non acciderit aliquando, ut importunâ cujuspiam severitate ceu gelu quodam spiritali concretus, pristinus quoque teneriorum fervor repente extinctus fuerit: blandius comiterque suades? suadentem ipsi comiter ac studiosè viciſſim audiunt: molliusculâ cohortatione, seu mitiori quâdam aurâ demulces animos eorum ac perflas? incalescunt, ignem concipiunt, & ita quandoque exardescunt, ut nonnulli (ô insperatum gratiæ in Sinicâ gente miraculum!) partim ad virginalis, partim ad conjugalis ex mutuo consensu castitatis petpetuæ votum nuncupandum & inviolabiliter servandum perducti sint.

Atque his quidem causis, nos per aliquot annos abstinuimus à strictâ positivi juris obligatione denuntiandâ, nusquam tamen ab ipsius observatione amanter exigendâ nos continuimus, memores illius quod ex Gregorio magno refertur in can. *si illud* dist. 45. *Rectorem subditis pietas matrem, disciplina verò Patrem exhibeat, per monitiones non per minas.* Neque verò suus deest amanti timor, qui

Digitized by Google

potentiores aculeos nonnumquam exerat & infigat. Præceptorum obſervationi aſſuetis, de ipſorum obedientia quodammodo ſecuri, ſine perturbationis metu poſt modum imperavimus, ſicque mandata, quæ priùs horrorem trepidis ac tyronibus incuſſiſſent, diu jam multumque exercitatis ac veteranis non abſimiles dilectione ſimul ac gaudio compleverunt.

Unum deeſſe videtur, quo Veſtræ Paternitatis zelo cumulatè ſatisfiat, ut nempe Ezechiæ Regis exemplum ſecuti, Sinarum excelſa omnia deſtruamus, & ſtatuas confringamus. hoc opinor nomine comprehenſa nolit Veſtra Paternitas Gentilium ſepulchra, quorum demolitio cum tamen eſſent diis manibus dicata (teſte Baron ad an.....) tot Chriſtianorum Imperatorum ſanctionibus poſt adultam Eccleſiam vetita fuit. Utinam regia Ezechiæ poteſtate inter Sinas ad tam illuſtre facinus jam nunc patrandum polleremus. Verum ſub infidelium jugo gementibus, zelo moderandum eſſe docet Concilium Eliberinum can. 60. *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quia in Evangelio non eſt ſcriptum nec ab Apoſtolis invenitur factum, placuit in numerum non recipi martyrum.*

At quod invitis Dominis exequi, temeritate vulgo non vacaret, à volentibus non minus gloriosè evincitur. Famoſior eſt inter Neophytos Provinciæ *Fo Kien* mons *Vy*, quam ut Veſtram Paternitatem non procul inde commorantem fugerit ſtrenuum ac fortunatiſſimum Patris Simonis Dacunha facinus, dum inibi celebra-

Digitized by Google

ta populorum concursu ac donis idola in cineres redegit. Dæmoniorum delubrum in Dei vivi templum; execrandorum sacrorum Antistitem ac luci Dominum cum suis assectis in sacræ ædis custodes ac præpotentis numinis cultores & præcones convertit.

Minor aliquantò mihi (ut de cæteris taceam) nec tamen omninò contemnenda fœlicitas è cœlo obvenit in notissimo illo emporiolo *de Kia çun* dicto. Statio est ad radices præcipitantium per 30. leucas inter saxa aquarum Provinciæ *Kiam sy*, viatoribus ac Nautis, commodissima ad respirandum tantisper, & colligendos animos, vel à metu, dum prono alveo ruunt, vel adversus metum dum contra vim torrentium subeundo nituntur: fluminis altiorem ripam sacrificuli, cum proceris admodum idolis occupabant in fano, quod ipsum post acceptum deinde pretium omnes cessere uni legitimo Domino Christo. Cujus imago de multiplici infernalis hostis simulacro, plaudentibus ipsis Ethnicis & ad adorandum confluentibus triumphavit. Debita utrobique expiatio non defuit, ex antiquo Ecclesiæ ritu, cujus hodieque testis est locuples in primis rotunda urbis basilica, quam ex impuro dæmoniorum propè omnium stabulo Bonifacius I V. in Augustam & sacrosanctam Martyrum sedem, non aliter quam ritè consecrando commutavit. Porrò cum Baronius de hæc ipsa commutatione haud minùs copiosè quam eruditè differat, maximè quidem ad ann. 44. juvat hic attexere nonnulla ex ejusdem epitome num. 36. deprompta *aliunde*

Digitized by Google

nullum est dubium ecclesiæ licuisse, quæ apud gentes superstitioso cultu agerentur, eadem expiata sacro ritu ad pietatem transferre; ut majori diaboli contumeliâ quibus ipse coli voluerat, Christus ab omnibus honoretur. Sic enim & Gentilium ferias superstitionibus cumulatas in festa & celebritates martyrum laudabiliter esse conversas, & idolorum templa in ecclesias sanctorum commutatas Theodoretus docet, illudque ipsum suos docuisse Neocæsarienses Gregorium Thaumaturgum testatur in ejus vita Gregorius Nyssenus quemadmodum & Paulus Apostolus superstitionis aram ignoto Deo dicatam Athenis, in verum Dei cultum (quantum licuit eo tempore) mirâ industriâ transtulisse legitur.

Sed quid ego pluribus hæc persequar coram V. P. quæ tam multa huic doctrinæ confirmandæ aptissima congessit, in suâ illâ eruditâ lucubratione, de retinendâ, pilei ad honorem exibendum gestandi, Sinica consuetudine. Unum itaque notari hic velim, nempe si post expiationem fas est ædificia Dæmonibus dicata, & externas actiones cumulatas superstitionibus & inquinatissimas ad sacrum cultum traducere; quanto facilius, aut etiam æquius permittetur Neophytis mores quosdam & monumenta colere majorum suorum, obire item prisca pietatis officia, præsertim si ea non jam civili tantum, sed etiam Christiano ritu animoque peragantur.

Quæ cum ita sint Concilia Conciliis, Pontifices pontificibus, Patres patribus sociemus, non opponamus. Corruptorum aut personatorum Sinarum mores Innocentius condemnat, integris ac genuinis, paterna suavitate

Digitized by Google

Alexander ad blanditur ; utrorumque diversa ratio diversam utriusque Pontificis definitionem postulabat, sed quæ in idem conspirando, in unum quodammodo coalescat : posterior priorem potiùs exponere, quam revocare censenda est ; inchoatam ac suspensam ab Innocentio sententiam Alexander, re denuo expensâ absolvit & appendit.

Sic nos Reverende Pater Hieronymo Augustinoque fortunatiores videri possumus, quibus non modò de veritate explorata satis exclamare cum Hieronymo liceat. *Tu vicisti, ego quoque vici.* Verùm etiam de charitatis triumpho exultantibus addere fas sit, omnes ad opima animorum spolia reportanda, tuto & amicè convenimus. Perpetuæ concordiæ fide-jussorem opportunissimum se offert gentium Apostolus ad Thess. cap. 50. hæc illius seu præceptio, seu cohortatio, ipsissima est Sinicorum Missionariorum Societatis Jesu integerrima & constantissima Praxis.

Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos. Per annos ferme 80. diu ac noctu nec laboribus nec vigiliis parcendo desudavit Societas lectione, scriptione, familiaribus colloquiis, privatis publicisque congressibus ac disputationibus, in ipso quandoque optimatum consessu habitis *omnia probavit.* Vos dilectissimi in Christo filii Neophyti Sinæ, *quod bonum est tenete.* Miores vestri verbis ac scriptis contestatum vobis reliquerunt summam venerationem debitam supremo Imperatori, cœli terræque Domino ac moderatori, rerum omnium origini, principio ac radici,

Digitized by Google

animarum vestrarum procreatori, vitæ ac necis sapientissimo æquissimoque arbitro; qui animas è cœlesti patriâ ad tempus emisit, ut brevi ipsas ad eandem divino sui consortio fruituras revocet. Vigilantissimos atque erga hominum genus beneficentissimos supremi illius Imperatoris administros spiritus religiosè colendos esse ab iisdem vestris proavis accepistis. *Quod bonum est tenete* in ipso incognito vobis orbe celebratur insignis Sinarum pietas & gratitudo erga parentes, consanguineos, amicos, ac nominatim erga animorum cultores, & quasi alteros parentes, bene scilicet sentiendi vivendique magistros, eoque magis hæc enitet pietas, quod ad plura post mortem sæcula protenditur, & in eos fertur impensiùs, à quibus nihil quæstûs per adulationem, aut sincera obsequia speretur: *quod bonum est tenete.* Si quam ex heroicæ quasi temperantiæ præscripto severiorem abstinentiam; si quod liberalitatis, misericordiæ, modestiæ studium opusque, ex rectæ rationis impulsu amplexi estis. *Quod bonum est tenete.* Verùm universa tam idola, quam quidquid affinitatem aliquam & similitudinem cum idolis habet, procul à vobis eliminate: quidquid in religioso superum cultu, quidquid in pietatis ac reliquarum virtutum moralium exercitatione à rectissimo Christianæ legis tramite deerrat, aut etiam deflectere simplicioribus ipsis non immeritò videtur, ipsi quoque improbate atque abjudicate, ab eo vos diligentissimè cavete utpote quod vel mali essentiam speciemque intrinsecam habeat vel externam mali notam

Digitized by Google

inducat, cum tamen hæc utraque nomine ſpeciei malæ, quæ vobis exoſa eſſe debet, comprehendatur. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.*

Non dubito quin hæc juris Apoſtolici regula V. P. vehementer arrideat, ac velut arcta via, anguſtiorque porta Chriſto acceptiſſima probetur, eoque ampliùs, quod non tantum à malo; ſed ab omni ſpecie mali perpurgata, nos ſimul cum Neophytis nitidiſſimos in beati illius regni poſſeſſionem immittat, in quod nihil coinquinatum introibit. Eandem RR. PP. Sacri Ordinis mentem eſſe mihi certè perſuadent, tum lectæ nonnullorum ex ipſis litteræ, tum ſpectatiſſima omnium charitas, prudentia ac pietas, tum maximè Reverendiſſimi Patris Generalis nullis ſatis efferendus, nedum compenſandus præconiis profuſus in minimam hanc noſtram ſocietatem amor. Neque huic ſacræ utriuſque Ordinis conſenſioni obſtet vetuſta illa ſed jam obſoleta aliquorum opinatio, orta ex aliquot de Sinica fæce transfugarum improbâ & mendaci garrulitate, quâ quidem opinione non mitamur imbutos fuiſſe piiſſimos quoſdam viros, & primo ſuo in has terras ingreſſu ſibi aliquatenùs illudi & imponi ſiviſſe; cum ab idoneo ſermonis Sinici ac litterarum præſidio imparati veniſſent. Exteris tincto coloribus oculos Sinicas res contemplati, principum, parentum, magiſtrorum ſtatuas, cum apparatu ipſis inſolito extantes, pro *Idolis*; merè honorificas aulas, pro *templis*, pias oblationes, pro *ſacrificiis*; offerenda animalia, pro *hoſtiis*, ſolidas fixaſque moles,

Digitized by Google

moles, pro *altaribus*, magistratuum ac litteratorum variegatas togas, aut propriis insignibus adornatas, pro *casulis* ac *dalmaticis* ipsosque magistratus ac litteratos, pro *sacerdotibus* ac *diaconis* panegyricas orationes præsertim funebres, pro *precibus*, quaslibet incensiones honorificas odorum ac cereorum pro *sacris thurificationibus*; demissiores corporis inclinationes ac prostrationes, pro *latricis adorationibus* ac demum obvia quæque sibi inusitata, pro *superstitiosis* habuerunt. Quis è Manillensium Sinarum cæno emergentibus, & ad oram maritimam linguæ barbariè dicam an corruptelâ infamem appellentibus alienigenis ista non condonet? Si paulò diutiùs hic subsistere per magistratus licuisset; Europæis coloribus paulatim detersis, actionum non secùs ac vocum ex gentis usu propriam & exteris sub initium abditam significandi vim in meliorem haud dubiè lucem eduxissent, atque idem nobiscum jampridem sensistent, uti multos postmodum ex eodem sacro ordine peritiores sensisse constat ex variis ipsorum epistolis quas ego cum suavissimo caritatis sensu perlegi. Nobis tandem aliquando unâ cum V. P. indefessa librorum pervolutatione celeberrima cujuslibet ordinis ac religionis litteratorum consuetudine concessum est rerum penetralia ingredi, & minutissima quæque rimando dignoscere; peregrinos mores à patriis, privatorum quorumdam abusus à sanis & communibus institutis, in publica potioris saltem partis professione etiamnum perstantibus discernere. Scimus quæ voces in voca-

Digitized by Google

bulariis Europæo-Sinicis ſtrictius uſurpatæ ſint quæ verò latiùs, defectu proprii vocabuli Sinico reſpondentis in rebus, vel ſupra Sinarum captum poſitis, vel procul à noſtro loquendi modo diſſitis : quænam item in libris aut vulgari locutione Sinicâ proprie, quænam metaphoricè aut figurativè, quænam ex priſcâ & à ſapientibus nuſquam derelictâ inſtitutione, quænam ex atheorum corruptelâ ſignificent ; quid interſit inter *çam çam tien*, cæruleum ſeu aſpectabile cælum, & *hâm tien kam ty*. Regale atque inviſibile cœlum, ipſius corporei cœli ac terræ ſupremum Imperatorem, inter verum proprie dictum & antiquis notum atque inter metaphoricum à novatoribus excogitatum *chu çay* Dominum ac moderatorem κατεξοχήν quid propriè dicti ſpiritus quibus piè ac religiosè offertur *çi xin* differant à metaphoricè ſumptis ſpiritibus, tenuiſſimis videlicet magnæ activitatis corporibus, meris *çin xin* ; quantum *xien xin* moderni ſpiritus aſcititia commentitiaque divinitate ſuperbi, diſtent à nobiliſſimis intelligentiis, quibus tanquam obſequentiſſimorum ſupremi Imperatoris præfectorum dignitate ac poteſtate inſtructis, Sinæ ſtatim à principio honorem detulerunt & ipſa poſtmodum templa in ſingulis urbibus poſuere. Novimus quo loco *xim* & *lim* (ſpiritalis & intelligentis animæ nomina) animæ præſentis ſubſtantiam, ubinam vero memoriam duntaxat ac repræſentationem denotent in quo *tò çy* honorifica aut pia ex genere ſuo oblatio ab *Kiao* & *Kiao xe* ordinariis ſacrificiis,

Digitized by Google

atque à *luy* extraordinariis sacrificiis, necnon à *chay* holocausto discrepet quid *lem* & *hysem* animal integrum (inter piæ oblationis munera præcipuum & caput) ac victima latè sumpta, differat ab hostia seu strictæ significationis victimâ quem conceptum Sinarum mentibus ingenerent voces *miao* & *çû* secundum præsentem acceptionem seorsim item & cum aliquo adjuncto usurpatæ ; quam longe *tò xim* Sinicum distet ab nota Europæis sanctitate sive illud sapientiam sive sanctitatem latinè reddamus tandem quid discriminis inter *luy* seu *cho ven* panegyrim Confucio cæterisque insignioribus defunctis honoris causa oblatam & *Kim*, seu preces obtinendi spe fusas intercedat.

Ab his tricis & ambagibus expediti dum in offenso pede per arctam mandatorum viam, & ipsi currimus & Neophitos deducimus, in numeros quæque, ut spero, Ethnicos præsertim verò litteratos qui tantum afferunt momenti ad rem Christianam vel inter turbandam vel promovendam ac stabiliendam minime reluctantes pertrahemus. Doleo quod V. P. tribunali examinandos ac probandos non se stiterint octo vel decem ex iis qui ad magistrorum conspectum tum amanter, & ad divinum epulum tum religiosè anhelantes nobis in itinere obviam prodierunt ; non dubito quin & sermonibus ipsorum spirantibus Christianam pietatem & totius corporis habitu animique sensu ad modestiam, pietatem ac zelum animarum mirè compositis, victus captusque statim exclamasset, ô intoleranda

Digitized by Google

illorum loquendi licentia qui adeò imprudenter aut male volè Christianorum litteratorum Sinensium famæ coram me obtrectando insidiati fuerant quasi in tanta illorum multitudine, vix quinque sexve sincerâ ac solidâ fide instructi reperirentur. Cum multis enim verò Reverende Pater, cum multis etiam litteratorum & cùm ingenti atque optima præda sathanæ manibus extortâ per angustam portam, Christo sponsore, duce, opitulatore, ac renumeratore in amplissimi Regni possessionem triumphantes invehemur.

Hanc dissertationem concludere liceat verbis Gregorii Theologi orat. 32. *Nos pro Christo bellum gerere hoc argumento planum facimus, quod secundum Christum qui mitis ac pacatus est, atque infirmitates nostras portavit dimicamus: nam nec in veræ doctrinæ detrimentum pati studemus, & nonnihil de animorum contentione remittentes, ut facilitatis & mansuetudinis famam colligamus (non enim quod bonum est, malè aucupamur)* & rursum *pacem colimus legitimè pugnantes, atque intra limites nostros spirituque regulam nosmet continentes* hactenus Nazianzenus.

Ego verò de me profiteor id me semper in animo habuisse ut V. P. pacis studio propositas dubitationes pro meâ tenuitate solverem, si quid forte peccavit mea disputantis, vel properatio, vel fervor, vel etiam ignorantia; id ipsi disputantis animo, qui certè optimus fuit, condones velim, neque dubiæ lubricæque voces reverentiam & charitatem rebus factisque testatam & porro testandam revocare in dubium possint.

Digitized by Google

Universa interim sanctæ matris Ecclesiæ censura & doctiorum judiciis castiganda hoc libentiùs permitto, quod ab homine Europæis libris ipsaque D. Thom. summa destituto (eò nos inopiæ persecutio redegit) ex recordatione rerum quas ante annos circiter viginti tractaveram, quasi tenuissimæ quædam & prope jam emortuæ præteritorum temporum reliquiæ prodierunt. Cantone anno 1669. mense Julio.

Jacobus le Favre Societatis
JESU.

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM

Quæ continentur in Tractatu R. P. Le Favre, de cultu Confucii ac Mortuorum.

A

Abstinentia oblationi prævia. pag. 326.
Altaris in modum mensa posita. p. 296.
Animæ immortalitas p. 152.
Atheï. Litterati posteriorum temporum quo pacto sint Atheï. p. 95.
Unde orta sit dubitatio de priscorum Sinarum Atheïsmo. p. 98.
Aulæ avorum. p. 290.
Aula Confucii. p. 372.

C.

Candelarum usus ad honorem. p. 201
Confucius. à Sinis non habetur numen, nec illi offeruntur sacrificia. p. 3. 18.
De ejus cultu. p. 352.
Periculosè fingitur pro numine haberi. p. 353.
Fundamentum oppositorum ex cultûs majestate. p. 355.

Digitized by Google

Ex ipsa Confuciani cultûs natura & origine illius integritas probatur. p. 358.
Objectum seu ratio formalis Confucii colendi. p. 362.
De voce xim *quæ Confucio tribuitur.* p. 364.
De ministris in cultu Confucii. p. 369.
De rebus Confucio oblatis. p. 370.
De aula Confucii. p. 372.
De Tabella & statua Confucii. p. 378.
Argumentum ex Confucii Panegyribus. p. 385.
De delectu animalis offerendi & illius partibus. p. 390.
Oblata Confucio vocari nequeunt Idolothyta, nec Confucius ipse Idolum. p. 396.
Nullatenus permittuntur preces fundendæ Confucio. p. 401.
De tumulo & fovea Confucii. p. 402.
Vini epotatio non est superstitiosa. p. 404.
Confucii cultus planè similis est cultui illustrium mortuorum ex ritu antiquo. p. 406.
De concentu musico. p. 408.
De tempore solemnis Confucii oblationis. p. 409.
Confucii cultus ab ipsa superstitionis specie est liber. p. 411.
Convivium. Idem conviviorum & cultûs mortuorum ritus, pares administri. p. 7.
Quodnam inter utrasque oblationes discrimen. p. 9.
Cultus Sinicus mortuorum institutus fuit instar honorifici convivii quo vivi ipsi excipiuntur. p. 415.
Cultus. Religiosus & Civilis. p. 5.
Quid Religiosus à politico differat. p. 54.
Pii cultus apud Germanos Sinas usitati, nec superstitiosi sunt, nec superstitionem redolent. p. 339.
Cy *mortuorum non est strictè sacrificium.* p. 214.
Non est cultus religiosus. p. 217.
Quâ de causâ To cy *in genere Latinè reddiderunt per*

Digitized by Google

vocem ſacrificium *latè & analogicè.* p. 256.
Chù. *De abſolutione litteræ* chù. p. 313.

D.

DEus. *Quibus nominibus Sinæ Deum expreſſerint.* p. 114.
Quo ſenſu Deum voeent Tien *&* Tien-ty. p. 118.
De Cheù cay, xam, ty, xy, Ken, puen *Deo tributis.* p. 121.
Comparantur nomina Dei Sinica cum nominibus Europæis. p. 125.
Nomina Ty *&* Xam ty *an aliis præter Deum tributa.* p. 131.
Quid differant Hoam tien *&* Heu ty. p. 134.
Quæ attributa Sinæ Deo adſcribant. p. 139.
Intelligentiarum ac præſertim ſupremæ exiſtentia ex ipſis Sinarum verbis adſtruitur. p. 175.
Verum ſacrificium Deo offerunt veteres Sinæ. p. 236.

E

EFfatum *Sinarum ſolemne.* p. 6.

I.

IDololatria. *Quæ, quotuplex & quando ſit in Sinas invecta.* p. 86.
Secta Foe. p. 87
Secta Tao Kia. p. 88.
Sectæ illæ ſ nt Idololatricæ in Sinis. p. 90.
Confucius non eſt Idolum, neque ei oblata ſunt idoloibyta. p. 396.

Digitized by Google

Jejunium. De jejunantibus Sinis. p. 346.
Prævia oblationi abstinentia. p. 326.
Jesuitæ. Quam legem sibi statuerint circa Sinarum cærimonias; quid Neophytis interdixerint. p. 17.
Tutiorem viam sequuntur, p. 31.
Eorum praxis. p. 442.
Imago Chim Hoam. p. 287.
Interpretes. Quæ fides interpretibus Sinicis & quibusnam. p. 103.

L.

Lex avita Sinarum. p. 93.

M.

Pater Martinius rectè negavit Sinas quidquam petere à mortuis. p. 324.
Mensa in modum altaris posita. p. 296.
Mortui. Undè petenda sit notitia honorum qui defunctis exhibentur. p. 3.
Tocy mortuorum non est stricte sacrificium. p. 214.
Non est cultus religiosus. p. 217.
Sinicæ oblationes ex institutione tam antiquâ quam posteriorum temporum, non spectant ad petendum a mortuis. p. 220.
Solemnis cultus mortuorum confertur cum eo qui vivis exhibetur. p. 267.
Est instar convivii quo vivi ipsi excipiuntur. p. 415.
Non offerunt Sinæ cibum ad pascendas defunctorum animas. p. 315.
Ritus Sinici ergà defunctos sunt interioris reverentiæ & amoris accomodata signa. p. 329.

Digitized by Google

N.

NUmmi papyracei. Eorum combustio. p. 342.
Omninò à Jesuitis prohibita. p. 445.

O

OBlatio. Peregrino ritu peractæ oblationes honorificæ multæ in Sinis sunt strictè sacrificia. p. 211.
Avito ritu peractæ oblationes non sunt ex genere suo sacrificia. p. 212.
Oblationes avito ritu factæ non sunt stricta sacrificia. p. 229.
Variæ species Religiosarum oblationum spiritibus factarum. p. 233.
Mactatio animalis non spectat ad essentiam oblationis & sacrificii interni inter Sinas. p. 244.
Quam ob causam mactatio animalis intercedat in primariis Sinarum oblationibus. p. 250.
Triplex genus oblationis ex triplici ratione principii, productionis, & conservationis in eo cui offertur. p. 252.
Quam ob causam honorificæ oblationes Sinicæ, piæ vocentur ex genere suo. p. 262.
Piæ oblationes Sinicæ omnes Eucharisticæ sunt, deprecatoriæ Deo & spiritibus fiunt, propitiatoriæ soli Deo exhibentur. p. 264.
Piæ oblationes Sinicæ ex objecto suo formali non sunt superstitiosæ. p. 265.
Pauci sunt atque è plebeculâ stolidi qui oblationes progenitoribus ad quidpiam ab iis impetrandum dirigant. p. 15. & seq.
Honorificarum oblationum administri. p. 273.
De rebus quæ offeruntur. p. 279.

Digitized by Google

Ubinam spiritibus religiosè offerant Sinæ. p. 285.
De vestibus offerentium. p. 314.
De vini piè offerendi modo. p. 325.
De tempore faciendarum oblationum. p. 327.
De rebus Confucio oblatis. p. 370.
De delectu animalis offerendi & illius partibus. p. 390.

P.

Panegyris Confucii argumentum præbet. p. 385.
Pietas quid sit. p. 56.
Pilei usus ad reverentiam inter Sinas. p. 193.
Philosophiæ. Sinicæ principia de naturali rerum transmutatione. p. 181.
Preces Confucio fundendæ nullatenùs permittuntur. p. 401.

R.

Ritus. Origo diversitatis rituum Sinicorum à ritibus cæterarum gentium. p. 191.
De suffituum vel etiam candelarum usu ad honorem. p. 201.

S.

Sacramentum fidelitatis. p. 287.
Sacrificium. Mactatio animalis apud Sinas non habet rationem veri sacrificii. p. 13. 18. 244.
Quid sit sacrificium. p. 57.
Multæ oblationes peregrino ritu factæ in Sinis sunt strictè sacrificia. p. 211.
Avito ritu peractæ non sunt ex genere suo sacrificia. 212.
Nec sunt stricta sacrificia. p. 229.
Tocy Mortuorum non est strictè sacrificium. p. 214.
Verum sacrificium offerunt Deo veteres Sinæ. 236.

Digitized by Google

Ubinam Deo intet Sinas sacrificatur. p. 284.
Spiritus. Diversitas spirituum inter Sinas. p. 149.
Neque spiritus, neque animæ separatæ pro diis habentur à Sinis. p. 158.
Idea Monarchiæ spirituum inter Sinas. p. 164.
Intelligentiarum ac præsertim supremæ existentia ex ipsis Sinarum verbis adstruitur. p. 173.
Statuæ Confucii. p. 378.
Superstitio. Quid sit. p. 59.
Quænam actiones dicantur superstitionem sapere. p. 81.
Pii cultus apud germanos Sinas usitati nec superstitiosi sunt, nec superstitionem redolent. p. 339.

T.

Tabula. Sunt è plebeculâ, iique pauci qui stolidè ac superstitiosè credant defuncti animam tabulæ insidere. p. 15.
Tabella avorum. p. 299.
Tabellæ antiqua significatio perseverat. p. 310.
Tabella Confucii. p. 378.
Templum. Vox miaò *Confucii aulæ attributa non benè redditur per Latinam vocem* templum. p. 20.

V.

Vestes offerentium. p. 314.
Vini piè offerendi modus. p. 325.
Vini epotatio non est superstitiosa. p. 404.

X.

De voce xim. p. 364.

FINIS.

VILLE DE LYON
Bibliothèque
Digitized by Google

ERRATA PRÆCIPUA.

PAg. 3. lin. 15. litteratotum *lege* litteratorum, p. 23. lin 6. ſocio *lege* ſocios, p. 28. lin. 3. proluxiſſet *lege* profluxiſſet, p. 64. lin. 4. mactandis *lege* mactandi, p. 94. lin. 28. effutiendæ *lege* effutienda, p. 97. lin. 15. cui *lege* vi, p. 117. lin. 22. ſubſtantiis *lege* ſubſtantivis, p. 153. lin. 33. habitus *lege* halitus, p. 161. lin. 19. Sina *lege* Sinæ, p. 162. lin. 19. commonere *lege* commovere, p. 166. lin. 19. libello *lege* libellos, p. 220. lin. 4. ſpectat *lege* ſpectant, p. 267. ult. parietatem *lege* parietem, p. 268. lin. 1. affablè *lege* affabrè, p. 269. lin. 4. anguſta *lege* auguſta, p. 284. lin. 20. animalibus *lege* annalibus, p. 308. lin. 27. pars *lege* par, p. 341. lin. 30. imo *lege* uno, p. 383. lin. 22. quo *lege* que.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google